GAI SALLVSTI CRISPI

QVAE SVPERSVNT.

RECENSVIT

RVDOLFVS DIETSCH

VOL. I

CONMENTATIONES. LIBRI DE CATILINAE CONIVRATIONE ET DE BELLO IVGVRTHINO.

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

MDCCCLVIIII.

Constantinopoli

LIPSIAE TYPIS B. G. TEVBNERI.

VIRO DOCTISSVMO SIBIQVE CONIVNCTISSVMO

CAROLO HALMIO

EDITOR.

PRAEFATIO.

Cum semper animo meo recurrit iocundissuma illius temporis recordatio, quod ante hos tris annos Monaci transegi et per quod cotidie consuetudine, conloquio, domo Tua usus sum, tum nunquam gratior et magis viva, quam nunc ubi hunc librum emissurus sum. Ad quem ipsum parandum instruendumque Tu, vir amicissume, me non modo consiliis prudentissumis ac doctissumis excitavisti ac monuisti, verum etiam multis magnisque summae liberalitatis ac benivolentiae officiis adiuvisti atque confirmavisti. Qua re si quid utilitatis ex hac mea opera redundaverit, nemo sibi eius fructum maiore iure vindicare poterit quam Tu, nec quidquam ego mihi magis religioni duco nisi ut ipsum opus meum pii ac grati erga Te animi publicum monumentum extet. Quamquam igitur quam parum amplissumo Tuo nomine dignum sit ipse persentio, tamen non diffido, ob animi mei sinceritatem magis quam ob ipsius dignitatem Tibi gratum acceptumque fore. Set, qua eximia es humanitate, non dubito, quin nihil Tuo splendori detractum opinaturus sis, si hoc loco publice eis viris amplissumis, inlustrissumis, doctissumis, qui mihi in hoc libro adornando opitulati sunt, gratias publice egero, *Haasio*, *Darembergio*, *Hundzikero*, quibus quae bibliothecae Parisinae debentur, accepta refero, *Bethmanno*, bibliothecae Guelferbytanae — vel ut rectius Fleckeisenius noster scripsit Wolffenbuttelanae — antistiti, qui mihi liberalissume codicum inspiciundorum copiam fecit, in primis vero *Carolo Ludovico Rothio* Basileensi, qui nonnulla quae ipse multa cura ac diligentia ad edundum Sallustium paraverat, humanissume mihi concessit.

De ratione, quam in scribundo secutus sum, pauca tantum monenda puto. Ac primum quidem vereor ne multi mihi crimini daturi sint, quod non pluris Sallusti codices excusserim, neque

infitior nonnullos etiam investigandos atque perscrutandos esse. Set dementiae est conari, quod fortuna neget, neque aequi iudices plus postulabunt, quam quod praestare possis. Ad hoc si vera est quam de codicibus proposui sententia, omnis quos nunc noverimus ex uno eodemque archetypo quasi fluxisse, frustra opera eis inpendetur, qui non ex ipso aut ex alio fonte derivati sint. Deinde verendum mihi est, ne multis in notanda scripturae varietate nimius et tamen parum mihi constans fuisse videar. Scilicet ad viginti Catilinae capita prima omnis exhibui, quae mihi innotuerunt, divorsitates, quo de singulorum codicum fide ac dignitate iudicari posset. In relicuis scripturas antiquissumorum tantum librorum atque eorum, quibus aliquid vel tribuendum vel ab aliis viris doctis tributum esset, copiose perscripsi, set etiam ceterorum rationem habui eis locis, unde mihi aliquid testimonii proferri posse videretur, in posterioribus aetate codicibus aut antiquiorum errores et glossemata propagata esse aut coniecturas praeberi. Multis locis etiam hoc mihi demonstrandum putavi, quam nihil tribuendum esset eis suspitionibus, — maxume de eiciundis verbis — quas nonnulli librorum testimoniis confirmari dixissent aut credidissent. Quod consilium num minus recte secutus sim alii iudicent; mihi fortasse accidisse, quod in magna copia facillume humano ingenio evenit, ut quid delegamus haereamus et nimis multa effundamus, haut infitias ibo. Denique metus est, ne multa veterum scriptorum testimonia me omisisse mihi crimini detur. At reputent, quaeso, homines docti, me pro fortuna mea pluris libros perquirere non potuisse, et eos locos enotare satis habuisse, qui aliquid utilitatis, quo rectius de textu scriptoris iudicaretur, adferre viderentur. Illud doleo, quod Hertzii Prisciani editionis voluminе altero mihi uti non licuit.

In formis vocabulorum exhibendis rationes, quas Ritschelius Fleckeisenius alii viri de latinae linguae scientia inmortaliter meriti invenerunt, ita secutus sum, ut quod libris manu scriptis confirmaretur ac commendaretur, tamen antiquius haberem. Sic quamvis

dis, is magis tueantur codices antiquissumi, tamen cum nonnullis locis eis testentur hanc formam ubique restitui, at quoius uno loco, quo Vaticanus exhibet, scripsi, in relicuis cuius intactum reliqui. Tum quoniam multis locis accus. plur. tert. decl. in is reperitur, eam formam etiam in alia eiusdem generis vocabula transtuli, nollem tamen ab me J 66, 1 civitatis relictum, quod qua librorum fide munitum sit ignoro. Magis mihi fateor in talibus placere constantiam, set non tam quid ratione inventum esset, quam quid libri praeberent mihi exhibendum putavi.

Neque silentio praetereundum puto me nonnullas suspitiones subpressisse, quod emendandi ratio mihi parum certa videretur, alias in varietate scripturae breviter conmemorasse. Ita C 9, 2 quamquam antiquissumis libris cunctis consentientibus in amicos fideles scripsi, tamen quod posteriores nonnulli in amicis exhibent, in propatulo est conicere Sallustium scripsisse in amicitiis, id quod ab sententia non prorsus alienum iudicabitur, quamquam quod in illo scriptore fuit variandae orationis studium magis in amicos — scilicet praecedit in subpliciis — conmendet. Atque J 85, 26 propter ea quae in codd. P[1] et m inventa sunt, etiamnum dubito, an reticere verum sit. Doleo autem quod in Conmentationibus omisi locum J 100, 5, ubi quamquam libri nihil variant, tamen verba belli Jugurthini pro glossemate habenda mihi videntur. Quae enim tot tempora belli Jugurthini erant, quibus exercitus coërcendus esset, et cur illud tempus ita prae ceteris ecferretur? Nonne aptius haec de omnibus bellis quae Marius gessit, dicentur? Qualem in bello Jugurthino sese ostendit, talis non minore gloria fuit in Cimbrico. Et quid mirum, ab grammatico illo explicatum esse belli Jugurthini sc. tempore, quod ab aliis in scriptoris verba inlatum.

Alterum volumen prope diem evolgabitur. Quod si, mi Halmi, in fragmentis nonnulla a me emendata, alia rectius explicata inveneris, tamen veritas me cogit publice fateri, me nihil prorsus in ea parte operis praestiturum fuisse, nisi eis quae *Fridericus*

Kritzius ad inlustrandas illas reliquias egregia doctrinae copia atque diligentia contulit, uti licuisset.

In indice conficiundo an rectas ac veras rationes secutus videar, valde dubito. Mihi hoc unum propositum fuit, ut quid apud Sallustium extaret, facillume inveniri posset. Quod si alias rationes, quam vel litterarum ordinem vel casuum vel formarum secutus essem, multo ampliore spatio opus fuit, simul verendum, ne multi se meis rationibus in errores inductos esse conquererentur. Illud omnis rogatos volo, ut si forte hic illic indicem non prorsus cum eo quem exhibui textu convenire viderint, id benivole ignoscant, reputantes secum maxumam partem iam tum parandam fuisse ante quam relicus liber typis exaratus esset, praeterea me veteres scripturas, maxume si emendatio minus certa esset, non prorsus omittere debuisse, denique multa vel diligentissumum mortalem effugere. Itaque huic libri mei parti cum operam navarem intellexi, quam arduum esset illud opus, thesauri latinitatis, quod Tu, mi Halmi, una cum Ritschelio Fleckeisenio Büchelero paras. Inmortalis vostra laus erit, nec quisquam melioribus vos votis prosequitur quam ego. Quod si vos hanc meam operam non prorsus inprobaveritis, summae mihi laetitiae erit.

Summo autem animi candore hoc Tibi scribo, vir amicissume, me cunctantem hunc librum edere, cum incohata potius quam perfecta me proferre sentiam. Nihil mihi gratius atque exoptatius accidet, quam si alius vir me doctior, acutior, fortunatior Sallustio utiliorem et salubriorem operam inpenderit. Illud Te enixe oro, ut Tibi persuasum habeas, neminem me Tibi deditiorem esse quam me. Faxit Deus Te Tuosque salvos et incolumis atque omnia quae suscepisti et suscipies, ad bonum faustum laetum eventum perducat. Sic vale meque ut semper fecisti amare perge.

Dab. Grimae d. XX. m. Febr. MDCCCLVIIII.

CONMENTATIONES.

Cap. I.

De Sallusti codicibus.

Sallusti libros manuscriptos, quorum maxumus est numerus, primus, quod sciam, in genera et classes descripsit v. doctissumus Car. Ludov. Rothius Mus. Rhen. IX 1 p. 129—35, argumento certissumo usus lacunis, quae in libris inveniuntur.

Primus igitur locus, ubi plerique libri mutili sunt, est Iug. 44, 5, ubi verba *neque muniebantur ea* exciderunt eam ob caussam manufestissume, quod librarius ab priore ad alterum *neque* oculis aberraverat.

Tum, id quod iam alii observaverant [1]), in multis libris Iug. 103, 2 verba *ex omni copia necessariorum* excipiuntur verbis 112, 3 *pacem vellet, daret operam* cet., in aliis illis verbis liber clauditur. Quod quin ita factum sit, cum archetypi aliquot folia excidissent aut loco suo mota essent, nemo dubitabit [2]). Cum autem quae omissa sunt, in editione mea priore expleant fere lineas 168 [3]), conputando invenies, si duo folia exciderint, in quaque pagina scriptas fuisse lineas 42, si quattuor lineas 21, si sex 14, si octo $10^1/_2$. Quod si spatium, quod liber de Catilinae coniuratione et Iugurthae relicua pars conplent, eodem modo conputaveris, singulos numeros sic convenire reperies, ut unoquoque totum recte dividatur.

Tertium locum in censum vocavit Rothius Iug. 21, 4, ubi pauci libri post verba *ab armis discedere* adiiciunt *de controvorsiis suis iure*

1) Bojesen. ed. II praef. p. IV n. 2.

2) Scilicet qui librum c. 103, 2 finivere, extrema quae supererant, aut neglexere aut quod nexu carerent consulto abiecere.

3) Quippe si rationem diligenter subduxeris earum linearum, quae non plenae sunt.

potius quam bello disceptare, de quibus quamquam ab relicuorum virorum doctorum sententia divorsum est, tamen quid mihi censendum videatur dicam. Ac primum quidem ea salva sententia abesse posse, nemo facile infitias ibit, nisi forte quis negat, senatum, si quos ab armis discedere iubeat, sese de eorum controvorsiis iudicare velle luculenter et perspicue dicere. Quo tollitur Kritzii dubitatio, qui si verba illa abessent, *ita seque illisque dignum esse* non habere dixit, quo satis commode referrentur. Atque ut mittam eos locos, in quibus *disceptatio* ipsi *bello* obposita est (Drakenb. ad Liv. XXXVIII 35, Beier ad Cic. d. off. I 34), duo, in quibus *bello* vel *armis disceptare* dictum est, Caes. b. c. III 107 *ostendit sibi placere regem Ptolemaeum atque eius sororem Cleopatram exercitus, quos haberent, dimittere et de controvorsiis iure apud se potius quam inter se armis disceptare*, et Liv. XXXVIII 38, 17 *controvorsias inter se iure ac iudicio disceptent, aut si utrisque placebit, bello*, ab Sallusti loco paululum tamen divorsi sunt, hic quod membra disiuncta sunt, ille quod Caesar sese ipsum de Ptolemaei et Cleopatrae discidio iudicare, non alii, senatui crede aut populo romano, iudicium permittere velle, necessario addere debebat, apud Sallustium senatus id omittere potuit. Iam cum eum scriptorem ab doctis grammaticis tractatum èt explicatum esse constet, nec minus ex eorum conmentationibus nonnullos locos interpolatos esse satis certa vestigia ostendant, quaero utrum veri similius videatur, glossam ab docto grammatico ad eum locum, qui sane explicatione egere videretur, adscriptam ab eis, qui posteriores et deteriores libros conscripsere, inconsulte in verba scriptoris inlatam esse, an, id quod Cortius auguratus est, errorem librarii, qui ab *discedere* ad *disceptare* aberravisset, per omnes libros vetustissumos atque optumos propagatum esse? praesertim cum ea verba in aliis libris paulo vetustioribus ad marginem scripta reperiantur, nec qui ea in textu exhibeant, ab relicuis ita divorsi sint, uti eos ex singulari quodam archetypo transscriptos esse cum aliqua veri specie contendas.

Quae cum ita sint, librorum, qui Catilinam et Iugurtham continent, haec tria genera esse iudico:

primum eorum, qui neque Iug. 44, 5 verba *neque muniebantur ea* habent et in eo libro extremo ampla illa lacuna mutili sunt.

alterum eorum, qui hanc lacunam explevere,

tertium eorum, qui etiam Iug. 44, 5 *neque muniebantur ea* exhibent.

Iam eos libros, quos quoniam adcuratius cognovi ad hanc editionem adornandam adhibui, describam.

I. Primi igitur generis hos nanctus sum:

1. P, Parisinus [1]) Sorbonn. 500 (nouveau fonds de la bibliothèque impériale), saec. X [2]). In prima pagina litterae aliquantulum obscuratae sunt, ut ne discerni quidem possit utrum praenomen scriptoris in titulo *C.* an *G.* sit, quamquam ad finem Catilinae *C.* perspicue scriptum est. Ultima folia aliquot locis mutilata sunt eoque factum ut verba extrema Iug. ab 112, 3 *colloquio decretum* prorsus perierint. In principio scriptum est: *C. Sallustii Crispi bellum Catulinarium* (quae scriptura fortasse non prorsus neglegenda est, cum testimonium haberi possit eius nominis formae, qua Th. Mommsenius utendum putavit, Catilina) *incipit*, in fine eius libri: *C. Sallustii Crispi bellum Catiline explicit. incipit Iugurthinum*, quae a posteriore manu adiecta esse adparet. *ae* et *oe* fere semper plene scripta sunt, raro *e* pro *ae*, saepius *ae* pro *e* (Cat. 5 *atquae*, 7 *braevi*, 9 *rellinquaere*, al.). Ex codice eum librum exscriptum esse qui *a* apertum habuerit, multa docent (Cat. 7 *habebunt*, 23 *obnoxia*, 30 *totum*), nec minus adparet librarium in legendo archetypo saepe haesitasse, nec vero quidquam proprio marte divinasse. Nonnulla menda eadem manus correxit. Quamvis satis constanter formas volgares exhibeat (genetivos secdae decl. vocabulorum in *ius* et *ium* semper *ii*, eodemque modo semper *dii*, *diis* sim., item *vulgus vultus vult* al. id genus [3]), *libet libido*, *haud* al.), tamen nonnullis locis antiquiores servavit (statim in principio *omnis*, tum *intellegit*. Quod Iug. 37, 4 exhibet *thessauros*, in archetypo *thensauros* fuisse testari videtur). *h* saepissume vocalibus praefixum (*honeri* Cat. 2. *nichilhominus* 3. *abhorigines* 6. *inherat* 25), nec minus saepe *ch* pro *h* scriptum (*michi*, *nichil*). Glossae paucae ab eadem manu superscriptae sunt [4]), item correctiones, in quibus nonnullae littera graeca Δ notatae, pro qua bis *dia-*

1) Codices Parisinos meum in usum contulit iuvenis doctissumus Hunziker, quem, ut in principio negotii minus adhuc versatus fuerit, tamen summa diligentia usum esse maximeque in eis libris, qui pro optumis habendi sunt, multis mihi documentis conpertum est.

2) In primo vacuo folio haec scripta sunt: Ce Ms. peut être un des plus anciens, qui existent dans le royaume, contient la guerre de Catilina et de Jugurtha par Crispe Salluste.

3) Semper *cum*, nusquam *quom*.

4) Quod Iug. 90, 1 super *agendum* scriptum est *minandum*, inde conicias codicem ab homine Francogallo scriptum (mener). Quo fortasse pertinet etiam scriptura *langua* Cat. 6.

lyton vel *dialiton* invenitur. Scilicet librarius litteras male contractas esse, ita significare voluit (cfr. Iug. 85, 31 ubi supra *parum* scr. *parvi* *Δ*, ibid. 48 sup. *dis: diis* *Δ*).

2. P¹, Parisinus nr. 1576 saec. X, set paulo posterior quam P, cum quo ita consentit, ut quin ex eodem fonte fluxerit prorsus dubitari non possit. Quoniam autem saepius quam ille antiquiores formas servavit (eius generis est gravissumum vetustatis testimonium *thensauros* Iug. 37, 4. 75, 1), inde adparere videtur, eas in P consulto in volgares conmutatas esse. Nonnunquam optumas scripturas solus servavit. Ab recentiore manu multae glossae interlineares et marginales adscriptae sunt, eademque non nihil in textu correctum. His tertia et quarta manus nonnulla adiecere.

3. P², Parisinus 6085 membr. saec. XI. Eadem manus post Iugurthae finem Bocchi orationem (c. 110) adscripsit, tum recentior manus omnem illam lacunam explevit (quam significavi p²). Multas continet glossas et interlineares (argumenta) et marginales. In orthographia cum plerisque libris fere consentit (saepius *e* pro *oe* et *e̜* pro *ae*). Ad idem archetypum exaratum esse atque P¹ cum ceterae scripturae ostendunt, tum quod Cat. 57, 1 uti ille *pistoriosem* exhibet.

4. P³, Paris. 6095, de quo infra 6 plura dicenda sunt.

5. P⁴, Paris. 5748, in quo quae Iug. 103, 2 — 112, 3 omissa, ab eadem manu ad finem libri, set sine glossis et paulo divorsa orthographia subpleta sunt (quare cum id subplementum ex alio libro quam reliqua haustum esse manufestum sit, p⁴ libri eam partem notavi). Ceterum cum multas glossas, simul ordinem verborum multis locis inmutatum exhibeat, non dubium videtur, quin secundum codicem exaratus sit, qui ad captum discipulorum adiuvandum institutus et factus esset [1]).

6. B, Basileensis, nunc A N. IV. 11 signatus. Quem quoniam Gerlachius descripsit, plura dicere supersedeo [2]). Consentit haut raro cum PP¹P², set cum P³ ita, uti utrumque ex eodem archetypo

1) Eiusdem generis esse Parisinum 5750 membr. saec. XII, multas glossas marginales et interlineares continentem, per Hunzikerum cognovi.

2) Cum, quamvis Gerlachius ter eius codicis scripturas enotasset, tamen de multis locis dubitandum esset, Rothium per litteras adii, qui, qua est eximia benignitate, codicem omnibus eis locis, quos indicaveram, denuo inspexit summaque diligentia quid exhiberet perscripsit.

transscriptum esse certissumum sit, P^3 ex Basileensi, id quod Rothius censuit, paene credibile (vid. infr. p. 26 n. 1).

7. G, Guelferbytanus[1]) 68, 16. Ms. Aug. 8 (Ebert zur Handschriftenkunde II nr. 751) membr. form. 8. saec. XII. Cum finiatur in verbis Iug. 103, 2 *ex omni copia necessariorum*, quaeque post illa erasa sunt, non fuerint quae apud Sallustium sequuntur, quin primo generi adscribundus sit dubium non est (Cort. p. 886).

8. E, Einsiedelensis [2]) saec. XI, quem, quamvis iam Iug. 85, 28 desinat, tamen in primo genere numerare, quoniam Rothius, qui eum diligenter exploravit, id adseverat, non dubito.

9. M, Monacensis [3]) cod. lat. 19474 (Tegerns. 1472) membr. form. 8. Continet primum Ciceronis orationes Catilinarias (saec. XIII, o apud Halmium), tum fol. 62 — 145 Sallusti Catilinam et Iugurtham alia et ea quidem vetustiore manu, quam qua orationes illae scriptae sunt, exaratos. Desinit Iug. 114 in verbis *non pro gloria certare, sed postquam*, relicua, cum folium finitum sit, excidisse adparet.

10. M^1, Monacensis cod. lat. 19479 (Tegerns. 1479), membr. forma 4 saec. XIII. Continet solum Sallustium (147 p.), set prima pag. aliis rebus conferta est, ita ut scriptoris verba ab revorsa pagina folii primi incipiant. Quamvis male habitus sit, tamen bona indole non prorsus caret. Haut raro cum M consentit.

12. M^2, Monacensis cod. lat. 4559 (Benedictoburanus 59, 219) saec. XI ineuntis, ut in catalogo notatus est, set ego saec. XII esse iudico [4]). Fol. 22 finitur in verbis Iug. 28, 1 *omnes ut mortales*, post quae adscriptum est *deficit*, fol. 24 incipit ab 31, 12 *rem publicam occuparere*. Quae intercedunt, in fol. 23 alia manus posterior, set quae vetustiorem imitata sit, ita subplevit, ut folium non prorsus expleretur. Iug. 103, 2 alia manus ab *V delegit* incipit et usque ad extremum librum pergit (quam manum nota m^3 signavi). Consentit saepissume cum M et M^1. Multae in eo sunt rasurae, nec desunt glossae germanicae, veluti Cat. 27 *composite: redalicha*, Iug. 12 *tugurio: hiltcha*, 18 *mappalia:* selida, 85 *histrionem: skirnen*. Admirabile est, quod Iug. 22 sup. *clemens* scriptum est *xmbrf*.

13. F, Fabricianus, nunc Havniensis biblioth. regiae 25, quem dili-

1) Libros Guelferbytanos ipse contuli.

2) Usus sum conlatione Gerlachiana.

3) Codices Monacenses ipse contuli.

4) Continet praeter Sallustium Martiani lib. I et II, quos contulit Koppius.

genter descripsit et denuo contulit Bojesen ed. II praef. (posteriores manus f notavi). Cum M ita consentit, ut utrumque ad idem exemplar exaratum esse luce clarius sit.

14. T, Turicensis [1]), in quo manus posterior (t) non solum amplam illam lacunam explevit, set etiam omnem extremam Iugurthae partem denuo exaravit. Cum F plerumque consentire iam Gerlachius (ed. I vol I p. XXII, ed. II praef. p. VI) observavit.

Libri MM¹M²TF quasi familiam primi generis efficiunt, set iuniorem. Unde qua usus sit fortuna per medium aevum scriptor, intellegitur; verborum ordo enim saepissume inmutatus est, ut librarios elegantiam quandam illi adfingere voluisse facile adpareat.

Primi generis denique est Nazarianus, ex quo Gruterus nonnullas scripturas protulit. Quem librum quoniam Nipperdeius aliique viri docti tanti fecere, ut nisi is repertus foret nullam spem esse dictitarent, scripturas ab Grutero enotatas diligentissume exscripsi, ex quibus hoc mihi adparuit, optumum eum esse et dignissumum qui investigetur et denuo exploretur, set tamen ab relicuis codicibus vetustissumis non tam divorsum, ut nova recensio constitui possit.

Cuius generis sit eiusdem viri docti *Commelinianus* diiudicari non potest, quoniam Iug. 97 'desinit fine lacer', uti ait Gruterus ap. Havercp. 348. Eius quoque libri scripturas ab Grutero enotatas diligenter exscripsi.

II. Alterius generis hi libri vel a me ipso vel meum in usum conlati sunt:

1. p, Parisinus S. Victor. 503 (nouveau fonds de la bibliothèque impériale), qui quamvis multo posteriore tempore scriptus sit, tamen saepissume cum P³ consentit.
2. p¹, Paris. 5752 (antea 5278) membr. saec. XIII.
3. p³, Paris. 1574, glossis carens; in textu nonnulla manus posterior correxit.
4. p⁵, Paris. (nr. 116 du nouveau fonds), nitide exornatus. Ad finem haecce subscripta: *Deus mihi adiutor. Deo laus semper et gloria. Mli anno domini* MCCCCXVII.
5. p⁶, Paris. 6088, cum multis glossis; in textu pauca correcta sunt nonnullaeque glossae adscriptae manu recentissuma (fortasse saec.

1) Usus sum conlatione Gerlachii, passim ab Orellio et Rothio correcta.

XVII). Documento est, quanto opere recentiores libri Sallusti conrupti sint [1].

1) Burnoufius eum codicem saec. XIII esse contendit, in eoque Iug. 44, 5 *neque muniebantur ea* ad marginem scripta esse narravit, de qua re Hunzikerus tacuit. — Ceterum Parisiis praeter libros meum in usum conlatos hi Sallusti codices adservantur: 1. 5749, membr. saec. XII, multis locis interpolatus, plerumque formas antiquiores exhibens. — 2. 5754, membr. saec. XV. — 3. 5755, membr. saec. XV (sic in catalogo not., at Hunzikerus saec. XVI esse indicat). — 4. 5756, membr. saec. XV, nitide scriptus. — 5. 5757, chartac. (non membr., uti in catalogo scriptum) saec. XV. — 6. 5758, membr. saec. XV. Sub finem scriptum nomen *Georgius de Iveert.* — 7. 5759, membr. saec. XV, nonnullis foliis malo ordine conlocatis. — 8. 5760, membr. saec. XV. Ad finem haecce scripta: *Pro Iohanne Duboschet iurium doctore prothono*rio *aptico ac beatissimi tugualis Lavallen decano. Explicit bellum Iugurthinum. Duboschet. Non miretur aliquis, si aliqua vocabula in hoc libro prius non usu moderno scripta sunt. Nam hoc fuit gratia exemplaris bene antiqui et veraciter scripti, de quo omissis duntaxat diptongis omnia ut iacebant hic apposui, verbi gratia omnis pro omnes. finis pro fines. advorsum pro adversum. et sic de aliis multis.* Tractatui. qui Sallustium excipit, beati Bernardi abbatis Clarivallensis de consideratione ad Eugenium papam, subscriptum est *in anno domini* M° C°L IIII^to^, scilicet eo anno tractatus ille ab Scto Bernardo confectus est. — 9. 5761, membr. saec. XV, liber valde conruptus nec vero interpolatus. Subscr. *G. Guilermus vocatur qui scripsit.* — 10. 5762, membr. saec. XV, nitide scriptus cum glossis francogallicis. — 11. 6086, membr. saec. XI. Desinit Iug. 108, 2 in verbis *tempus ipse deligeret. consulto* (sic) *sese.* Cum secundi generis in antiquissumis sit, illud non neglegendum, quod Hunzikerus monuit, eum in illis verbis, quae in primo genere omissa sunt, non multum ab reliquis discedere. Iug. 104, 1 exhibet *Sullam ab tuca venire iubet, item l. bellienum praetorem tum praeterea;* ib. 3 *octavio pisone.* — 12. 6087, membr. saec. XII, male scriptus, nec tamen sine pretio. Iug. 104, 1 post *praetorem* om. *Utica.* — 13. 6089, membr. saec. XIII, incipit ab Cat. 42, 2 *Catilina autem dimiserat inconsulte.* — 14. 6090, membr. s. XV. Ad mg. manus saec. XVII nonnullas scripturae divorsitates adnotavit. — 15. 6091, membr. a. 1434 scriptus. — 16. 6012, membr. a. 1452 et 53 scriptus. — 17. 6093, membr. scr. a. 1496. Praemissa est brevis vita Sallusti, in qua perscriptum est *Lencum Pompeii libertum* advorsus Sallustium, *qui manes Pompeii laceravit*, scripsisse eumque *nebulonem, lucronem, popinionem, lastaurum* (quod vocabulum explicatur *homo valide libidinis)* adpellasse. — 18. 6095, chart. saec. XV. — 19. 6097, membr. saec. XV. — 20. 6098, chart. s. XV. Ultimum folium Iugurthae excidit, uti desinat in verba 113, 6 *ac statim signo dato undique simul.* — 21. 6099, chart. s. XV. Ad finem Cat. haec leguntur: *metha libri primi Salustii cernitur hic. Catilinarius hic finit. abi crispe salusti.* — 22. 6100, chart. s.

6. m, Monacensis cod. lat. 14777 (Rat. G. Emmer. 477. Emm. E. 100) membr. forma 4, ut in catalogo notatum, saec. X vel XI, nitide atque eleganter scriptus, set ultima folia lacera sunt, ibique nonnullae litterae obscuratae. Desinit Iug. 106, 1 in verba *volux adveniens*. Ad marginem multa ex veteribus grammaticis, Prisciano, Servio, aliis adscripta, quae pleraque non sine difficultate leguntur. Per aliam manum paucissuma quaedam correcta sunt. Eius libri conlationem v. d. Wölfflin Gerlachio commodavit, qui in praef. ed. IV nonnullas scripturas conmemoravit, unde quod intellexi meam conlationem cum illius consentire laetor.

7. m¹, Monacensis cod. lat. 14515 (Rat. G. Emm. 515), membr. forma 4 saec. XII. Ad marginem multae explicationes scriptae sunt, in quibus nonnulla ex aliis rerum scriptoribus ad inlustrandum Sallustium excerpta. Interdum voces Germanicae superscriptae sunt, veluti Iug. 13 *in gratiam: hulda*. Tria folia, quae conplectuntur verba Cat. 14, 5 *haut difficulter* usque ad 21, 3 *hominem familiarem* ab alia manu scripta sunt. Inter Catilinam et Iugurtham quattuor paginae et dimidia refertae sunt futilibus etymologiis et brevi de re militari Romanorum disputatione. Item Iug. 102, 13 post *partem* in suprema pag. 102 rasura est, tum duas paginas fragmentum grammaticum obsidet, denique fol. 52 alia manus in Sallustio usque ad finem pergit.

8. m², Monacensis cod. lat. 14685 (Emmer. 685), membr. forma 4 saec. XII exeuntis vel XIII ineuntis. Is quoque liber glossas Germanicas habet, veluti Iug. 36 *vades: gisel*. Divorsis manibus scriptus est. Ab Cat. 31, 8 *maledicta alia* secunda manus incipit, tum tertia perscripsit Iug. 7, 5 *afferre plerumque solet* us-

XV. — 23. 6101, chart. s. XV, hic illic cum parvis lacunis, unde coniciundum est librarium, hominem religiosum, quae in suo exemplari legere non posset, omittere maluisse, quam suo marte periclitari. — 24. 6103, chartac. s. XV. — 25. 6014, chart. s. XV. — 26. 6253, membr. Principium saeculo XII scriptum. Ab Iug. 99 membranae divorsae sunt et nonnulla folia palimpsesta saec. XV, unde facile adparet librarium in perscribundis relicuis Sallusti verbis priorem manum imitatum esse. — 27. 6254, membr. s. XV. — 28. 8554. A, chart. s. XV. — 29. 8609, membr. saec. XV. — 30. Bibliothecae Mazarini nr. 1295, chart. s. XV. — 31. Bibliothecae d'Arsénal nr. 73, a. 1477 exaratus, ad exemplar antiquum, uti ex servatis formis antiquioribus adparet. — 32. Eiusd. bibl. nr. 74, saec. XV. — 33. Eiusd. nr. 75, chart. a. 1467 exaratus. In bello Iugurthino nonnulla folia falsis locis inserta.

que ad 8, 2 *in suis artibus*, post quae secunda manus pergit usque ad 23, 2. Ibi enim verba *nas in extremo sitas* — 24, 3 *quintum iam mensem* in singulari foliolo scripta sunt, et quae illa sequuntur, rursus ab prima manu exarata. Cum m is liber ita consentit, ut paene ex eo exscriptus videatur.

9. μ, Monacensis cod. lat. 2602 (Aldersparcensis 72) membr. forma 8 saec. XIII, litteris minutis conscriptus, multas notas marginales et glossas ab divorsis manibus scriptas continens. Iug. 21, 4 verba *de controversiis* — *disceptare* ab eadem manu, quae textum exaravit, ad marginem scripta sunt.

10. s, Lipsiensis [1]) bibliothecae senatoriae Rep. I fol. 4 (vid. Naumann catal. librorum manuscr. XL p. 14) membr. saec. XI (mea quidem sententia certe exeuntis).

11. s[1], Lipsiensis biblioth. senat. Rep. I 4. 41 (Naum. LXVIII p. 22) membr. saec. XIII.

12. s[2], Lipsiensis biblioth. senat. Rep. I. 8. 91 (Naum. LXIX p. 22).

13. σ, Lipsiensis biblioth. senat. Rep. fol. 14 (Naum. XCI p. 27 sq.). Iug. 21, 4 verba *de controv.* — *disceptare* in textu exhibet.

14. g, Guelferbytanus 8, 6. Ms. Aug. 4 ex bibliotheca I. Chunradi Rhumelii (Ebert 747) membr. forma 8 saec. XIII. Prima manus scripsit usque ad Cat. 10, 6 *vindicari* (tria folia integra), tum in fol. 4 alia manus incipit ab Cat. 9, 3 *pax evenerat*, set paginae 8 et 9 extremae partes prima manu scriptae sunt. Item (fol. 15) verba Cat. 60, 4 *sauciis arcessere* — Iug. 2, 4 *aetatem agunt* erasa et denuo exarata sunt, denique Iug. 8 extr. rursus rasura est et deinde nova manus pergit.

15. g[1], Guelferbytanus 51, 12 Ms. Aug. 8 (Ebert 750), membr. saec. XII forma 8 min. In Iug. fol. 30 exciderunt (17, 5 *fertilis* — 62, 4 *vitabundi*); igitur in secundum genus referri non potuisset, nisi scripturae cum libris eius generis prorsus consentirent. Nova manus incipit ab Cat. 44, 3 *L. cum his:* tum Iugurthae principium usque ad 3, 2 *vi quidem* alia manus, set quae priorem imitata, subplevit; denique Iug. 76, 6 post *onerati* pagina vacua est et ab fol. 102 nova manus pergit. Nec minus in extremis foliis, cum litterae modo pressae modo diductae sint, laceros aut obscuratos locos subpletos esse adparet.

16. g[2], Guelferbytanus 50, 4 Ms. Aug. 8 (Ebert 748), membr. forma 8

1) Codices Lipsienses ipse denuo contuli.

min. saec. XIII. Desinit Iug. 107, 5 *solum cum Sulla*, a quibus verbis alia manus usque ad 109 extr. *praeterea labor* (sic pro *Dubar)* pergit. Male habitus est; p. 130 lacera et obscurata. Iug. 21, 4 verba *de controversiis — disceptare* ad marginem scripta sunt. Set nonnullis locis is liber cum optumis et antiquissumis consentit atque admodum memorabile est, cum Iug. 85, 31 *parvi* pro *parum* exhibere, unde si quis concludere velit eum ex singulari fonte fluxisse, videat ne id audacius sit, quippe cum *parvi* in P superscriptum fuerit.

17. g³, Guelferbytanus Gud. 125 (Ebert 754) membr. fol. min. saec. XIII, permultis glossis inlustratus. Fol. 12 (Cat. 47, 2 *esse vicesimum — 49, 4 conflaverant)* alia manus subplevit.

18. g⁴, Guelferbytanus 6. 2. Ms. Aug. 4 (Ebert 764), membr. forma 4 saec. XV in Italia exaratus. Dolendum est, quod eum librum sciolus librarius ita correxit, ut cum exemplaribus volgaribus prorsus consentiat.

19. g⁵, Guelferbytanus 12. 10. Ms. Aug. 4 (Ebert 749) membr. forma 4 saec. XV in Italia exaratus. Externo nitori fides non respondet.

20. g⁶, Guelferbytanus Gud. 177 (Ebert 755) chart. forma 4 saec. XV.

21. g⁷, Guelferbytanus 17. 21. 2. Ms. Aug. 4 (olim abbatiae Florentinae. Ebert 745) chart. forma 4 saec. XV in Italia conscriptus.

22. r, Rulandianus, quem descripsit Gutenäckerus progr. Münnerstadiensi, Wirceburgi 1837 [1]).

23. h, Havniensis 3560, cuius scripturas Bojesen praef. exhibuit.

III. Tertii generis duos libros ad hanc editionem adornandam adhibui

1. l, Leidensem Ms. Lat. Bibl. Publ. n. 63, chart. forma 4 max. saec. XV (1467. 1471), apud Havercampium C [2]).

2. γ, Guelferbytanum Gud. 272 (Ebert 753) membr. saec. XV in Italia exaratum. Catilina in eo libro bis inest. Exemplar quod alia manu scriptum g II. adpellavi.

1) Iugurtham ipse contuli, cum Halmii benivolentia eum librum nanctus essem. Duos relicuos libros, ex quibus Gutenäckerus eodem libello scholastico varietates in Cat. enotavit, propterea neglexi, quod cui classi adscribundi essent nesciebam nec multum fructum praebere videbantur.

2) Eius libri conlationem ab ipso diligentissumo factam debeo eximiae Rothii humanitati. Eadem iam ante me Gerlachius in ed. IV usus erat. Libros Leidenses relicuos nancisci non potui, quoniam in eis conferendis occupatus erat v. d. Rinckes, gymn. Leidensis praeceptor, qui num quid inde ediderit nescio.

IV. Adiungo his eos libros qui quoniam non pleni sunt, cui generi adnumerandi sint diiudicari nequit.

1. 𝔐, Monacensis cod. lat. 4603 (Benedictoburanus 103. 312), membr. forma 4 saec. XI exeuntis [1]). Desinit (fol. 129) Iug. 52, 5 *in aequum locum deducit.* Qua re nihil certi de eo dici potest, nisi tertii generis non esse.

2. 𝔊, Guelferbytanus Extrav. 148 (Ebert 752), desinit Iug. 15, 4 *callide occultans.* Ab Cat. 51, 14 *quae apud alios* alia manus incipit. Ad finem haec leguntur: *liber sanctae Mariae et sancti Liborii* [2]).

V. Transeo ad libros, qui nihil nisi orationes et epistulas ex Sallusti libris excerptas continent. Cuius generis vetustissimus est liber 𝔙, Vaticanus 3864 saec. X [3]). Qui cum ex Historiis quoque orationes quattuor et epistulas duas exhibeat, quin ex antiqua conlectione, quales sua iam aetate confectas esse testatur Fronto ed. Mai. Rom. p. 178 (Med. p. 122. 309. Berol. 169), conscriptus sit non dubium videtur. Ex eodem fonte fortasse haustus est Bernensis 357 saec. X, quem in eis partibus, quas cum Vaticano communes habet, miro

1) Continet praeter Sallustium Aristot. de anima et varia.

2) De libris Parisinis, qui vel partes tantum Cat. et Iug. exhibent, vel cuius generis sint indicari nequit, haec per Hunzikerum cognovi: 1. nr. 5747 A (nunc supplément 845) membr. s. XIV praeter alia Sallusti Catilinam continet. — 2. 5717 membr. s. XV Iugurtham sine magna illa lacuna exhibet. — 3. 5751 membr. praeter alia continet a) Catilinam et Iug. usque ad 85, 38 *divitias, imagines, memoriam sui praeclaram,* quae omnia saec. XII scripta sunt. b) Catilinae initium usque ad 42, 2 *namque illi quos,* scr. saec. XIII. c) folium forma 8, conplectens Iug. 107, 1 *nudum et cecum corpus* usque ad 112, 3 *fedus fieret neque.* — 4. 5733 membr. s. XIV Catilinam primasque quattuor lineas Iug. continet. — 5. 6069 membr. s. XV verba scriptoris exhibet ab Cat. 5, 6 *id quibus modis assequeretur* usque ad Iug. 76, 4 *contra hec oppidani festinare parare prorsus ab.* Titulus Iugurthae hic est: *C. Crispi Salustii de bello Incurronhino.* — 6. 6102 chart. s. XV solum Catilinam continet. — 7. 6105 chart. s. XV ab Cat. 5, 9 *quoniam de moribus civitatis* usque ad Iugurthae prima verba pergit. — 8. 7659 chart. continet Catilinam usque ad c. 36 a. 1468 scriptum, relicuam partem ab posteriore manu set ad exemplar vetustum exaratam.

3) Eius codicis conlationem ab viro doctissumo Henrico Brunnio confectam Rothius, cui tam multa debeo, mihi tradidit. Ea ab Forchhammeri, quam Linkerus post praefationem editionis suae (Vindobonae 1855) proposuit, perpaucis locis discedit, quos locos diligenter notavi.

modo cum illo consentire adfirmavit Rothius l. c. p. 129 n. 1. Set Parisinum 6082 membr. saec. XV, quoniam ex Catilina et Iugurtha solis orationes, praeterea alias plerasque ex Livio excerptas continet, ad idem genus referre dubito. Quid enim obstat, quo minus medio aevo ex scriptore multum tractato orationes potissumum excerptas esse statuamus, praesertim cum sententias ex multis veteribus conlectas esse, Parisin. 188 du nouveau fonds saec. XV ostendat?

Cum igitur Vaticanum ex alio fonte, quam ex quo relicui libri fluxere, derivatum esse adpareat, cumque eum fontem non solum ex ipsa antiquitate ortum, set etiam purum atque integrum esse ex multis documentis certum sit — quamquam non desunt vestigia, quae grammaticos ab scriptoris verbis suas manus non prorsus abstinuisse declarent —, cum ante omnia ad examinandam reliquorum librorum fidem adhibendum esse nemo infitiabitur. Quod si diligenter feceris, vetustissumos codices recentioribus longe anteponendos esse facillume tibi persuadebis.

Ergo quod in omnibus veterum scriptis factum esse compertum est, ut quo saepius scriberentur quoque magis legerentur, eo turpius conrumperentur, quodque de Sallusti libris per se quisque autumare potest, id codicis Vaticani fide confirmatur. In qua re non neglegendum est, nullum fere veterum scriptorum per medium aevum magis adsidue tractatum esse, quam Sallustium, id quod qui paucos tantum eius aetatis scriptores rerum legerit, profecto concedet [1]).

Deinde ad quam sententiam qui aliorum veterum scriptorum libros manuscriptos diligenter percunctati sunt fere semper adducti sunt, ut omnes ex eodem archetypo propagatos esse censerent, eam in Sallustio conprobabit, qui quam multis locis omnes libri inter se prorsus consentiant, quoque modo divorsitates scripturae natas esse adpareat perpenderit. Et prospera fortuna accidit, ut quod archetypum fuerit cum aliqua veri specie suspicari possimus. Conmemoravit enim Servatus Lupus (Bernhardy R. L. p. 332 n. 248 et p. 335) Sallusti codicem in Germaniam translatum. At difficilior haec quaestio est, num tria genera librorum, quae supra recensui, suam quodque quamvis ex eodem archetypo deductam originem habuisse videantur, de qua quamquam disputatio ad certum finem iam adduci non potest, quoniam nondum omnes codices diligenter explorati sunt, tamen quo perveniri possit, eo magis

1) Ab veri specie non abhorrere videtur, si id propterea factum esse dixerimus, quod Sall. ab scriptoribus ecclesiasticis, Augustino Hieronymo aliis, conmendatus esset.

periculum faciundum est, quod inde quid ponderis singulis testimoniis tribuendum videatur, pendet. Rothius enim l. c. p. 135 hanc legem editori Sallusti praescripsit, ut eae scripturae archetypi putandae essent, in quibus recentiores pleni libri cum mutilis vetustissumis consentirent; si discreparent, quae in non contaminato exemplari alius generis item reperirentur. Censuit igitur singula genera ex singulis vetustis libris originem duxisse. Cui sententiae quae mihi videantur obstare, libere exponam.

Primum per se mirum videtur, si libri vetustissumi omnes ex eo exemplari transscripti sint, quod inter tria maxume mutilatum fuerit, tum demum plenior liber repertus sit, ad quem iam libri exarari soliti, denique extremo medio aevo tertium exemplar ex tenebris in lucem prolatum, quod omnium plenissumum fuerit, indeque paucissumi libri exscripti. Ad quae illud accedit, quod libri generis secundi et tertii in eis partibus, quas cum primo communes habent, nullam fere diversitatem scripturae ostendunt, quod non ita intellectum volo quasi recentiores libri non multis locis conrupti atque interpolati sint, hoc dico, interpolationes et conruptelas omnes eius modi esse, ut ex eis, quae in scribundo accidere soleant, satis commode explicari possint, quaeque meliora et probabiliora sint talia, quae homo paulo peritior ac sagacior coniectando facile invenire potuerit [1]); in quo illud non

1) Nulla in re maior dissensus est, quam in ordine verborum, cuius discrepantiae partem ab scholastica tractatione originem ducere, qui in vetustioribus codicibus litteris superscriptis constructionem verborum praeiri viderit, intelleget. Haut raro librarios elegantiam quamdam captasse nemo infitiabitur. Quo cautius lex illa diplomaticae artis sequenda est, qua inmutatum ordinem verborum pro indicio glossematis habere iubemur. Ceterum quo certius de codicibus, quorum scripturae in hac editione non adnotatae sunt, indicetur, simul quo iure recentioris generis non plures conferendos putaverim, de duobus locis Iug. haec addam. Iug. igitur 73 extr. Parisini 5747, 5762, 6091, 6093 exhibent *sed paulo ante senatus numidiam provinciam decreverat*, 5749 *sed paulo ante nobilitas decio decreverat*, 5750 *sed paulo decio decreverat senatus*, 5760 *sed paulo* (sup. *ante*) *decreverat senatus*, 5761 *sed paulo decreverat*, 6086 *sed paulum decreverat*, 6087 *sed senatus paulo antea decreverat* (sup. *numidiam provinciam metello*), 6089 *sed paulo ante nobilitas numidiam provinciam metello decreverat*, 6090 *sed senatus decio metello paulo decreverat* (corr. *s. sen. metello numidiam prov. paulo ante decreverat*), 6094 *sed senatus paulo ante decreverat* (subpl. a po. ma. *numidiam metello*), 6096 *sed senatus paulo ante metello numidiam provinciam decreverat*, 6097 *senatus sed paulo decreverat*, 6100 *sed paulo ante senatus decre-*

neglegendum est quo vetustior aliquis liber sit, eo magis cum primo genere consentire. Set illud Iugurthae extremae partis subplementum multo vitiosius est, quam omnes relicuae partes. Quid igitur? Num veri simile est, aut eum librum, unde illa pars sumpta, in ea sola vitiosum fuisse, aut relicuas partes ex meliore codice correctas vel contaminatas? Utrum statuas, illud concedendum est recentiorum codicum testimonia advorsus vetustiores nihil valere.

Set quid si via pateat, qua et illud, quod nemini non mirum videatur, commode explicari et quo modo lacunae illae expletae sint coniectura veri simili explanari possit? Ut de Iug. 44, 5 primum dicam, nonne qui aliquam latini sermonis scientiam haberet, primo statim adspectu intellegere debebat, ante *neque more militari* cet. alterum membrum ab *neque* incipiens excidisse? Et itane difficile fuit, quale illud fuisset ex eis quae praecedebant divinare? Quid autem? nonne eidem libri, qui verba illa *neque muniebantur ea* exhibent, etiam Cat. 6, 2 quod ab docto homine adnotatum fuerat, in textum inlatum habent? Quid, si verba *neque muniebant* in vetustioribus libris ad marginem scripta sunt, et alia documenta ostendunt librarios lacunam explere conatos esse (Roth. l. c. p. 133 n. 7)? Utrum igitur veri similius, paucos illos et eos novissumos libros, qui lacunam Iug. 44, 5 expletam habent, ad antiquissumum exemplar, quod omnes per quattuor saecula doctos latuisset, exaratos esse, an subplementum illud ab margine vetustioris libri inlatum vel potius recte receptum esse?

De secundo autem genere quo rectius iudicemus, illud considerandum est etiam vetustissumos codices, in quibus ampla illa lacuna est, omnes in extrema Iugurthae parte vitiosiores esse, ut coniciundum sit archetypi ultima folia mutila, pallidis atque obscuris litteris conscripta, atque adeo male habita fuisse. Quid igitur? Si eius libri folia, quotquot fuere (vid. p. 1), aut cum excidissent, aut quod falso loco ingluti-

verat numidiam metello, 6101 *sed paulo ante metello senatus decreverat*, 6103 *sed paulo ante senatus numidiam metello decreverat*, 6253 *sed senatus paulo metello decreverat numidiam*, Ars. 73 *sed senatus paulo ante decreverat numidiam metello*, 74 *sed paulus senatus ante numidiam provinciam metello decreverat*. Ex qua farragine nonne quam lubidinose quae legi non possent subpleta sint adparet? — Iug. 93, 4 *perscribit* tuentur 5747, 5749, 5761, 6086, 6089, 6090, 6092, 6093, 6094, 6098, 6099, 6100, 6101, 6104, 6253, 6254, 8609, Ars. 74. *perscribit* (sup. *al. prospicit*) 5758, 6091, *inscribit* 5750, *pervenit* 5760, *describit* 5762, *perspicit* 6087, *scribit* (sup. *proscribit, considerat in animo)* 6097, *proscribit* (corr. *scribit)* 6103, *perscripsit* Ars. 73.

nata essent, latuere, dum reperta et tum vel mutili libri subpleti vel novi pleniores exarati sunt, nonne et quo modo factum sit ut illa pars postea inventa relicuis vitiosior sit et cur secundum genus in ceteris partibus ab primo genere non ita discrepet, planius atque apertius est, quam si suam cuique originem fuisse statuas? Ad quam suspicionem confirmandam etiam illud pertinet, quod iam ante quam unde omnis lacuna expleretur inventum esset, librarios quae deessent quaesivisse ostendunt libri P^2P^3B, in quibus ex libro eius generis, cuius est 𝔅, Bocchi oratio c. 110 perscripta invenitur; neque incredibile est archetypi illa folia, quamvis excidissent, tamen non deleta esse.

Haec igitur mea sententia est, ex archetypo cum excidissent nonnulla folia, primi generis libros conscriptos esse, tum cum folia illa reperta essent, alterum genus natum esse, postremo ex margine verba illa tria Iug. 44, 5 in textum scriptoris recepta esse. Quae sententia, si etiam plures libri reperti vel diligentius explorati fuerint, aut confirmabitur aut infringetur. Interim quo iure mihi hanc legem scripserim, ut nisi sententia obstaret, codices vetustissumos sequendos putarem, benivoli lectores iudicent.

Cap. II.

De locis in quibus aliquid excidisse vel alii viri docti iudicarunt vel ego suspicatus sum.

Cat. 3, 5 et alii viri docti et ipse ego olim cupide adripuimus scripturam nonnullorum librorum *eadem qua*. Set recte homo dicitur aliquem *probris omnibus maledictisque vexare* (Cic. pr. Flacc. 20, 48), an Sallustius de cupidine honoris idem dixerit tam diu dubitandum videtur, dum simili exemplo prolato ostentum fuerit Romanorum scriptores pedestres animi cupiditati id, quod aliquis agendi sua ratione ab illa cupiditate profecta apud alios homines sibi contraxisset, tribuendum putasse. Ac cum optumi et vetustissumi libri *eadem quae* exhibeant, nonne ablativus ab eis scriptus videtur, qui orationem hiulcam et claudicantem emendare studerent? Nam profecto *eadem quae* ferri non potest, nisi Linkeri ratione, qui *eadem* pro ablativo habendum et ad *quae ceteros* mente *quae* (fama atque invidia) *ceteros propter malos*

mores vexabat subplendum censuit (Act. gymn. Austr. VI p. 43), contortiorem fieri orationem negas. Quid igitur veri similius quam propter litterarum similitudinem aliquid excidisse? Quod intellegens Gerlachius ed. novissumae praef. p. XVII *eademque quae* coniecit. At ita non illud exprimitur, quod sententia flagitat, Sallustium, quod eadem cupidine honoris qua ceteri captus fuisset, etiam eadem qua illos fama atque invidia vexatum esse? Cui quid melius satisfacit, quam si ab Sall. scriptum statuas *honoris cupido eadem eademque quae ceteros?*

Cat. 5, 9 quicumque verba *ut paulatim inmutata ex pulcerruma pessuma ac flagitiosissuma facta sit* adtente legerit, quod aequabilitas membrorum, cuius Sallustius studiosissumus est, violata sit, offendet. Ea servata est in codice omnium vetustissumo P, qui *ex pulcerruma pessuma facta sit* exhibet; at quo minus hoc ab Sallustio scriptum putemus, cum aliae caussae obstant, tum Augustini (de civ. d. II 18) testimonium. Unde non dubium est, quin verba *atque optuma* cum Sellingio lectt. Sall. p. 7 et Linkero recipiunda sint. Num igitur pauci recentiores libri, qui ea tenent, ad antiquius et plenius exemplar exarati esse censendi sunt? Minume. Quae inter eos intercedit scripturae divorsitas, satis *optima* ab margine inlatum esse ostendit.

Set Cat. 6, 2 Rothius post *coaluerint* ex paucis libris novissumae aetatis inserendum esse censuit: *ita brevi multitudo divorsa ac vaga concordia civitas facta erat.* Quam sententiam Gerlachius ed. IV praef. p. XI sq. recte refutavit, quamvis, uti fieri solet studio redarguendi, nimis acutis nimisque multis argumentis usus. Nam Sallustianae orationis speciem ea verba prae se non ferre, nec connexui narrationi apta esse, nemo nisi qui praeiudicata opinione Sallustio vindicare studeat infitiabitur. Simul Augustinum (Ep. V vol. II ed. Erasm. p. 1: al. Ep. CXXXVIII), apud quem illa verba leguntur, ea ex Sallustio non sumpsisse satis certum est propterea, quod cum paulo antea scriptorem nominasset, non *apud eos*, set *apud eum* vel *illum* dicturus fuit. Ex eodem potius fonte hausta esse atque quae Lactantius Inst. VI 1(13 sqq. protulit, veri simile; Ciceronis esse — quae fuit Maii sententia locum Cic. d. Rep. I 25, 39 eis referciundum censentis — non incertum, verum incredibile. Nec mirum talia ab librariis in Sallusti verba inlata esse, cum ad marginem locos ex aliis scriptoribus excerptos adscriptos esse conpertum habeamus (vid. supra de m[1]).

Cat. c. 18 duobus locis mutilum esse censeo. Primum enim verbis §. 3 *erat eodem tempore Gn. Piso, adulescens nobilis, summ*

audaciae, egens, factiosus, quem ad perturbandam rem publicam inopia atque mali mores stimulabant, miror *erat eodem tempore* cum tam gravi numero omnibus praeposita. Quod si Sallustius exprimere voluisset vixisse eodem tempore Pisonem, ut nonnulli interpretes arbitrati videntur esse, id dicere paene ridiculum fuit. Neque, ut omittam locos Cat. 17, 7. 36, 4. 55, 3. Iug. 47, 1. 48, 3. 89, 4. Cat. 23, 3. Iug. 71, 3, quos divorsos esse quivis perspicit, conparari poterit hic locus cum Cat. 17, 5 *erant praeterea conplures paulo occultius huiusce consili participes nobiles, quos magis dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo* et 39, 4 *fuere extra coniurationem conplures, qui ad Catilinam initio profecti sunt.* Nam quae de Cn. Pisonis ingenio et moribus conmemorantur, certe in multis aliis infuere, qui aetate, auctoritate, potentia ad coniurationem adiuvandam magis quam ille idonei essent: illud dicundum fuisse adparet, eum per fortunam ministrum Catilinae et Autronio oblatum fuisse. Quod non exprimitur, nisi ubi fuerit tum Piso adicitur. Igitur si *Romae* vel *in urbe* excidisse statuerimus, simillumus hic locus fiet Cat. 21, 3 *esse in Hispania citeriore Pisonem.* Iug. 35, 1 *Erat ea tempestate Romae Numida quidam, nomine Massiva.* 65, 1 *Erat praeterea in exercitu nostro Numida quidam, nomine Gauda.*

Tum §. 6 verba *ea re cognita* quod sciam omnes ita interpretati sunt, ut consilium caedis patefactum fuisse eamque ob caussam coniuratos illud distulisse dici arbitrarentur. Cui obstat primum usus verbi *cognoscere*, quod passive ita ut significaret patefieri, evolgari, rumore accipi, nusquam dictum est, tum ratio grammatica. Cum enim latini scriptores hanc legem diligentissume observaverint, ut ablativi absoluti semper ad idem subiectum referrentur, nisi quo pertinerent per se satis perspicuum esset (Fabri ad Iug. 10, 1), vide ne Sallustio indignum sit tantam ambiguitatem ei tribuere. Set, id quod multo gravius est, res obstat. Etenim si iam ante Kalendas Ianuarias coniuratio patefacta fuisset, quid quod in volgus nota, ut *cognita* significare necesse esset, num credibile est, nihil prorsus de ea re publice actum fuisse, ita caussam neglectam esse, uti coniurati consilium suum in Nonas Februarias, tam propinquum tempus, differre auderent? (Cfr. Hagen Catil. p. 99.) Narrat praeterea Cassius Dio (XXXVI 27. Vid. Drum. V p. 396. II p. 88 et 515) novos consules, cum de periculo aliquo conmoniti essent, Kalendis Ianuariis cum praesidio armatorum in Capitolium ivisse, eamque ob caussam coniuratos rem distulisse? Quod si statueris ante *ea re cognita* id narratum fuisse set malo casu exci-

disse, et oratio recte se habebit neque res ulli dubitationi obnoxia erit [1].

Admirabilia porro sunt, quae Cat. 28, 1 leguntur, *G. Cornelius eques Romanus operam suam pollicitus et cum eo L. Vargunteius senator constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem ac de inproviso domi suae inparatum confodere.* Quid enim? illi homines tam stolidi fuere, ut cum armatis ad Ciceronem introire et tamen salutationem se simulare posse crederent? (Cfr. Hagen l. c. p. 6 extr.) Quid porro? itane vecordem Sallustium credis fuisse, ut tam inepta narrare potuerit? Quamvis in aliis longe ab Sallustio discrepent, tamen multo prudentius eam rem narrarunt Appian. b. c. II 3 p. 538 Bekk. *Λέντλον μὲν αὐτὸν καὶ Κέθηγον ἐφεδρεῦσαι ταῖς Κικέρωνος θύραις περὶ ἕω μετὰ κεκρυμμένων ξιφιδίων, ἐσδεχθέντας δὲ διὰ τὴν ἀξίωσιν καὶ λαλοῦντας ὁτιδὴ μηκῦναι τὴν ὁμιλίαν ἐν περιπάτῳ καὶ κτεῖναι περισπάσαντας ἀπὸ τῶν ἄλλων*, et Plut. Cic. 16 *Μάρκιον δὲ καὶ Κέθηγον ἐλθεῖν ἐπὶ τὰς θύρας ἕωθεν ὡς ἀσπασομένους τὸν Κικέρωνα καὶ διαχρήσασθαι προσπεσόντας* (cfr. praeterea Cass. Dio XXXVII 32). Cum iam librum de Catilinae coniuratione etiam aliis locis mutilum esse cognoverimus, iniuriane scriptorem summis ineptiis liberare videbimur, si excidisse in eius libris statuerimus, quod ad quem usum illi hominum armatorum comitatum postulavissent contineret?

Cat. 32, 1 cum ceteri editores tum ego certatim nos torsimus in defendundis atque explicandis verbis *neque insidiae consuli procedebant*, set frustra. Nam sive dativus ab substantivo pendere putatur, insolentior constructio est, quia *insidiae* non ab *insidiari* ducitur, ut *intercessor* ab *intercedere*, *obtemperatio* ab *obtemperare*, relicua quae cum hoc loco conparavere Krüger Gr. lat. §. 362 not. p. 482 sq. Weissenborn Gr. lat. §. 303 n. 3, sive ad verbum referundus censetur, verbi *procedere* usus obstat, cum quo dativus iunctus nusquam non significat eum, cui aliquid utilem et bonum successum habeat, fructum et utilitatem praebeat, nec recte conparatur infr. 2 *insidias consuli maturent*, quoniam in *maturare* inest notio mature parandi, neque conferri possunt, de quibus disputavit Madvig. Gr. lat. §. 241 adn. 2 [2]. Iam qui naturam librorum manu scriptorum noverit, non dubitabit, quin

1) Nihil in hac quaestione tribuendum esse ei rei, quod in g⁴ ante *ea re* rasura est, vix est quod moneam.

2) Ne quis obponat Atti fr. 214 ed. Ribb. *multae insidiae sunt bonis*, moneo longe aliud esse quod mihi sit, quam quod mihi procedat.

excciderit participium passivi, unde pependerit dativus *consuli*, idque fuisse suspicor *intentae*, quod ob simile initium post *insidiae* facile omitti potuerit.

Recipiundum porro fuit cum Linkero Cat. 36, 1 cognomen *Flammam*, quamvis in duobus tantum libris [1]) inventum esset, quippe cum multo veri similius videatur id propter similitudinem litterarum excidisse, quam vel ab docto grammatico adscriptum vel ex dittographia natum esse. Id cognomen in nonnullis gentibus fuit, ut in Volumniorum (Fast. Capit. ap. Grut. 291), Antoniorum (Tacit. Hist. IV 45), Calpurniorum (Zonar. VIII 12. Flor. I 18, 13 al.).

Similis locus est Cat. 53, 1, ubi *effeta parentum* nemo satis commode explicavit. Neque enim ablativus *effeta* recte ad *Romae* refertur, neque genetivus recte ab *effeta* suspenditur, neque qui anacoluthiam statuere *(Sellingius)*, ullam caussam invenere qua Sallustium ab instituto deductum esse demonstrarent. Quod persentientes alii alio modo locum sanare conati sunt. Set in tanto omnium librorum consensu nonne veri simillumum videtur vocabulum ob similitudinem litterarum ab librario archetypi omissum fuisse? Qua re ego conieci scribundum esse: *effeta aetate parentum*, quod Kritzio viro summo probatum esse laetor.

Cat. 57, 4 omnes Sallusti libri, quorum aliqua fides est, quid quod Prisciani XVIII p. 1197 P. p. 240 Kr. exhibent *neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur;* quae pervorsa esse nemo non intellegit; nam qui magno exercitu quamvis locis aequioribus eos qui expediti fugiant sequatur, si non procul absit miraculi instar est. Quare omnes fere viri docti paucorum librorum scripturam *expeditus* amplexi sunt, recteque Kritzius intellexit cum hoc coniungenda esse verba *locis aequioribus*. At tum *in fuga* prorsus non habet quo commode refera-

1) Hic codicis m cum Nazariano consensus non minumi momenti est ad confirmandam eam quam supra de origine secundi generis protuli sententiam, nisi forte quis m contaminatum esse ex Nazariano contendit, id quod eo minus credi potest, quia ut alia omittam, Cat. 17, 1 quod in Naz. omissum est *singulos*, in m ad marginem adscriptum. Ceterum quo facilius quam saepe in eo genere libri peccaverint intellegas, cfr. var. scr. Cat. 39, 2. 41, 1. 51, 42 ubi *in* vel in Vaticano propter sequens *illis* excidisse adparet. Quare non est cur Iug. 16, 3 *in inimicis* pro *in amicis* restituere dubitemus. Vid. Selling. lectt. p. 22. Dici vix potest quot vitia ex more librariorum syllabarum earundem si concurrerent semel tantum scribundarum orta sint.

tur, quibus verbis si Sallustius exprimere voluisset: cum hostium fuga esset, merito in vituperationem incurreret. Iam locus postulat, ut hoc dicatur: Antonius haut procul aberat, id quod non mirandum, quoniam et magnas copias habebat (ut semper essent, qui praemitti possent) et locis aequioribus expeditus iter faciebat, contra hostes in fuga *(per montis asperos)* inpediti erant. Cum igitur libri *expeditos* exhibeant pervorse, nonne veri simile videtur, scribundum *expeditus inpeditos?* qualia apud latinos scriptores frequentissuma esse vix est quod moneam.

Quam facile ex libris aliquid exciderit, testimonio est etiam Cat. 60, 7 ubi nomen Catilinae, quo careri nullo modo potest, cum in archetypo omissum esset, in aliis libris alio loco interpositum est. Cfr. Selling. em. p. 36.

Admodum autem memorabile est, Diomedem p. 325 P. et Charis. p. 159 Keil haec verba Sallusti proferre: *alis alibi stantes omnes tamen adversis vulneribus conciderunt* [1]. Quorum cum ultima Cat. 61, 3 legantur, admirandum est, quod in libris praecedentium ne vestigium quidem reperitur. Quid igitur? num grammatici illi errore Sallustio tribuere, quae alius scriptoris essent? Vix credibile est, inter duos scriptores ita convenisse. An quod in Sallusti libris ex glossa ad *paulo divorsius* adscripta inlatum esset, pro ipsius scriptoris verbis habuere? Ne hoc quidem veri simile est, glossatorem antiqua et obsoleta forma *alis* (cfr. de ea Priscian. p. 1014. Lachm. ad Lucr. IV 637 p. 249) usum esse. An quae Kritzii fuit sententia Fr. inc. 94 p. 392, Sallustius eadem verba paululum variata in Historiis repetiverat? Non prorsus haec sententia veri specie caret, quod apud grammaticos illos in quo libro ea verba fuerint non dictum est, in Historiis autem multas res scriptor narravit, ad quas ea aptissuma essent, nec desunt denique exempla earundem sententiarum ac locutionum repetitarum (cfr. Fr. I 45, 7 Kr. cum Cat. 52, 9, Fr. III 82, 13 cum III 1, 8, I 51, 9 c. Cat. 51, 11 [2]). Accedit quod *paulo divorsius* idem atque *alis alibi stantes* significare videtur. Verum tamen cum lacunosos libros manu scriptos Catilinae esse cognoverimus, ea verba, quae grammatici illi commemoraut, ex eis excidisse certe non minus veri simile est [3]). Ac quamvis nemo nisi grammatici illi praeberent ea desideraret, tamen

1) Quae ap. Charisium est verborum discrepantia, nihili videtur facinnda.

2) Fr. inc. 13 omittundum puto, Servium ad Iug. 106, 3 respexisse ratus.

3) Ipse Kritzius, cum verba illa inter fragmenta in ea editione, quae Lipsiae 1856 prodiit, non rettulerit, sententiam suam videtur abiecisse.

nihil video quod vituperemus. Cur *divorsius stare* minus recte dicatur quam *divorse iacere* (Bell. Afr. 40 extr.) non magis intellegitur, quam qua re scriptor *divorsius* adiuncto *alis alibi* inlustrare noluerit, cum simili abundantia scripserit Iug. 46, 4 *legatos alium ab alio divorsos adgreditur*, 50, 5 *sese recipiebant — alius alio quam maxume divorsi*, 101, 2 *quia divorsi redeuntes alius ab alia parte atque omnes idem significabant*. Neque illud recte obponetur, iam 60, 5 scriptum esse *eosque perturbatos atque alios alibi resistentis interficit*. Quid enim? nonne scriptori hoc loco, ubi de virtute quae fuisset in exercitu Catilinae dicebat, postquam conmemoravit fere omnes suum quemque locum corpore texisse, illud repetere licebat paucos modo disiectos non uno eodemque loco restitisse, set omnes tamen advorsis volneribus concidisse? Et quem ad modum inter nostrates füere, qui cum opinionem quamdam de Sallusti brevitate inbibissent, quidquid liceret eiecere, quidni iam antiquioribus temporibus idem factum esse credamus?

Iug. 1, 5 *Quodsi hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa petunt, periculosa* sententiae non satis facere persensere ei viri docti qui paucissumorum librorum [1]) scripturam *perniliosa* probavere, Döderlein. Mus. Rhen. 1829 p. 15. Linker Act. gymn. Austr. VI p. 45. At si *perniliosa* scribitur, tamen violata ac laesa est membrorum aequabilitas, cuius Sallustium studiosissumum fuisse iam supra monitum est. Prospera igitur fortuna accidit, ut apud August. Ep. LIV T. II ed. Bas. p. 160, ubi verba haec Sallusti, quamvis eo non nominato, repetuntur, legitur *periculosa ac perniliosa*, quorum alterum in libris excidisse non mirum est. Quibus receptis et aequabilitas membrorum restituitur et chiasmus, cuius scriptor non minus amans fuit. Adparet enim nihil profuturis respondere periculosa, perniliosa alienis, i. e. quae nihil ad bene beateque vivendum pertineant.

Iug. 47, 2 *Huc consul simul temptandi gratia et si paterentur oportunitate loci praesidium inposuit* secundum Gruteri emendationem plerique scripsere. Quae ut paucis atque adeo vetustis codicibus confirmetur, tamen cum magnus plerorumque consensus *oportunitates* exhibentium dubitationem movet, tum sententiae ratio. Etenim oportunitas loci caussa fuit, ut Metellus Vagenses potissumum temptaret, eam tum accessisse si illi paterentur perversum est. Debebat Sall., si tale aliquid exprimere vellet, scribere: ratus si paterentur locum

1. Praeter γ nullum novi nisi quem Döderl. conmemoravit.

se oportunum habiturum, sin minus animos eorum cogniturum (cfr. 88, 4). Quod cum intellexisset Könighoff crit. et. exeg. progr. Trevir. 1854, viam emendandi praeivit, ostendens *et* ab librariis interpositum esse, qui usum particulae *si* post verba, in quibus experiundi notio est, ignorarent. Cuius usus quamvis nullum aliud ap. Sall. exemplum inveniatur, tamen ita pervolgatus est, ut quin ita ille dixerit dubitari nequeat. Set restabat *oportunitates*, quod ferri nullo modo posset et tamen librorum fide munitum esset. Quid igitur veri similius quam excidisse *ob* praepositionem, id quod iam antea viros doctos intellexisse cognoscitur ex I. Rectissume igitur hoc probavit Gerlachius ed. IV praef. p. XXIII extr.

Iug. 53, 5 quae in paucis et eis deterioribus libris inventa est correctio *fessi lassique erant* [1]), ita adridet, ut non miremur quod plerique eam adripuere. At quamvis mirifice saepe scribentium lapsi sint calami, tamen quo modo *lassi* in *laeti* conrumpi potuerit, tam difficile est ad intellegundum, ut si alia pateat via, ea utique ingrediunda sit. Nonne igitur laetitia victoriae eam vim in militum animos habet, ut omnia alia neglegant? Veteres certe id opinati sunt. Nam ap. Liv. XXII 6, 9 T. Manlius Torquatus *et cum fessis* inquit *pugnando hostibus, tum victoria laetis et ipsis plerisque regressis in castra sua noctem ad erumpendum liberam habuissent* cet. Unde quo iure ego apud Sallustium post *laetique* excidisse vel *victoria* vel quod simile esset iudicem lectores statuant.

Iug. 55, 4 *ita quo clarior erat eo magis anxius erat* nemo quidquam reprehendet aut desiderabit. Set cum boni libri *eo magis animus anxius*, alii *eo magis animosior*, alii *eo animosior* exhibeant, veri non dissimile videtur in archetypo *animo anxius* scriptum fuisse. Quid quod *animo* aptissume adiectum videtur quippe quo significetur, claritudine Metelli animum non elatum set cautum et providum factum esse. Alio modo *animi anxius* dictum est Fr. inc. 75 Kr. ap. Arus. p. 216 L.

Iug. 63, 6 *consulatum* in optumis libris deest, quamquam eo vocabulo carere nullo modo possumus [2]). Nam cum Kritzius monuit quoniam cum in toto capite, tum praecedentibus verbis *ampliore quam gerebat dignus* de consulatu sermo esset, facile id vocabulum mente sub-

1) Correctoris esse etiam inde, quod in B super *laetique* scriptum est *lassati*, adparet.

2) Ut de hoc loco statim absolvam perturbationem ordinis verborum ab mendo cod. P¹ profectam esse moneo.

pleri, et 64, 1. Cat. 21, 5. 26, 5 *petere* et *petitio* similiter dictum esse, neglexit primum haec de Mari superiore vita narrationi ab scriptore interposita esse, id quod ex *set* §. 3 adparet, tum cum in praecedentibus Sallustius non narraverit Marium praetorem fuisse, *ampliorem potestatem*, qua dignus habitus sit, quemvis maiorem magistratum esse posse, de consulatu ut cogitetur nihil prorsus cogere, denique libris manu scriptis non *petere* set *adpetere* praeberi. Scilicet his verbis ad supra dicta revorsus scriptor Marium, quamvis in eo omnes virtutes inessent, tamen consulatum, cuius ingenti cupidine exagitaretur, non modo non petere i. e. nomen inter candidatos profiteri, set ne adpetere quidem, prorsus nihil quod ad eum capiundum pertineret facere ausum esse dicit. Cfr. Cat. 14, 5. Iug. 14, 5.

Iug. 67, 1 qui consideraverit, codicum optumorum et vetustissumorum esse *Romani milites*, *inproviso metu*, *incerti ignarique quid potissumum facerent*, *trepidare*, *arcem oppidi*, *ubi signa et scuta erant*, *praesidium hostium*, *portae ante clausae fugam prohibebant*, *ad hoc mulieres puerique pro tectis aedificiorum saxa et alia*, *quae locus praebebat*, *certatim mittere*, praepositionem *ad* ab librariis ad subplendam mutilam orationem adiectam esse eo facilius sibi persuadebit, quod illa recepta non omnes difficultates removentur. Nam si cum Cortio *trepidare ad arcem* (Liv. IX 37, 9 *ad arma trepidantes*) coniungas, ubi illud praesidium hostium, quod fugam prohibebat, fuerit, prorsus non intellegitur. Sin Kritzii sententiam *ad arcem* — *praesidium hostium* coniungenda censentis probaveris, illud offendit, quod cum trium horum membrorum, quibus cur milites trepidaverint inlustratur, posteriora suum quodque verbum habeant, id in primo aegre desideratur. Qui vero *ad* eiciundum decrevere, set *arcem* ad *prohibebant* rettulere, zeugmatis genus statuere apud Sallustium certe inauditum. Quid igitur restat, nisi ut hoc loco idem accidisse iudicemus, quod aliis factum esse cognovimus, ut post *hostium* verbum exciderit? quod *obsidebat* fuisse ab veri specie non prorsus abhorret, nisi forte, ut caussam omissionis veri similiorem invenias, *praecludebat* mavis.

Novo exemplo inperium belli Iugurthini ad Marium iussu populi translatum est. Quae res obscura est, cum quicumque de ea memoravere scriptores nihil aliud nisi belli ab Metello paene iam patrati inperium Mario traditum esse narraverint (vid. Freinshem. subpl. Liv. LXV 50). Metellus enim, cum a. 109 consul esset eique provincia Numidia evenisset (43, 1), comitiorum mora (44, 3) et adparatu militari (44, 2) inpeditus eo tempore in Africam venit, quo aestivorum tempus

iam inminutum esset. Et cum exercitus prius maiorum disciplina laborare cogendus fuerit, pugnam ad Muthul fluvium (48—54) et obpugnationem Zamae (56—61) a. 108 factas esse necesse est (cfr. Mommsen Hist. Rom. II p. 140 not.). Post eas res gestas in hiberna eum discessisse et senatum de provinciis consultum ei Numidiam decrevisse narrat Sallustius 61, 2 et 62, 10. Ex quo satis adparet ei inperium in annum 107 ab senatu prorogatum esse. Iam Mario vaticinium illud, quo ad petundum consulatum confirmatus est, cum *per idem tempus* editum esse dicatur (63, 1) [1], non potest nisi in hibernis ei evenisse, praesertim cum Uticae deis eum subplicavisse Sall. referat. Cum petitio missionis aliquamdiu ab Metello reiecta et tandem cum bellum tamquam integrum pararetur dimissus sit, necessario statuendum est eum non multum ante comitia consularia — fortasse eo anno ut superioribus per tribunos inpedita — Romam venisse, nec minus proelium, quo rursus Iugurtha victus est, expugnationem Thalae, denique foedus ab Numidarum rege cum Boccho initum a. 107, quo Marius consul fuit, facta esse. His factis demum Metellus provinciam Numidiam Mario datam esse conperit (82, 2). Manufestissumum ergo est Metello inperium non a. 107, set in a. 106 abrogatum esse, id quod praeclarissumus rerum Romanarum inlustrator Th. Mommsenius (II p. 145 extr.) verissume contendit. Id confirmatur etiam eo, quod si ante quam Iugurtha ad Bocchum confugere coactus esset Metello provincia adempta esset, non recte iam parta victoria ei erepta (82, 3) nec magis bellum paene patratum (Vellei. II 11) diceretur. Quod si T. Manli Mancini rogatione Mario in annum 106 belli Iugurthini inperium datum esse certum est, Sallustium rem non prorsus cognitam habuisse inde adparet, quod eum consulem bellum gessisse narravit, quamquam id quidem levius est, quoniam adeo ubi de rebus certe non ante a. 106 extremum gestis conmemoravit (103, 4. 104, 2. 109, 2), neglegentius eundem consulem adpellavit. At valde dolendum est, quod quid de ipsa ademptione provinciae narraverit, nescimus. Nam Iug. 63, 7 archetypum mutilum fuisse elucet, quia vetustissumi libri omnes nil nisi *set paulo decreverat* exhibent, et quae ex aliis libris in var. scr. et supra p. 13 n. 1 protuli, librariorum conmenta esse vel ex ordinis verborum gravibus perturbationibus adparet. Set si quid scriptum fuerit divinare velimus, eo magis cautio adhibenda est, quod ne turpissumum errorem scriptori adfingamus verendum est. Nam si nihil aliud scriptum fuisse

1) Plut. Mar. 8 ante quam dimissus ab Metello Uticae navim adscenderet, subplicationem illam factam esse conmemoravit.

opineris nisi Metello Numidiam provinciam ab senatu decretam fuisse, facile videatur senati decretum, quod ipse 62, 10 conmemoravit, cum altero posteriore confudisse. At provinciam ei prorogatam fuisse, cum ex eis verbis Sallusti adparet quae nobis servata sunt, tum inde quod nisi inperium in a. 106 prorogatum fuisset idque futurum esse tantum sperasset, non potuit contumeliam sibi factam indignissumam conqueri (vid. orat. eius ap. Gell. XII 9. Sall. Iug. 82, 3). Set eum omnia circumspicimus, vestigium invenimus, quod viam ostendat, qua ad veri similem coniecturam veniatur. Recentior enim primi generis librorum familia uno consensu *set senatus paulo decio decreverat* praebet. Quod ab librariis fictum esse cum prorsus incredibile sit, neque illo tempore Decius homo inlustris et praeclarus fuerit, in archetypo fuisse, unde *decio* conruptum sit, manufestum est. Atque in promptu coniectura est, illud *denuo* fuisse. Res igitur hoc modo videntur actae esse: Cum Marius consul factus esset, senatus quamvis lege Mamilia nobilitas fusa et Mari petitione perculsa esset (65, 5 et 73, 7), tamen quo vel Metelli famam defenderet, vel id quod veri similius, Mari inportunitati et partium studiis resisteret, Metello inperium prorogandum decreverat. Qua re exacerbatus T. Manlius Mancinus ad populum tulit eiusque iussu inperium belli Africani ad Marium translatum est. Quae suspicio duobus argumentis confirmatur. Primum enim cum qui illa aetate populum tractabant, G. Memmius, G. Mamilius, alii cum summa modestia et continentia et ita ut leges ipsi diligentissume observarent, nobilitatem inpugnaverint, eos sperasse fore ut sua sponte senatus Mario Numidiam decerneret, et tum demum cum contra spem ne Metello succederetur decretum esset, rationem asperiorem iniisse prorsus credibile est. Tum Marius postquam ad eum inperium delatum est, tam vehementer in nobilitatem ea oratione, quam Sallustius c. 85 perscripsit, ingressus est, ut necessario statuendum videatur eum, cum multum de eius ingenio ac virtute agitatum esset, exacerbatum fuisse. Quae si probaverimus, manet in Sallustio illud obprobrii eum in temporibus observandis minus diligentem fuisse, set res adcurate eum explorasse cognoscitur.

Iug. 78, 2 *quorum proxuma terrae praealta sunt, cetera uti fors tulit, alta, alia in tempestate vadosa* plerique interpretes *uti fors tulit* et *alia in tempestate* inter se aequata esse dixere summamque scriptoris artem orationis variandae admirati sunt. At mea quidem sententia fors utramque tempestatem, et qua alta et qua vadosa fiunt cetera loca, conplectitur, nec minus apertum mihi videtur, ea

quae forte muteutur, eis locis obponi quae semper praealta sint. Quam autem olim ipse inii expediundae difficultatis rationem, cum *alius* semel poni et ad praecedens membrum audiri dixi, eam nunc quidem abiiciundam censeo, quippe cum intellexerim, prorsus divorsa ab hoc loco ea exempla esse, in quibus cum antea de toto dictum est, tum de parte aliquid singulare adicitur (Liv. V 21, 4. Nipperdei ad Tacit. ab exc. d. Aug. I 17, 1). Igitur iam librorum manu scriptorum natura melius perspecta facile ad eam sententiam adductus sum ut *alia* excidisse statuerem. Quod cum exhibeant g² et l, tamen audacius aliquis inde eos ex meliore exemplari quam relicuos libros exscriptos esse opinetur; cautius videtur iudicare librarios quosdam quid sententia postularet acute perspexisse. Ceterum illi emendationi non nihil conmendationis accedit ab chiasmo, cuius Sallustium studiosissumum fuisse constat.

Iug. 81, 2 qui verba *eis atque aliis talibus dictis ad Cirtam oppidum iter constituunt, quod ibi Metellus praedam captivosque et inpedimenta locaverat*, uti volgo eduntur, legerit, profecto nemo offendet. Set multi eique boni libri *ibi Q. Metellus* praebent neque intellegitur quid tandem librarios movere potuerit, uti contra scriptoris constantem morem praenomen hoc loco adicerent. Scilicet cum in nonnullis libris atque in omnium antiquissumo P scriptum sit *ibique*, manufestum est, in archetypo id quod ad *ibique* adiunctum esset, excidisse et cum *q'* quid sibi vellet, non perspiceretur, inde praenomen illud factum esse. Et quid? num incredibile est, Metellum praedam, captivos, inpedimenta per conplura loca divisa conlocasse, praesertim cum inperatoris prudentiae sit cavere, ne captivi, si maiore numero in unum locum congregati sint, vel fugae vel tumultus occasionem inveniant. Quod si tale aliquid, ut *et in vicinis castellis* excidisse statuerimus, simillumus huius loci color est 89, 7 *id ibique et in omni Africa* cet.

Iug. 92, 11 cum verbum in altera parte codicum vetustissumorum prorsus omissum sit, in altera *peregit* legatur, set in P¹ posteriore manu additum, hoc non minus quam *patravit*, quod in paucis esse memoriae proditum est, non ex archetypo haustum, set ab ipsis librariis inventum esse, verbum in illo obscuratum fuisse aut excidisse adparet. Quod si in tali discrepantia, id quod minus consuetum est, quoniam inlustratione egere videbatur, ceteris praeferundum esse recte criticae artis magistri praecipiunt, quod in m inventum est *effecit* recipiundum videtur. Nam

insolentius dici *tantam rem effecit* nemo negabit, set simili modo Cic. Phil. II 42, 109: *statimque illa mirabilia facinora effecit.*

Pergo ad eum locum Iug. ubi libros manu scriptos lacunosos esse, quo est ingeni acumine primus ostendit Linkerus (Em. zu Sall. Vindob. 1854), c. 93, 8. Nam quamvis ex eis, quae infra narrantur, satis adpareat, quae Marius ad capiundum castellum Ligure auctore et duce instituit eo spectasse, ut Numidae ab tergo terrerentur magis quam inpugnarentur (94, 5), et quamvis cum aliis ex rebus, tum ex ipsa descriptione adscensionis (94, 2) exiguum numerum escendentium fuisse luce clarius sit, tamen quinque tubicinibus non plus quattuor centuriones praeter Ligurem comites datos esse cum per se incredibile videtur tum Frontini testimonio (Strateg. III 9, 3) redarguitur, quem quamquam Sallusti verba multis modis contraxisse et variasse manufestum est, tamen in re ab illo aberrasse prorsus ab omni veri specie abhorret. Quare Linkerus emendationem ab Oudendorpio propositam, set postea abiectam recepit: *itaque ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque militesque quam velocissumos delegit* cet. Quam sententiam, quamvis Kritzius adsensus sit, quo minus conprobem his caussis inpedior. Primum enim verba *praesidio qui forent* illud quod Linkerus voluit, qui praeessent et consilio negotium regerent, simul ne quid temere fieret caverent, significare nullo modo concedere possum. Nam *praesidere* recte is dicitur, qui in aliqua regione cum inperio est, quo aut hostium incursiones defendat aut seditiosos coerceat et obprimat, ut Cat. 57, 2 *Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno praesidebat* et Fr. II 28 (Metellus) *Titurium legatum cum cohortibus XV in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios* (cfr. praeterea Mützell. ad Curt. III 1, 20. V 2, 16); qui militibus in expeditione ita praesunt, ut ipsi neque stationem habeant, neque certam partem vel regionem curent, set suam operam adhibeant, *praesides* adpellari nequeunt. Et quos tandem ab centurionibus illis quattuor consilio rectos opineris, cum Liguri omnes parere G. Marius iusserit? An fortasse centuriones adiuncti sunt, ut ne aeneatores atque milites Liguri oboedire recusarent caverent? Profecto cum verbis *praesidio qui forent* eos significatos esse, qui tubicinibus, ne dum signa canerent inermes adeo ab infirmissumo genere occiderentur, volnerarentur, deturbarentur, armati additi essent, constans cum omnium scriptorum tum Sallusti usus demonstret, vocabulum *milites* non eo loco, quo Linkerus censuit, excidisse, set cum *centurionibus* coniunctum fuisse certissumum videtur. Tum quod in l *milium*, in h *milia* post *quinque*

scriptum est, parum grave est argumentum, cum G ostendat id supra scriptum fuisse, scilicet ab eo cui numerus nimis parvus visus esset. Certe inde non magis aliquid certi effici potest, quam ex scriptura codicis g[1] *quinque pedites numero* aut ex superscripto in g[2] *multi duū.* Quamvis igitur mihi veri similius videatur *milites paucos et* inter *praesidio qui forent* et *quattuor centuriones* excidisse, tamen tantum abest, ut Linkeri, viri amicissumi, laudem minutam velim, ut per eum mihi viam rationemque demonstratam esse libere atque ingenue profitear.

In Sulla c. 95, 3 dicitur fuisse *ad simulanda negotia altitudo ingeni incredibilis.* Altitudinem ingeni igitur Graecorum *βαθύτητα* esse, eum habitum ex quo nullo modo quid vere mente agitetur cognosci possit, rectissume ab Kritzio ostensum est (add. nunc. Döderl. ad Tacit. Hist. IV 86. Nipperdei ad Tac. ab exc. d. Aug. III 44. Alio modo altitudinem animi dictam esse Cic. ad Fam. III 10, 10. IV 12, 2 ostendit Fabrius). Verum enimvero ea ingeni virtus plerumque in celandis animi permotionibus cernitur. Quod secum reputans Kritzius sive coniectura sive ad codd. s[2]g[5]r fidem in novissuma editione *ad dissimulanda negotia altitudo ingeni incredibilis* scripsit. Set quamvis *dis* in omnibus vetustioribus libris omissum ac vitium in recentissumis demum correctum esse minume incredibile videatur, tamen cum verba illa ad rationem qua Sulla in eos, quibuscum consuetudinem quandam haberet, se gesserit pertinere ex eis cum quibus connexa sunt adpareat atque adeo inlustrari et amplificari calliditatis notionem, ut sequentia verba ad *amicitia facilis* spectare facile intellegatur, parum dictum videtur, si eum quae animum moverent atque angerent, prorsus recondidisse summaque constantia celasse significetur. Immo prudentia ac calliditas in hominum consuetudine non dissimulando solum, verum etiam simulando ostenditur et ad utrumque altitudo ingeni necessaria est, quippe qua ne vera animi sententia perspiciatur inpediatur. Set quid *negotia?* Num eadem sunt, a quibus eum numquam voluptatem remoratam esse supra scriptor dixit? Profecto eadem, set ut magis animi agitatio et permotio quae cum negotio coniuncta est ('Interessen'), quam agundi et perficiundi difficultas ac labor prematur. Ac qui vere callidus est, non modo sese aliquid studiose cupere simulare, quam quarum rerum adpetens sit dissimulare potest. Nonne igitur hoc ab Sallustio dicendum videtur fuisse: in Sulla summa calliditas fuit, quippe animi permotiones non minus simulare quam dissimulare ita potuit, ut nemo veram animi sententiam perspiceret, vel ut ipsius Sallusti verbis utar, fuit in eo animus cuius rei lubebat simulator ac dissimulator (Cat.

5, 4)? Quidni igitur simili lapsu, quo iam alios in libris vetustioribus omnibus errores natos esse vidimus, post *simulanda* excidisse *ac dissimulanda* statuamus?

Iug. 100, 1 vetustiorum librorum scripturam *Dein Marius uti coeperat in hiberna propter conmeatum in oppidis maritumis agere decreverat* non ita posse defendi ut ellipsis statuatur rectissume ostendit W. Kergelius N. Ann. LXXIII p. 451. Set in archetypo iam lacunam fuisse ex magno librorum primi generis consensu manufestum est, atque in illo verba obscurata fuisse ex P scriptura satis certo concludi videtur posse, quippe in quo etiam vocabula *ceperat hyberna* supra lineam scripta sint, ita ut adeo *in* ab librariis suo marte subpletum videatur. Antiquissumus liber, in quo lacunae explendae periculum factum invenitur, B est; nam si illud, quod in eo fuit, in archetypo perspicue scriptum fuisset, prior pars verbi credo non erasa esset, ex cuius rasurae ambitu *pergit* potius quam *proficiscitur* illud fuisse veri simile videtur [1]). Inde natum est *it*, quod ab P^2 per recentiores plerosque libros propagatum est, quod ferri vix posse recte Kergelius l. c. contendit. Set *proficiscitur*, quod nonnulli recentioris aetatis libri exhibent, vere ab Sallustio scriptum esse concedere non possum quia, ut in archetypo ab *proficiscitur* ad *propter* ob litterarum similitudinem aberratum esse non prorsus ab veri specie abhorrere largiar, tamen scriptoris diligentiae fuit, ut Marium in itinere perrexisse potius, a proposito suo (uti *coeperat)* proelio illo non abductum esse diceret, quam eodem verbo, quo supra 97, 3, uteretur, praesertim cum in eo itineris incipiundi magis quam continuandi notionem inesse ostenderim Obss. critt. in Iug. partem extr. Grimae 1845 p. 17. Etiam multo minus *quae* quod in eisdem recentioribus libris — set non omnibus — inditum est, ab Sallustio scriptum esse persuadere mihi possum, cum neque exemplum noverim, ubi *hiberna agere* dictum sit, id quod eo maiorem dubitationem conmovet, quia hiberna, i. e. castra hiberna, habentur potius quam aguntur, et Sallusti consuetudinis consideratio eo potius ducat, ut *agere* absolute dictum esse exspectemus. Igitur quid Sallustius scripserit, in incerto relinquendum est eo magis, quod quamquam unum tantum verbum excidisse veri simile est, tamen plura omissa esse nullo certo argumento negari potest.

1) Quod in P^3 superscriptum est *id*, inde luce clarius adparet in eo exemplari, unde uterque liber transscriptus est, quod sive ad marginem, sive super lineam sive in textu scriptum esset, legi non potuisse. Vid. sup. p. 5.

Iug. 108, 2 ante *quo res conmunis licentius gereretur* aliquid, certe integrum versum excidisse, iam olim Obss. critt. p. 30 sq. contendi. Quam sententiam, cui Kritzius adstipulatus est, cur nunc abiiciam, nullam caussam video. Nam quae ad defendundum *quo* prolata sunt ab Iacobsio et Wagnero (Ztschr. für das G. W. IX p. 799 sq.), et linguae latinae legibus repugnant et eo refutantur, quod cum sequatur *nam ab insidiis eius aliter caveri nequivisse*, Sallustium cur legatum Iugurthae Bocchus admisisset, non praetermisisse manufestum est, id quod acute perspexerunt ei librarii qui suo marte lacunam explere conati sunt. Quo argumento simul Gronovii coniectura *quin* reicitur. Ceterum cum hic locus testimonio sit, exemplar, unde posteriores librarii conplementum amplae illius lacunae, quae vetustissumos omnes libros insedit, accepere, eadem natura fuisse, atque illud, unde relicua propagata sunt, ea quam supra dixi sententia, omnes libros manu scriptos unam eandemque originem habere, confirmatur.

De eis locis, ubi ex vetustioribus libris quod in relicuis omissum recipiundum videatur, infra disputabo. Ceterum non omittam uno loco praeterea mihi visum esse aliquid excidisse. Iug. 18, 7 Numidarum nominis originem Sall. declaraturus haec scripsit: *Ei* (Persae) *paulatim per conubia Gaetulos secum miscuere et quia saepe temptantes agros alia, deinde alia loca petiverant, semet ipsi nomadas adpellavere.* Nomadas ab scriptore scriptum fuisse cum vetustissumi eidemque optumi libri contestantur, tum inde manufestum est, quod si id vocabulum non posuisset, nemo facile quid sibi vellet intellecturus fuit. Nihilo minus mirum est, si S. id ipsum nomen, cuius originationem ostendere velit, ne conmemoraverit quidem. Quod me in eam mentem inpulit, ut scribundum arbitrarer *semet ipsi Numidas i. e. nomadas adpellavere.* Set quamvis ei coniecturae aliquid conmendationis ab eis libris adcedere videretur, qui pro *nomadas* exhibent *Numidas*, superscripto *vel instabiles*, tamen de ea re aliis iudicium permittere malui, eo magis, quod Sallustius id, quod dubitationem moveret, verbis infra 11 *ac postea nomine Numidae* scriptis ipse removisse videri posset.

Quicumque Sallustium adtente legerit, eum ab conmuni consuetudine Romanorum, ut ubi aliquis primum nominaretur praenomen praemitteretur, non recessisse multis locis exploratum habebit. Qua re non dubitavi Iug. 15, 3 *M.* contra omnis libros inserere, quamquam fateor mihi melius placere *M. Scaurus*, ut 25, 4 nominatus est, ut *Aemilius* potius glossema sit; contra 28, 4 praenomen non aegre desideramus

Nec Iug. 43, 1 *Q.* et *M.* omitti potuere et 50, 1 *P.* ex libris quamvis paucissumis recipiundum fuit. Iug. 73, 5 quamquam in eo libri variant, tamen praenomen ab Sall. additum fuisse certum est; ego equidem optumos libros secutus *T.* scripsi. Ceterum mirum est Iug. 37, 3. 38, 2 et 4. 39, 1. 43, 1 pro *Auli* nomine in antiquissumis libris aut *Albini* inveniri aut certe id adscriptum esse. Quod nonne documento est, ab Sallustio ubique scriptum fuisse *A. Albinus*, quem ad modum 44, 1 ut frater distingueretur *Sp.* additum est? Quippe insolitum est aliquem per solum praenomen significari nisi in familiari sermone.

Cap. III.

De transpositionibus.

Librarii cuiusdam levitate in conpingendis foliis archetypi gravissumum errorem in libro de Catilinae coniuratione per omnes codices propagatos esse, nuper duo viri docti insigni ingeni acumine praediti censuere. De qua re ut recte disputatio procedat, primum quae de rebus c. 27—32 narratis ex certis testimoniis constent, exponunda videntur.

Cum igitur Catilina sese consulatum in a. u. 692 (a. C. 62) petiturum palam profiteretur, Cicero petitionem eius lege de ambitu perlata inpedire conatus est (Cic. pr. Mur. 32, 67. Schol. Bobi. ad Cic. or. pr. Sulla p. 362 ed. Orell. ubi in adnotatione relicua scriptorum testimonia conlecta sunt), atque eodem referente senatus, sperans fore ut interea nefaria coniurationis consilia patefierent, comitia in a. d. XII Kal. Nov. (21. Oct.) distulit (Drum. V p. 448. Halm. praef. ad. Cic. or. in Catil. p. 10). Quae quamvis advorsus se instituta esse persentiret, tamen Catilina non modo alacer atque laetus omnia agitare perrexit, sed etiam Catoni iudicium minitanti ac denuntianti respondit, si quod esset in suas fortunas incendium excitatum id se non aqua sed ruina restincturum (Cic. pr. Mur. 24, 49. 25, 51). Cum iam percrebruisset Catilinam comitiorum die in Campo cum armatis in consulem inpetum facturum esse, Cicero a. d. XIII Kal. Nov. (20. Oct.) ad senatum rei publicae periculum rettulit et senatus consultum factum est: ne postero

die comitia haberentur, ut de eis rebus in senatu agi posset (Cic. pr. Mur. 25, 21). Eo iam die, a. d. XII Kal. Nov. (Cic. in Cat. I 3, 7). cum Catilina in senatu adesset, Cicero palam quae conperuerat, a. d. VI Kal. Nov. G. Manlium in armis futurum, ipsum Catilinam caedem optumatium in a. d. VII Kal. Nov. distulisse, enuntiavit, illumque excitatum de eis rebus, quae ab se adlatae essent, si quid vellet iussit dicere (Cic. pr. Mur. 25, 51). Ad quod cum ille ferociter atque audacter respondisset, senatum decrevisse viderent consules ne quid res publica detrimenti caperet, Ciceronis testimonio constat, qui in Cat. I 2, 4 se ipse accusat, quod iam vicesimum diem hebescere patiatur aciem patrum auctoritatis, quibus verbis ipsum illud senatus consultum significari ex eis quae ante cesserunt manufestum est. Eius testimoni fidem eo non infringi quod Ascon. in Cic. or. Pis. p. 6 ed. Or. *cum octavus decimus dies esset* scripsit, qui latini sermonis peritus est, intelleget. Nec magis repugnant, quae Cic. pr. Mur. 25, 51 dixit, senatum frequentem congemuisse neque tamen pro rei indignitate satis severe decrevisse, cum quare illi ita visum esset, enucleate Drum. V p. 450 ostenderit. Iam comitia consularia a. d. V Kal. Nov. (28. Oct.) habita esse inde luculentissume adparet (Halm. l. c. p. 11), quod Cic. in Cat. I 3, 7 caedem in eum diem ab coniuratis dilatam esse adfirmat (cfr. Cic. in Cat. I 5, 11. pr. Mur. 26, 52. pr. Sull. 18, 51). Paucis diebus post litteras ab Saenio in senatu recitatas esse, nec minus alios de motu, qui extra urbem factus esset (Q. Arrius ap. Plut. Cic. c. 16), rettulisse, ac tum ea decreta esse, quae Sall. c. 30 narravit, ita ex re ipsa elucet, ut nihil prorsus dicundum videatur. De rebus, quae secutae sunt, conventum illum penes M. Porcium Lecam *nocte ea quae secuta est posterum diem nonarum Novembrium* factum esse Cic. testatur pr. Sull. 18, 52. Mane igitur a. d. VII Id. Nov. (7. Nov.) G. Cornelius et L. Vargunteius Ciceronem domui suae inparatum confodiundum frustra suscepere et postero die Cicero eam orationem in senatu habuit, qua Catilina ut urbe exiret permotus est (recte de ea re disputavit Halm. l. c. p. 12 n. 55).

Ita eas res actas esse cum certissumis testimoniis, quae omni dubitatione exempta sint, constet, Sallustius eas ita confuso ordine enarravit, ut non erroris, set neglegentiae crimen merito ipsius ei obprobrio dari videatur. Quo probro eum liberare Linkerus Em. Sall. p. 5 — 15 studuit ita ut, librariis illam confusionem tribuendam censens, scriptoris verba transpositione emendanda putaret. Quam sententiam I. G. Ottema disp. de loco Sallustii in bello Catilinario c. 27 — 31 transpositione

emendando Leeuwardi a. 1855 edita confirmavit, cum qua ratione factum esset ut foedum illud vitium libros omnes inquinaret ostendit. Censuit enim archetypi folia ita scripta fuisse:

Fol. I p. 1.

effecerat uti Q. Curius de quo paulo | ante memoravi consilia Catilinae sibi | proderet: ad hoc collegam suum An|tonium pactione provinciae perpule|rat, ne contra rempublicam sentiret: | circum se praesidia amicorum atque | clientium occulte habebat. Postquam | dies comitiorum venit et Catilinae | neque petitio neque insidiae, quas | consuli fecerat, prospere cessere, | constituit bellum facere et extrema | omnia experiri; quoniam, quae occulte | tentaverat,

p. 2.

aspera foedaque evenerant. || Igitur Caium Manlium Faesulas atque | in eam partem Etruriae, Septimium | quendam Camertem in agrum Picenum, | Caium Iulium in Apuliam dimisit; | praeterea alium alio quem ubique o|portunum sibi fore credebat. Interea | Romae multa simul moliri, consuli in|sidias tendere, parare incendia, opor|tuna loca armatis hominibus obsidere; | ipse cum telo esse, item alios iubere, | hortari uti semper intenti paratique es|sent; dies noctesque festinare, vigilare, | neque insomniis neque labore fatigari. ||

Fol. II p. 1.

Interea Manlius in Etruria plebem sol|licitare, egestate simul ac dolore in|iuriae novarum rerum cupidam, quod | Sullae dominatione agros bonaque | omnia amiserat; praeterea latrones | cuiusque generis, quorum in ea re|gione magna copia erat; nonnullos | ex Sullanis colonis, quibus lubido | atque luxuria ex magnis rapinis ni|hil reliqui fecerant. Ea cum Ciceroni | nuntiarentur, ancipiti malo permotus | quod neque urbem ab insidiis privato | consilio

p. 2.

longius tueri poterat, neque || exercitus Manlii quantus aut quo con|silio foret satis compertum habebat, | rem ad senatum refert iam antea vulgi | rumoribus agitatam. Itaque, quod ple|rumque in atroci negotio solet, sena|tus decrevit: darent operam consules | ne quid respublica detrimenti caperet. | Ea potestas per senatum magistratui | maxima permittitur, exercitum pa|rare, bellum gerere, coercere omni|bus modis socios atque cives, domi | militiaeque im-

Fol. III p. 1.

perium atque iudici|um summum habere; aliter sine po||puli iussu nullius earum rerum con|suli ius est. Post paucos dies Lucius | Saenius senator in senatu literas re|citavit, quas Faesulis allatas

sibi di|cebat, in quibus scriptum erat, Caium | Manlium arma cepisse cum magna | multitudine ante diem VI Kalendas | Novembres. Simul, id quod in tali re|solet, alii portenta atque prodigia nun|tiabant, alii conventus fieri, arma por|tari, Capuae atque in Apulia servile | bellum moveri. Igitur senatus decreto | Quintus Marcius

p. 2.

Rex Faesulas, Quintus || Metellus Creticus in Apuliam circum-|que ea loca missi, hi utrique ad ur|bem imperatores erant, impediti ne | triumpharent calumnia paucorum, qui|bus omnia, honesta atque inhonesta, | vendere mos erat, sed praetores Quin|tus Pompeius Rufus Capuam, Quintus | Metellus Celer in agrum Picenum, his|que permissum uti pro tempore atque | periculo exercitum compararent. Ad | hoc si quis indicavisset de coniurati|one, quae contra rempubli-

fol. IV p. 1.

cam facta | erat, praemium servo libertatem et || sestertia centum, libero impunitatem | eius rei et sestertia ducenta, itemque | decrevere, uti gladiatoriae familiae | Capuam et in cetera municipia dis|tribuerentur pro cuiusque opibus, Ro|mae per totam urbem vigiliae habe|rentur, iisque minores magistratus | praeessent. Quibus rebus permota ci|vitas atque immutata urbis facies | erat, ex summa laetitia atque las|civia, quae diuturna quies pepererat, | repente omnes tristitia invasit: fes|tinare, trepidare, neque loco neque ||

p. 2.

homini cuiquam satis credere; neque | bellum gerere, neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. Ad | hoc mulieres, quibus rei publicae mag|nitudine belli timor insolitus incesse|rat, adflictare sese, manus supplices ad | coelum tendere, miserari parvos libe|ros; rogitare, omnia pavere, superbia | atque deliciis omissis sibi patriaeque | diffidere. At Catilinae crudelis animus | eadem illa movebat, tametsi prae|sidia parabantur et ipse lege Plautia

fol. V p. 1.

interrogatus erat ab Lucio Paullo. || Postremo ubi multa agitant nihil | procedit, rursus intempesta nocte | coniurationis principes convocat pe|nes Marcum Porcium Leccam, ibi|que multa de ignavia eorum ques|tus docet se Manlium praemisisse | ad eam multitudinem, quam ad ca|piunda arma paraverat, item alios | in alia loca oportuna qui initi|um belli facerent, seque ad exer|citum proficisci cupere, si prius | Ciceronem oppressisset; eum suis | consiliis multum officere. Igitur || perterritis ac dubitantibus ceteris | Caiu

Cornelius eques Romanus o|peram suam pollicitus et cum eo | Lucius Vargunteius senator consti|tuere ea nocte paullo post cum | armatis hominibus sicuti salutatum | introire ad Ciceronem ac de improvi|so domi suae imparatum confodere. | Curius ubi intelligit quantum peri|culum consuli impendeat, propere per | Fulviam Ciceroni dolum qui paraba|tur enuntiat. Ita illi ianua prohibiti | tan-

fol. VI p. 1.

tum facinus frustra susceperant. || Postero die dissimulandi causa Ca|tilina aut sui expurgandi, sicuti iur|gio lacessitus foret, in senatum ve|nit. Tum Marcus Tullius consul sive | praesentiam eius timens sive ira com|motus orationem habuit luculentam | atque utilem rei publicae, quam post|ea scriptam edidit. Sed ubi ille asse|dit, Catilina ut erat paratus ad dis|simulanda omnia, demisso vultu voce | supplici postulare a patribus coepit, | ne quid de se temere cre-

p. 2

derent: ea fa|milia ortum, ita ab adolescentia vitam || instituisse, uti omnia bona in spe | haberet; ne existimarent sibi, patri|cio homini, cuius ipsius atque maio|rum plurima beneficia in populum Ro|manum essent, perdita republica opus | esse, cum eam servaret Marcus Tul|lius, inquilinus civis urbis Romae. Ad | hoc maledicta alia cum adderet, ob|strepere omnes, hostem atque parrici|dam vocare. Tum ille furibundus: | Quoniam quidem circumventus, in|quit, ab inimicis praeceps agor, | incendium meum ruina restinguam.

Censuit igitur cum fol. V errore quodam inter fol. I et II intersertum esset, confusionem illam rerum ac temporum ortam ac per omnes libros manu scriptos propagatam esse. Cui sententiae quamvis adstipulari cupiam, quippe cum ita scriptor, quem unum omnium maxume diligo, gravi obprobrio liberetur, et quamvis verendum sit, ne nonnullis eo acumine eaque libertate ingeni, quae criticum deceant, carere videar, tamen quae mihi obstare videantur exponam.

Ut igitur ab codicibus ordiar, si illa sententia probetur, necesse est, archetypum ex singulis foliis conpositum fuisse, quae inter se conglutinata aut filis consuta essent. Nam aliter fieri non potuit, ut unum folium falso loco insereretur, nisi alterum simul locum suum conmutaret. Num vetustissumorum codicum constanter ea conditio fuerit ut discernant, eis permitto, qui illarum rerum me peritiores sunt; mihi quidem praesertim in tam minuta forma, qualem illius libri fuisse statuendum sit, id veri simile non videtur.

Deinde si ab eodem archetypo, qui in caussa huius confusionis

fuisse dicitur, amplae illius lacunae, quae in Iugurthae parte extrema omnes libros vetustiores insedit, repetunda videatur, cum quae illic exciderunt, per lineas paris amplitudinis atque Ottema statuit dividuntur, efficiuntur lineae 257, ad summum 258, quibus paginae 20 sive folia decem non prorsus explentur. Set fateor illud discrimen non tantum esse, ut propterea sententia illa reiciunda videatur, praesertim cum fieri potuerit, ut lacuna illa ex alio exemplari, quod ad archetypum exaratum esset, oreretur. Atque omnino, modo aliqua ratio probabilis, qua error natus esse videatur, ostenta fuerit, si certa argumenta vitiatos libros esse planum faciant, emendationis conatus non pro audaciore incepto habendus est.

At gravioris momenti est, quod illa transpositio probari nequit, nisi verba conmutentur, nisi c. 31, 5 pro *postremo* scribatur *postero die* et *Catilina* inseratur. Admirabile profecto esset, si conmutatio verae scripturae, quam ab emendatore factam esse apertissumum esset, ita propagata esset, ut ne minumum quidem illius vestigium in libris manu scriptis remansisset. Tum rursus cogeremur statuere, omnes nostros libros ex correcto quodam exemplari, quod unum ex archetypo confectum exstitisset, originem ducere. Librorum autem scripturis *aut sui, ut sui, et ut sui, ut et sui, ac sui* neutiquam confirmari Linkeri suspicionem, nomen *Catilina* excidisse, alio loco demonstrabo. Illud ergo intellegetur ab libris non nihil obstare, quo minus transpositio sine omni dubitatione conprobetur.

Igitur cetera argumenta, quibus Linkerus usus est, exploranda videntur, ac primum quidem eos scriptores consideremus, quos ille ex Sallusti libro hausisse atque alio ordine, quam is est qui in codicibus servatus, res enarratas in illo legisse contendit. Iam quoniam Florum, quem quae de Catilinae bello II 12 narrat ex Sallusti libro excerpsisse apertum est, ipse recte Linkerus exclusit — nihil enim quod ad hanc quaestionem pertineat, apud eum legitur —, tres scriptores graeci explorandi sunt, Plutarchus, Appianus, Cassius Dio. Plutarchi una Ciceronis vita in censum vocanda est, quoniam in ea sola de his rebus copiosius scripsit, in aliis tantum modo quae ad singulos homines pertinerent tetigit.

Is igitur Cic. c. 14 haec scribit: *οὗτοι γὰρ ἡγεμόνα Μάλλιον ἔχοντες, ἄνδρα τῶν ἐπιφανῶς ὑπὸ Σύλλᾳ στρατευσαμένων, συνίσταντο τῷ Κατιλίνᾳ καὶ παρῆσαν εἰς Ῥώμην συναρχαιρεσιάσοντες.* Nullum de ea re apud Sall. verbum. Pergit ille: *ὑπατείαν γὰρ αὖθις μετῄει βεβουλευμένος ἀνελεῖν τὸν Κικέρωνα περὶ αὐτὸν τῶν ἀρχαιρεσιῶν τὸν θόρυβον.*

Haec ab Sallustio, non aliunde petita esse nemo contendet. Quae sequuntur verba *ἐδόκει δὲ καὶ τὸ δαιμόνιον προσημαίνειν σεισμοῖς καὶ κεραυνοῖς καὶ φάσμασιν*, fortasse aliquis contenderit ex illis Sallusti 30, 2 *simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia nuntiabant* hausta esse, set nulla caussa cur aliunde sumpta esse negemus, eoque minus, quod longe alia quam apud Sallustium sequuntur. Relicua enim, quae eo capite narrantur, ex Cic. or. pr. Murena c. 25 et 26 sumpta esse, facile qui utriusque scriptoris verba inter se conparaverit sibi persuadebit, nec quemquam credo fore, qui id propterea neget, quod *in senatu Catilinam excitavi* Plutarchus *ὁ Κικέρων ἐκάλει τὸν Κατιλίναν εἰς τὴν σύγκλητον* interpretatus est. Quid quod inde perspicitur, quo modo factum sit, ut illud senatus consultum *darent operam consules* cet. postea demum c. 15 extr. conmemoraverit. Quippe cum Cicero *congemuit senatus frequens neque tamen satis severe pro rei indignitate decrevit* dixisset, animum inducere non potuit, ut iam tum maxumam eam potestatem illi permissam esse crederet. In his ergo nihil est cur Plutarchum Sallusti libro in enarrandis his rebus usum esse contendas. Transgrediamur ad c. 15. Quae de litteris ab M. Crasso, aliis nobilibus viris ad Ciceronem perlatis narrantur, de eis Sallustius nihil, neque inprobabilis videtur Drumanni (V p. 458) sententia, ea ex Ciceronis quadam oratione, nobis non servata, sumpta esse. In eis, quae statim subsequuntur *καὶ Μάλλιος ἀπηγγέλλετο σὺν χειρὶ μεγάλῃ περὶ τὰς πόλεις ἐκείνας αἰωρούμενος ἀεί τι προσδοκᾶν καινὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης*, si quis ex Sall. *post paucos dies L. Saenius* cet. sumpta opinetur, mirum profecto videatur, cur Plutarchus cum Q. Arrium ex alio scriptore conmemorandum putasset, quem Sallustium nominaverat silentio praeterire voluerit. Set res eo conficitur quod statim post hos nuntios adlatos Plutarchus *γίνεται δόγμα τῆς βουλῆς παρακαταθέσθαι τοῖς ὑπάτοις τὰ πράγματα* pergit, Sallustius id antea narravit. Qua re lubenter concedam, si quis quae adiecit *τοῦτο δ' οὐ πολλάκις, ἀλλ' ὅταν τι μέγα δείσῃ, ποιεῖν εἴωθεν ἡ σύγκλητος* non suo marte addidisse, set Sallusti illa *ea potestas — consuli ius est* in brevius contraxisse contenderit. Quod si Plutarchus post praesidia ad tutandam urbem atque Italiam parata insidias Ciceroni mane a. d. VII Id. Nov. intentas conmemoravit, ergo eum ordinem rerum observavit, quem Linkerus et Ottema apud Sallustium restituendum censuere, tamen cum res ita gestas esse ex Ciceronis orationibus cognoscere potuerit, cum in nominibus ab illo dissentiat — nam Linkeri coniectura (p. 10 n. 1) *Μάρκιον καὶ Κέθηγον* ex *Ουαργουντήϊον* con-

rupta esse et Cornelii nomen excidisse, audacior videtur[1] —, cum denique verba ὡς ἀσπαζομένους cur ex Sallusti *siculi salutatum* potius quam ex Cic. pr. Sull. 18, 52 *consulem salutatum* interpretata credamus nulla caussa videatur, nec magis οὐκέτι καρτερῶν τὴν μέλλησιν illa Sallusti *multa de ignavia eorum questus* reddant, nihil inde de conditione, qua Sallusti liber eius aetate fuerit, concludi posse manufestum est. Postremo ut largiar Linkero, Plut. c. 16 ὡς ἀπολογησομένου ex Sall. (31, 5) *dissimulandi caussa vel sui expurgandi* relicuis, quae apertissume ex Cic. in Cat. II 6, 12 sumpta esse adparet, intermixta esse, quid firmamenti inde eius sententiae additur?

Transeo ad Appianum, quem multa ab Sallustio accepisse non negandum[2], set si quis ex eo de illius libro concludi vellet, profecto multa omittunda, multa transponunda esse ipse Linkerus persensit p. 9 sq.

Superest igitur unus Cassius Dio. Quae is XXXVII 29 narrat, de eis apud Sallustium nihil. Set c. 30 pergit καὶ οὕτως ὕπατοί τε ἕτεροι ᾑρέθησαν καὶ ἐκεῖνος οὐκέτι λάθρα οὐδὲ ἐπὶ τὸν Κικέρωνα τούς τε σὺν αὐτῷ μόνους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ πᾶν τὸ κοινὸν τὴν ἐπιβουλὴν συνίστη. Quae verba Link. conparavit cum Sall. 26, 5 *postquam dies comitiorum venit et Catilinae neque petitio neque insidiae quas consulibus in Campo fecerat prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant*, set quis est quin videat maiorem similitudinem esse cum 18, 7 *iam tum non consulibus modo, set plerisque senatoribus perniciem machinabantur?* Quae sequuntur ἐκ γὰρ τῆς Ῥώμης αὐτῆς τούς τε κακίστους καὶ καινῶν ἀεί ποτε πραγμάτων ἐπιθυμητὰς κἀκ τῶν συμμάχων ὡς ὅτι πλείστους, χρεῶν τε ἀποκοπὰς καὶ γῆς ἀναδασμοὺς ἄλλα τε ἐξ ὧν μάλιστα δελεάσειν αὐτοὺς ἤμελλεν ὑπισχνούμενος σφίσι, συνῆγε, καὶ τούς γε πρώτους αὐτῶν δυνατωτάτους (ἦσαν δὲ ἄλλοι τε καὶ Ἀντώνιος ὁ ὕπατος) καὶ ἐς ἀθεμίτων ὁρκωμοσιῶν ἀνάγκην προσήγαγε. παῖδα γάρ τινα καταθύσας καὶ ἐπὶ τῶν σπλάγχνων αὐτοῦ τὰ ὅρκια ποιήσας, ἔπειτα ἐσπλάγχνευσεν αὐτὰ μετὰ τῶν ἄλλων, ex Sall. c. 21 et 22 consuta esse nemo negaverit, set

1) Cornelium Plutarchus ex Cic. or. pr. Sulla l. c. noverat, eiusque nomen apud eum pro Μάρκιον restituendum censeo. Κέθηγον quo minus mutemus, obstat Appiani testimonium, qui eundem in eadem re nominat. Scilicet quod Cic. in Cat. I 4, 9 de *duobus equitibus* dixerat, aut Sallustio de Vargunteio non credidit, aut Cethegum, audacissumum coniuratorum, alterum fuisse divinavit.

2) Neque negare voluisse Hagen Cat. p. 18 puto.

attendas quaeso ea narrata esse, postquam iam conmemoratum est in petitione consulatus anni 62 Catilinam repulsam tulisse. Pergit Dio: *συνέπραττον δὲ αὐτῷ τὰ μάλιστα, τὰ μὲν ἐν τῇ Ῥώμῃ ὅ τε ὕπατος καὶ ὁ Λεντοῦλος ὁ Πούπλιος ὁ μετὰ τὴν ὑπατείαν ἐκ τῆς γερουσίας ἐκπεσών (ἐστρατήγει γὰρ ὅπως τὴν βουλείαν ἀναλάβῃ), τὰ δ' ἐν Φαισούλαις, ἐς ἃς οἱ στασιῶται αὐτοῦ συνελέγοντο, Γάϊός τις Μάλλιος, τῶν τε πολεμικῶν ἐμπειρότατος (μετὰ γὰρ τῶν τοῦ Σύλλα λοχαγῶν ἐστρατεύετο) καὶ πολυδαπανώτατος ὤν. σύμπαντα γοῦν, ὅσα τότε ἐκτήσατο, καίπερ πάμπολλα ὄντα, κακῶς καταναλώσας ἑτέρων ἔργων ὁμοίων ἐπεθύμει*, in quibus nonnulla ex Sall. c. 24 et 25 sumpta esse concedo, set ita ut ea aliis intermixta sint, quae Sallustius partim non narravit, partim refutavit, veluti quod de G. Antonio dictum c. 26, 4. C. 31 apud Dionem haec iam leguntur: *παρασκευαζομένων ουν ταῦτα αὐτῶν μηνύεται τῷ Κικέρωνι πρότερα μὲν τὰ ἐν τῷ ἄστει γινόμενα διὰ γραμμάτων τινῶν, ἃ τὸν μὲν γράψαντα οὐκ ἐδήλου, τῷ δὲ δὴ Κράσσῳ καὶ ἄλλοις τισὶ τῶν δυνατῶν ἐδόθη*. Quod si prima verba ex Sall. Cat. 26, 1 *His rebus conparatis* in Graecum conversa dicas, profecto expectatur iam de Fulvia et Curio narratum iri, at pro eis subiciuntur quae Plutarchus solus (vid. supra) Cic. c. 16 conmemoravit. Plutarchum etiam in sequentibus secutum esse Dionem, set ita ut nonnulla variaverit, ita apertum est, ut acumini legentium diffidere videar, si pluribus exponam. Set si quis ad corrigendam Plutarchi narrationem Sallusti libellum adhibitum esse contenderit, attendat ita narrari: postquam Cicero quae in urbe fierent, in senatu aperuit *δόγμα ἐκυρώθη ταραχήν τε εἶναι καὶ ζήτησιν τῶν αἰτίων αὐτῆς γενέσθαι* — de quo senatus consulto apud Sall. nihil —, tum cum ex Etruria nuntii adlati essent, *προσεψηφίσαντο τοῖς ὑπάτοις τὴν φυλακὴν τῆς τε πόλεως καὶ τῶν ὅλων πραγμάτων, καθάπερ εἰώθεσαν· καὶ γὰρ τούτῳ τῷ δόγματι προσεγράφη τὸ διὰ φροντίδος αὐτοὺς σχεῖν, ὥστε μηδεμίαν ἀποτριβὴν τῷ δημοσίῳ συμβῆναι*, ut si ex his quo ordine res apud Sallustium narratae fuerint constituendum censeas, illud senatus consultum *darent operam* cet. post ea quae ab L. Saenio aliisque ex Etruria adlata sunt conmemoratum fuisse concludere debeas. De eis, quae sequuntur, *γενομένου δὲ τούτου καὶ φρουρᾶς πολλαχόθι καταστάσης τὰ μὲν ἐν τῷ ἄστει οὐκέτι ἐνεωτερίσθη, ὥστε καὶ ἐπὶ συκοφαντίᾳ τὸν Κικέρωνα διαβληθῆναι*, ubi ap. Sallustium aliquid? nisi forte ex illis 31, 4 *tametsi praesidia parabantur*, 32, 1 *ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam*, eisque quae Catilina in senatu respondisse dicitur 31, 7 *ne quid de se temere crederent*, consuta esse au-

tumas. At illud Linkerus ecfert (p. 11) ab Dione narrari, quod solus Sallustius tradiderit, de vi reum factum esse Catilinam. Set vide quo modo rettulerit: *τὰ δὲ ἐκ τῶν Τυρσηνῶν ἀγγελλόμενα τήν τε αἰτίαν ἐπιστώσατο, καὶ βίας ἐπ' αὐτοῖς γραφὴν τῷ Κατιλίνᾳ παρεσκεύασεν.* Non nominatur, qui nomen eius de vi detulit, et cum rebus ea interrogatio connectitur, de quibus prorsus tacuit Sall. Scilicet L. Paulum accusare voluisse Catilinam aliunde notum fuisse ostendunt schol. Bob. ad Cic. in Vatin. 10, 25 p. 320 Or. *Hic igitur Paulus accusare instituerat de vi L. Catilinam et, ut quidam memoriae tradiderunt, Cethegum. Sed enim Catilina deficiens ab re p. se ad arma contulerat, Cethegus quoque in eadem perseveratione consumptus est.* Quae iam c. 32 Dio narrat, ea ex Cic. in Cat. I 8, 19 cognita erant, et quae adiecta aut mutata sunt, certe non ab Sallustio sumpta. Postquam igitur Dio reum factum esse Catilinam narravit — alio connexu quam Sallustius — tum quid is propterea fecisset, ex alio scriptore interposuit, iam apud eum leguntur, ex quibus potissumum Linkerus conclusit, quem ordinem rerum apud Sallustium invenerit: "*Ὡς δ' οὐδέν οἱ προεχώρει* (largiamur haec ex illis *ubi multa agitanti nihil procedit* convorsa esse) — *ὅ τε γὰρ Λεντοῦλος φοβηθεὶς ὑπεστέλλετο καὶ ὁ Λεντοῦλος ἥκιστα δραστήριος ἦν* (haec ipse scriptor aliunde, non ex Sallustio adiecit) — *προεῖπεν αὐτοῖς νυκτὸς εἰς οἰκίαν τινὰ συλλεγῆναι* (eis adeo Link. censuit confirmari Palmerii emendationem *intempesta nocte coniurationis principes convocat penes M. Porcium Laecam.* Nihil tribuamus, quod eum hominem non nominat Dion), *καὶ λαθὼν τὸν Μέτελλον* (rursus subplevit Sallustium) *ἦλθέ τε πρὸς αὐτοὺς καὶ ἐπετίμησε σφίσιν ἐπί τε τῇ ἀτολμίᾳ καὶ ἐπὶ τῇ μαλακίᾳ* (haec similia sunt Sall. *ibique multa de ignavia eorum questus*), *κἀκ τούτου διεξελθὼν ὅσα τε πείσοιντο φωραθέντες καὶ ὅσων τεύξοιντο κατορθώσαντες* (haec ex oratione c. 20 ap. Sall. huc relata videntur; quam apte pro eis, quae Sall. Catilinam in Ciceronem iactasse memoravit, subiecta sint, quivis sentiet), *οὕτως αὐτοὺς καὶ ἐπέρρωσε καὶ παρώξυνεν* (at Sallustius *perterritis* inquit *et dubitantibus ceteris*), *ὥσθ' ὑποσχέσθαι δύο τινὰς* (nomina cur subpressit, praesertim cum aliorum narrationes corrigere posset?) *ἔς τε τὴν τοῦ Κικέρωνος οἰκίαν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ* (at Sall. ea *nocte paulo post.* Num Dio Sallustium ex Plut. Cic. 16 *ἕωθεν* correxisse cum Linkero censendus est?) *ἐσήξειν κἀνταῦθα αὐτὸν φονεύσειν.* [c. 33] *Ὡς δὲ καὶ τοῦτο προεμηνύθη* (cur tandem Dio, si Sall. libro usus est, cum ex eo haurire posset Curium per Fulviam enuntiasse, haec potius adiecit: *ὁ γὰρ Κικέρων, πολὺ δυ-*

νάμενος, συχνούς τε ἐκ τῶν συνηγορημάτων τούς τε οἰκειούμενος, τοὺς δὲ ἐκφοβῶν, πολλοὺς τοὺς διαγγέλλοντάς οἵ τοιαῦτα ἔσχε?), μεταστῆναι ἡ γερουσία τὸν Κατιλίναν ἐψηφίσατο (haec isne, qui Sallusti librum in narrando ante oculos haberet, ita narrare potuit?). Iam haec quo iure quaeram lectores iudicent: num scriptor, qui quae ab Sallustio accepisset vel potius adripuisset, eis ita usus sit, ut non solum inter se confunderet set etiam cum aliis, quae aliunde sumpsisset, summa lubidine conmisceret, pro teste satis locuplete habendus est, ut eius fide res alio ordine ab illo dispositas fuisse, quam quo omnes libri exhibent, persuasum nobis videatur? praesertim cum ante eum iam alios scriptores alio ordine, quam qui nunc apud Sallustium est, res enarrasse constet. Illud mihi satis demonstrasse videor, apud posteriores rerum scriptores nihil inveniri quo pro satis certo argumento utaris, ut libros manu scriptos omnes vitiatos esse evincas.

Quamvis autem laudandus sit, qui hominem praeclarum erroris obprobrio liberare studeat, tamen ne veritati obficiamus, quoniam errare humanum est, num ille errare potuerit diligenter nobiscum reputare debemus. Igitur si illum errorem non Sallusti, set librarii cuiusdam culpae tribuerimus, num omnes res diligenter ab eo exploratas esse evincitur? Immo manent alia non minus gravia obprobria. Ut de relicuis erroribus taceam, qui ab viris doctis, Drumanno, Hagenio, Halmio aliis aperti sunt, ne quo tempore quidem senatus consultum *darent operam consules ne quid res publica detrimenti caperet*, factum esset recte enarravit, quamvis id adeo ex Cic. invectiva in Catilinam prima, si modo aliquo acumine aut sollertia in perquirendis rebus esset, cognoscere potuisset. Quod si eum eodem modo atque Plutarchum supra demonstravi in errorem ductum esse arbitreris, qua tandem ratione factum est, ut Catilinam in senatu furibundum exclamantem faceret, quod Cic. pr. Mur. 25, 21 Catoni eum respondisse testatus erat? Et quale illud videtur, quod G. Manlium, quem Romam venisse ne conmemorasset quidem, ab Catilina in Etruriam praemissum esse tradidit? Quare cum satis adpareat, Sallustium, modo diligentius Ciceronis orationes, quibus uti certe potuit, perscrutatus esset, de Catilinae coniuratione veriora ac certiora prolaturum fuisse, non tam rerum scriptoris officio fungi voluisse quam alia consilia secutus videtur esse. Quae plana fecisse mihi videor diss. Grimae 1856 edita: *quo tempore quoque consilio Sallustius Catilinam scripsisse videatur*, eisque quae coram philologis Germaniae Stuttgartiam congregatis eodem anno disserui. Quod si Sallustium minus diligentem in rebus ac temporibus ex-

plorandis fuisse concessum fuerit, etiam illum, de quo h. l. agitur, errorem ei condonabimus, modo aliqua ratione eum non temere set certo quodam consilio egisse ostendatur. Quid autem? Nonne primum uno tenore 26, 1 usque ad 28, 3 *ita illi ab ianua prohibiti tantum facinus frustra susceperant*, enarrantur, quae Catilina ipse in urbe instituit, paravit, fecit? Tum scriptor transgreditur ad ea, quae Manlius interea (quod vocabulum premendum esse nemo non intellegit) in Etruria fecit, quaeque ob ea senatus decrevit; postremo 31, 4 satis eleganter atque artificiose transitu sibi parato rursus ad Catilinam revortitur, atque quibus rebus permotus sit ut ad Manlium proficisceretur enarrat. In quibus nonne dispositio quaedam ac consilium, eo qui rhetorum scholis institutus fuerit non indignum, deprehenditur?

Ut iam quam argumentis omnibus circumspectis rationibusque subductis summam fecerim cogitationum omnium mearum, breviter exponam, cum sententiae ab Linkero et Ottema dictae ab libris non nihil obstare videretur, neque nullum ex aliis scriptoribus argumentum adlatum esset, quo Sallusti libellum antiquitus eo vitio inquinatum non fuisse evinceretur, postremo consilium, quo res ordinasset, non indignum esse scriptore, qui ornate quam tenuiter annalium in modum scribere mallet, adpareret, librorum fidem potius sequendam, quam quidquam novandum esse censui.

Alium locum Cat. 51, 39 transpositione emendandum esse censuit Döderlein Philol. IX p. 579 sq. Cum enim ego iam antea demonstrassem, quantis dubitationibus obnoxium esset, quod orator sive Caesar sive Sallustius morem verberibus in civis animadvortundi ab Graecis acceptum esse diceret, cumque simul sententiarum connexus rationi repugnare ei videretur, ita hunc locum scribundum esse praecepit: *Set eodem illo tempore verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum subplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia huiusce modi fieri coepere, tum G r a e c i a e m o r e m i m i t a t i, lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est.* Qua ratione certe summa ac gravissuma dubitatio removetur, cum aliqua cum veri specie exili permittundi morem ab Atheniensibus sumptum esse contendi potuisse vir summus ostenderit coll. Demosth. Aristocr. 69 p. 643 init. Set tamen cum ille mos Athenis singularis fuerit neque in omnibus iudiciis capitalibus valuerit, cumque illam mutationem legum cum relicuis, quae in iure Romae populi libertate adolescente novata sint, congruere ac convenire demonstraverit

Mommsenius H. R. ed. II vol. I p. 407, utique etiam atque etiam considerandum est, ne altero errore sublato alterum scriptori inponamus. Praeterea si eam sententiam conprobaveris, oratio habet hiulci aliquid atque abrupti, quod ab Sallusti ingenio ac more prorsus alienum est, qui certe scripturus fuit: *tum Graeciae morem imitati legem Porciam aliasque leges pararere.* Set quaerendum est de sententiarum nexu omnique conclusionis ratione. Caesaris igitur sententia haec est, ut coniuratos deprehensos, quamvis meruerint, tamen mortis poena non afficiundos censeat. Qua re postquam non decere senatum ira aut aliqua cupiditate conmotum decernere exposuit (1—15), Silani sententiam duobus argumentis reiciundam esse ostendit, primum quod legibus non conveniat (16—24), tum quod verendum sit ne ex merita poena conprehensorum malum exemplum oriatur (25—36). Ad hoc confirmandum pertinere, quae de maioribus 37—42 dicantur, adparet. Quorum quae summa est? nonne haec: maiores sapientiores et fortiores fuisse, quam qui iam vivant; qua re hos decere illorum exemplum sequi atque imitari, i. e. quae illi rerum usu edocti instituerint tenere et observare? Quid autem ad hoc conmendandum gravius est, quam si ostendatur, maiores, quo optuma quaeque et maxume idonea in re publica instituerent, adeo peregrinos imitari non fugisse? Nonne eo magis posterorum esse, ut maiorum exempla sequantur, adparet, cum illos, quo minus bonos ac fortes imitarentur, nulla invidia nulloque rerum domesticarum studio atque amore inpeditos esse ostendatur? Eo si spectat illa institutorum ab peregrinis acceptorum conmemoratio, minume necesse esse intellegitur, aut morem verberibus animadvortundi aut exili permittundi consuetudinem ab peregrinis translata esse dici. Recte sic procedit oratio: maiores nostri, ut instituta civitatis emendarent, omnem curam inpendere, adeo ab peregrinis quae idonea videbantur sumpsere; unum tamen morem retinuere crudeliter condemnatorum puniendorum, set cum postea usu rerum qui abusus fieri posset experti intellexissent, eum quoque morem inmutavere. Nonne nos, qui illis virtute et sapientia inferiores simus, eadem quae illos metuere, eadem cavere decet? Iam quamquam verba illa *Graeciae morem imitati* ad concludendi rationem non necessaria esse cognovimus, tamen si aliquid ponderis ad confirmandum argumentum addant, non reiciunda videbuntur. Quod si Doederleinii sententiam conprobaveris, nonne illud ipsum, quo Caesar conmendare cupiat suam sententiam, ad eam inprobandam valet? An credibile est Catonem, qui 52, 19 hoc ipsum argumentum Caesaris diluere studet, id praetermissurum fuisse, si ille leniorem ac mitiorem puniendi

modum ab Graecis, contempto hominum genere, quos malis moribu atque institutis in servitutem redactos esse constaret, arcessitum dixisset Qua re cum etiam alia ei sententiae obstare videantur, audaciore gener emendandi hoc loco abstinendum censeo. Set si eo loco, quo in libr inventa sunt, relinquantur, sane Caesar aliquid consequi videatur, cu eum ipsum morem, quem reiciundum censeat, peregrinum esse dica Set nonne tum maiores minus sapientes fuisse viderentur necesse fuit Et quid? num Caesarem credibile est finxisse, quod falsum esse si no omnes, multi tamen ex rebus romanis cognitum haberent, praeserti cum id ad conmendandam suam sententiam minume idoneum esset? A Sallustium, quem Caesarem ab obprobriis inimicorum defendere voluiss inter viros doctos convenit, tale aliquid eius personae inpositurum fuiss opinaris? Quid multa? Verba illa scioli grammatici videntur ess qui cum propter praecedentia crederet hunc quoque morem ab per grinis acceptum dicundum fuisse, memoriaque teneret a. 454 Athen missos esse, qui inclutas leges Solonis describerent et aliarum Graecia civitatium instituta mores iuraque noscerent (Liv. III 31 extr.), siv quo Sallusti orationem subpleret, sive doctrinae ostentandae gratia e adscripserit. Cui sententiae non vereor ne obponatur, satis vetustu videri adsumentum, quod etiam in 𝔅 inveniatur.

Verba Iug. 19, 1 *Postea Phoenices alii multitudinis domi mi nuendae gratia, pars inperi cupidine sollicitata plebe et aliis nova rum rerum avidis, Hipponem Hadrumetum Leptim aliasque urbi in ora marituma condidere* ita confusa sunt, ut omnes, qui ea expli care studuere, ad contortas rationes confugeriut. Iam rem adcuratiu consideremus; in quo illud non quaerendum videtur, quid Sallustius d coloniis Phoeniciis acceptum habuerit, set quas caussas earum dedu cendarum fuisse dixisse videatur. Nam id non mirum, si hominem ro manum fugerit mercaturae faciundae, augendae, amplificandae caussa multas colonias deductas esse. Quando igitur domi multitudo minuend videbitur? apertum est, cum numerus civium ita creverit, ut agri, op ficia, aedificia ad eos alendos et tuendos non sufficiant, aut cum mult seditiosi cives sint, qui a magistratibus sine vi et sanguine neque re neque coërceri posse videantur. Quae autem civitates inperi cupidin colonias condere dici possunt? Scilicet quae quo regiones teneant in colasque inperio coërceant, ibi suos cives habitare volunt. Utramqu caussam coloniarum deducundarum Romae fuisse, qui res eorum ve leviter adtigerit, non ignorabit. Atque factum quidem est, ut qu

frustra ad summam potentiam domi adnisi essent, in colonias se deduci lubenter paterentur, et fieri potuit, ut nonnulli plebe sollicitata sollicitatisque omnibus, qui rerum novarum avidi essent, efficerent ut ipsi in colonias mitterentur, qui quod in patria principes se futuros desperassent, in longinqua nova urbe primum locum obtinere mallent, quem ad modum hunc locum videtur accepisse Movers Phön. II 2 p. 5 sq. At ei non inperi cupidine colonias condidisse dici possunt, certe tum populi qui emittunt non sua inperi cupidine moventur, set nonnullorum inmoderatam potentiae cupiditatem e civitate ita ut nemini noceatur tollere cupiunt. Quod si cum Kritzio *inperi cupiditate* cum *sollicitata* coniungitur atque *sollicitatis* ad *aliis novarum rerum avidis* repetimus, et constructio inpeditior est, et qui tandem sint illi alii rerum novarum avidi sollicitati quaeritur. Nonne plebes, cum sollicitatur, eadem ipsa spe et cupiditate rerum novarum sollicitatur? Set, cum plebes sollicitata est, i. e. aere alieno et egestate obpressa, iniuriis exacerbata, in principes irata, cumque alii, i. e. principum nonnulli, rerum novarum avidi, illi se duces praebituri videntur, tum caussa est, cur colonia emittatur; at ea non inperi cupiditate, set multitudinis domi minuendae gratia emittitur. Ergo si verba *pars inperi cupidine* transponantur ita ut haec inter se coniungantur, *alii multitudinis domi minuendae gratia sollicitata plebe et aliis novarum rerum avidis*, omnia sana sunt. Facile autem fieri potuisse, ut verba illa in omnibus libris falso loco ponerentur, si in archetypo omissa et ad marginem adscripta essent, vix est quod pluribus exponam. Ceterum Sallustium *pars* ei quod obponatur, non minus saepe praemittere, quam postponere, nosces si locos Cat. 2, 1. Iug. 13, 8. 31, 13. 51, 1. 57, 4. 66, 4. 74, 1. 85, 13 conparaveris cum Cat. 38, 3. 48, 5. Iug. 32, 3. 38, 5. 50, 4. 69, 2. Fr. III 78 Kr. Nam Iug. 58, 3 *alii — magna pars*, 100. 5 *multi — pars* obposita sunt.

Iug. 87, 1 omnes libri exhibent *proelia multa, ceterum alia levia aliis locis facere* [1], quae pervorsa esse quivis intellegit. Neque facile quisquam in eam opinionem adducatur, ut alterum membrum veluti *alia graviora* excidisse arbitretur. Etenim hoc adparet, Marium novorum militum exercitandorum caussa omnia proelia levia facere debuisse, set eorum loca mutare, quo peritiores cuiusque generis illi fierent. Recte igitur Ciacconius perspexit *alia* cum propter sequens *aliis* omis-

1) Scriptura cod. s¹ *alia omnia levia* nihili faciunda est.

sum et vel superscriptum vel ad marginem adiectum esset, ab librariis falso loco inlatum esse ideoque transponendum *ceterum levia alia aliis locis facere.*

Cap. IV.

De glossematis.

Arduum ac difficile adgredior opus, de eis locis disputaturus, quibus glossemata in Sallusti verba inlata aut visa sint aut videantur. Etenim cum glossemata in textum multa inlata esse ipsi libri prodant (cfr. var. scr. ad Cat. 20, 5), aliis locis grammaticorum veterum testimonia ostendant (cfr. Cat. 49, 1), cumque codices paene omnes multas glossas marginales et interlineares contineant, facile aliquis in eam opinionem adduci potest, ut omnia, quibus aliquo modo salva atque integra sententia careri posse videatur, eiciunda censeat; set in ea re magna cautio adhibenda est, ne ex praeiudicata de scriptoris brevitate opinione potius quam ex eius vera indole ac more iudicare videamur. Quam ob caussam codices diligenter perquirendi sunt. Cum autem aliis in rebus vetustissumos libros maxumam fidem merere adpareat, ei ibi quoque sequendi erunt, ubi quod recentiores exhibent, non peius esse inveniatur.

Nulla autem vox magis dubitationibus obnoxia et fuit et est, quam verbum *esse.* Quam ab Sallustio saepius quam ab aliis scriptoribus omissam esse cum constaret, multi praeeunte Cortio paene ubique expellundam censuere. Ac sane in libris multis saepissume superscripta est, et inveniuntur loci, ubi in recentiores libros ex glossemate inrepsisse inde adpareat, quod in vetustiore superscripta est et locus in aliis alius; cfr. Cat. 19, 6. 39, 1. Iug. 25, 2. 27, 3. 28, 6. 84, 4. 92, 6. 96, 4. 100, 5. 101, 3. 102, 6. At tamen in ea re summa cautio adhibenda est. Cum enim qui libros Sall. adtente ac diligenter perlegerit, has leges ab eo observatas esse inveniat, ut copulam omitteret, ubi narratio vel descriptio quasi magno cum vigore decurreret — qua re ei dicendi generi similis usus est infinitivi, quem historicum grammatici adpellavere — item ubi aliquid cum gravitate dicundum esset (cfr. Iug. 85, 22: *quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior;* saepissume id in clausulis fieri facile intelleges), denique ubi per obpositum verbum, quo modo praecedens accipiundum esset, perspicuum fieret, simul gravitas obpositionis adposita copula inminueretur

(cfr. Cat. 39, 1. cuius generis nunc iudico esse Iug. 88, 6 *ita Iugurtham aut praesidiis nudatum, si ea pateretur, aut proelio certaturum*, de quo loco olim disputavi Obss. p. 1), contra poneret, ubi aut quieta esset oratio atque scriptor, vel quem loquentem fecit, distincte ac perspicue doceret, aut nisi adiuncta copula tempus vel modus non perspiceretur [1]), aut, id quod potissumum in verborum temporales formas cadit, aliquid factum esse vel quo tempus definiretur vel ut praeteritum significaretur dicundum esset, aut denique verbum *esse* non copulae locum obtineret, sed graviorem vim haberet — cum igitur adpareat omissionis licentiam in iudicio ac sensu Sallusti sitam esse, magno opere cavendum est, ne quid in libris scribundum fuerit ex eis quae nosmet ipsi de mente scriptoris finxerimus existumemus potius, quam ex eis quae testata sunt quo animi habitu scripserit iudicemus. Igitur Cat. 5, 3 *supra quam cuiquam credibile est*, cum omissum esse *est*, quoniam praecederet *e*, credibile videatur, cum quamvis vivida sit et alacris Catilinae ingeni descriptio, tamen tranquillius aliquid interpositum esse non alienum sit, denique Sall. non vituperandus sit, si dici voluerit: supra quam a quoquam credibile habeatur, librorum satis multorum eorumque vetustorum testimonia non reiciunda puto; nec magis 20, 11 *cui virile ingenium est*, quod in E g^2 superscriptum, in s^2 omissum est, advorsus omnium relicuorum fidem — nam etiam ei libri, in quibus *inest* scriptum, testantur — *est* expellundum iudico. 46, 2 Linkerus praeter alia etiam *esset* eiciundum iudicavit; cuius sententiae in tanto celerorum consensu non satis grave argumentum est, quod P *opus erat*, pauci recentiores libri *sit* exhibent.

1) Cfr. quae olim ad Iug. 10, 2 p. 80—83 et Obss. p. 2 disputavi. Rarissuma sunt coniunctivi omissi exempla. Tamen Iug. 53, 7 *et paene inprudentia admissum facinus miserabile, ni utrimque praemissi equites rem exploravissent*, facilius toleratur copulae omissio, quoniam praecedit *paene*, et perspicuum est, graviorem orationem esse, quod scriptor legentium animos ad id, quod evenisset, summo opere intendisset. Eorum locorum, quos in Obss. tractavi, in altero Iug. 88, 6 *id simulaveritne quo inprovisus gravior adcederet, an mobilitate ingeni pacem atque bellum mutare solitus, parum exploratum est*, praegressum *simulaveritne* lenit duritiam, simul adparet, si *sit* adiunctum esset, non tam de vitio, quam quod tum fecisset B. cogitari potuisse. De altero Iug. 113, 1 *Haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit, ceterum dolo an vere cunctatus parum conperimus*, non dubium est, quin *cunctatus* participium et ex *promisit* repetundus sit coni. *promiserit*, quem ad modum nos loquimur: 'Er versprach es, ob nach hinterlistigem oder ernstlichem Bedenken, ist nicht gewisz.'

Eoque minus suspiciosum *esset*, quod coniunctivi omissi exempla rarissuma sunt neque praeter Fr. I 47, 19 *(quid opus decretis, quid auxilio Catuli?)* umquam in illa locutione verbum *esse* omittitur, cfr. Cat. 1, 6. 20, 10 (solus 1 om. M[1] *est opus*). 31, 7. 43, 3. 45, 1. 58, 15. Iug. 55, 4. 7. 71, 4. 84, 2. 85, 31. Etiam minus probanda est suspicio quam idem v. d. in *est* contulit Iug. 31, 6 advorsus omnis libros ipsumque, quem merito plurumi fecit, 𝔙. Scilicet videtur ei offensioni fuisse, quod sequitur *necesse est.* Quod contra est. Neque enim Säll. talem repetitionem eius voculae fugit (Cat. 3, 1 *pulcrum est — haut absurdum est.* 7, 2 *suspectiores sunt — formidulosa est;* eodemque modo Iug. 55, 4 secundum optumos libros recipiundum est *ita quo clarior erat, eo magis animo anxius erat;* denique Iug. 85, 2 *quo pluris est universa res publica, est* praesertim cum ab libris munitissumum sit, eo minus eiciundum, quod graviter adfirmari ita esse minume ab h. l. alienum est) et ipsa obpositionis atque chiasmi ratio, ut in utroque membro *est* ponatur postulat. Cat. 48, 3 *Post eum diem quidam L. Tarquinius ad senatum adductus erat* Link. *erat* delevit. Atque aliquid quidem suspicionis per libros manu scriptos movetur (vid. var. scr.), quod tamen prae tanto optumorum consensu nihili putandum est. Latuit autem iam librarios, qua ratione plusqpf. dictum esset, quo Sallustius usus est, quod quae sequuntur cur dissereret, commemorato quod praecessisset explicare vellet (cfr. Cat. 18, 6. 24, 1. 36, 5. 50, 4. 56, 2. Iug. 42, 1. 72, 1). Iug. 6, 1 *uti mos gentis illius est* cur advorsum codices omnis *est* cum Cortio et Linkero deleatur, nulla profecto caussa est; nec magis caussam video cur 17, 7 *quamquam ab ea fama, quae plerosque obtinet, divorsum est,* cum libri ne minumam quidem suspicionem moveant, eiciatur. 24, 8 *quid est relicum* ita optumorum librorum consensu firmatum est, ut quod in paucis recentioribus libris omissum est, nihil prorsus valeat. 31, 25 *hosti acerrumo prodita senati auctoritas, proditum inperium vostrum* Vaticanum, cum quo relicui libri consentiunt, sequendum censeo ac scribundum *proditum inperium vostrum est.* Etenim ita demum de facinore singulari Bestiae dicitur, neque insolentior verborum ordo offensioni est, quia *inperium vostrum,* quippe obpositum senati auctoritati, graviore numero ecferundum fuisse adparet. 82, 3 *nobis satis cognitum est,* qui cum MM[1]Fm[2]s[2] *est* delendum censeat, viderit ne neglegat Sallustium dicere voluisse: se illud pro satis cognito habere. 94, 3 qui legerit: *tum vero cohortatus milites et ipse extra vineas egressus testudine acta succedere et simul hostem — terrere,* vix

offendit, at cum optumi et vetustissumi libri testentur scriptum fuisse *est egressus*, quidni id conprobemus, cum *succedere* — *terrere* non ea sint, quae Marius per se fecerit, igitur eis, quae dux ipse peregit, apte subiiciantur quae milites confestim perfecerint? 104, 3 *profecti sunt*, 107, 7 *perventum est*, 113, 7 *deductus est* libri conmendant [1]), nec minus 110, 5 *flagitiosum est* optumi testantur, set difficilius est iudicare de 110, 3: *qua apud meum animum nihil carius est.* Etenim cum antiquiores libri 𝔅 P^2P^3B *carius est* exhibeant, recentiores omnes in *carius habeo* consentiant, sane et *est* et *habeo* ex glossemate inrepsisse veri simile videri potest. At cum sententiam esse adpareat 'qua apud animum meum nihil carius habetur', contra veri dissimile sit *habeo* superscripto *est* explicatum esse, antiquioribus codicibus etiam in hac minoris momenti re obtemperare satius est. Ac ratio quidem me movit, ut Iug. 35, 1 *Erat ea tempestate*, quamvis libri variarent, tamen in suspicionem vocare non auderem, quod idem de Iug. 85, 46 et 102, 5 dicendum. Contra Cat. 8, 6. 10, 6. 52, 22 et 23. Iug. 19, 5. 107, 6. 109, 3 et 114 extr. cum ratio eorum librorum, qui copulam omittunt, fidem confirmet, eam recipere nolo et vehementer recuso. Et quamquam in membris temporalibus, quae per *ubi* vel *postquam* adiunguntur, copulam fere semper adpositam esse observamus — quippe ibi rem factam significari, verbi ergo tempus praeteritum poni necesse est (cfr. Cat. 45, 4. 47, 1. 50, 5. Iug. 23, 1. 34, 1. 39, 1. 41, 10. 52, 2. 53, 2. 60, 5. 7. 62, 8. 68, 1. Cat. 45, 4. 51, 5. 53, 5. 55, 5. 60, 2. Iug. 14, 10. 26, 1. 27, 1. 35, 1. 10. 41, 4. 62, 2. 85, 1. 104, 4. 106, 6) — tamen Iug. 75, 7 *ubi ad id loci ventum*, 77, 3 *ubi ea inpetrata*, 79, 4 *postquam* — *fusae fugataeque et* — *adtriverant*, 91, 2 *postquam tempus visum*, ib. 4 *ubi dies coepit et* — *multi* — *egressi*, 109, 2 *postquam* — *congressi*, colorem orationis Sallustianae quibusdam libris postulantibus mutare nimiae audaciae esset. Set sane confiteor Iug. 14, 15 cum 𝔅 *relicta anima est*, reliqui omnes praeter g^6 *relicta est anima* exhibeant, *est* suspectum esse, nec minus 85, 47 *quibus militaris aetas est*, quamvis hic copula aegre careri possit. — Ut ad infinitivum *esse* transeam, Cat. 1, 3, cum inter ipsos optumos libros de loco infinitivi non conveniat, simul usus verbi *videri* omissionem conmendet,

1) Nolo dissimulare in extrema parte Iugurthae verbi *esse* omissi exempla multo frequentiora esse, quam in reliquis. Scilicet scriptor res, ad quas legentium animos adtentos esse sciret, cum gravitate et celeritate scribere animum induxit. Incertius iudicium esse in ea parte, quam ex recentioribus codicibus solis cognovimus, non diffiteor.

quo mihi rectius videtur utique retinendum est. contra qui 44, 5 *memineris te virum esse* propterea, quod MM¹GFp¹g²g⁴s¹ *esse virum* praebent, in suspicionem vocaverit, viderit ne merito homo suspiciosus audiat. Nec magis Iug. 20, 1 *certum esse ratus*, quamvis nonnulli libri *esse* omittant, mutandum est, cum praesertim sententiam esse adpareat: certum inventum esse ('als gewis sich zeige'). Porro 79, 7 *postquam Curenenses aliquanto posteriores se esse vident* quin verum sit dubitari vix potest. Set varietas scripturae viam ac rationem ostendit qua alium locum emendemus. Cum enim 64, 3 *facturum sese quae peteret* nulla caussa inveniatur, cur graviore *sese* quam simplici *se* scriptor uti maluerit, *facturum se esse* scribundum suspicor. 85, 40 *omnibusque bonis oportere plus gloriae quam divitiarum esse: arma non supellectilem decori esse* Linkerus, credo non tam quod in recentiore primi generis librorum familia multisque secundi omissum, in P¹ et G superscriptum esset, quam quod sententia flagitare videretur, prius *esse* delendum censuit; set neglexit praegressum membrum *munditias mulieribus, viris laborem convenire* inlustrari et amplificari altero per *que* adiuncto, quod in duas partes sine vinclo inter se obpositas divisum sit. Cum igitur in talibus membris repetitionem verbi *esse* Sallustium non fugisse supra viderimus, cum *gloria* et *divitiae* habeantur, quae *decori* sint et ab nobis ostendantur, ideoque repetitionis iustam caussam esse adpareat, cum denique casu quodam ab librario *esse* omissum esse ab veri specie non abhorreat, infinitivum illum codicis 𝔅 cum relicuis vetustissumis consensu confirmatum recte abici nego. Denique 111, 1 cum libri paene uno consensu testarentur *faciundum esse aliquid, quod — rettulisse videretur*, id revocandum putavi, quippe cum id quietae et prudenti expositioni optume convenire videretur.

Eadem fere quae de omissione copulae, de asyndeti admissione valere olim ad Cat. 11, 2 p. 39 sq. ostenderam. Qua re etiam in ea caussa libris potius obtemperandum, quam meum sensum sequendum putavi esse, nec Cat. 2, 2, nec 11, 1 Linkero illic *atque*, hic *et* delenti obedivi. Contra 17, 1 *et*, quod inter *L. Caesare* atque *G. Figulo* interpositum est, item 38, 1 tollendum censeo, non quod unus cod. μ omittat, set quod constans Romanorum usus ita postulet. Quam proclives fuerint librarii ad interserendam particulam copulativam documento est Cat. 25, 2, ubi cum praecesserit *genere atque forma, viro atque liberis* ferri non posse, qui Sallustiani generis dicendi gnarus est, facile concedet. Prospera igitur fortuna accidit, ut codd. P¹B *atque* ex glossa inlatum esse perspicue ostenderent. Tamen eidem libr

qui *atque* omittunt, paulo post *psallere et saltare* exhibent, cum Frontonis et Macrobii testimoniis *et* additamentum esse constet. Asyndeton secundum optumos libros restituendum putavi Cat. 27, 2 *uti semper intenti parati essent*, cum omnis loci rationi maxume conveniret, set idem Iug. 44, 5 quamquam fateor *et*, quod ante *palantes agros vastare* cet. omnes Sall. codices praeter g et g[1] et liber Frontonis tenent, rectius mihi abesse videri, quippe in alacri et vivida descriptione, tamen in tanto librorum consensu delere non ausus sum, cum utique dubitandum videretur, annon scriptor transitum ad facinora in incolas regionum perpetrata notare voluerit, ut infra *praeterea* — *postremo* sequuntur. Item maxumus optumorum librorum consensus me inpedivit, quo minus 51, 4 *orare et hortari* asyndeton restituendum censerem, praesertim cum ibi narratio placide ac tranquille procedere videretur. Contra ut 50, 4 *et praeterea* verum iudicem moveor uno primi generis librorum consensu. Ac *et praeterea* scripsit Cic. Ep. ad fam. III 10, 1, quamquam leviore genere scribendi fortasse excuses, set h. l. *praeterea* futuri temporis significationem habere ex eis quae sequuntur *si deprehensi forent* luculenter adparet, ut *et* rectissume adiectum videatur. Ceterum me eandem ob caussam Iug. 18, 4 *et* inserendum putasse, ob quam 85, 46 *atque* deleverim, neminem latere arbitror. Set Iug. 85, 3 *bellum parare simul et aerario parcere* cum Vaticano *et* eiciundum esse nego, cum et Sallusti usus id postulare videatur (vid. Ind. Quam olim ad Iug. p. 173 sq. dixi sententiam, eam nunc ita recolo ut *simul* ubique vere priori membro adhaerere censeam) et sententia, cum tria coniungi adpareat cum ea, quae singulis adhaereat, difficultate: belli adparatum, exercitus subplementum, rerum omnium curam, contra ubi *et* omitteretur, *simul* non ad unum quod sequitur, set etiam ad cetera pertineret. Contra 91, 1 *et*, quod Linkerus uncis incluserat, delevi, cum in multis vetustissumis libris omissum esset. Nec difficile ad cognoscendum est, quibus rebus factum sit, ut Iug. 92, 7 in plerisque et optumis libris *magna pars et frumenti* perverse scriptum inveniatur.

Per glossema superscriptum Schmidt Philol. X p. 734 sq. conruptum esse arbitratus est locum Cat. 3, 2, cum ab Sall. *auctorem et actorem* scriptum fuisse, deinde pro *auctorem* glossema *scriptorem* substitutum esse crederet. Quod mihi secus videtur. Nam primum qui quam saepe *auruspex* pro *aruspex* in libris scriptum sit secum reputaverit, libris in ea re non multum tribuendum esse intelleget, et eo, de quo disputamus, loco *actorem* maior pars optumorum codicum tue-

tur. Tum *auctor* quamquam apud Ciceronem et alios rerum scriptoi haut raro dicitur, tamen id ita semper factum est, ut magis qui quic verum esset ostendisset, quam qui res narrasset, intellegendus esset id quod ab h. l. alienum. Denique eadem hoc loco obpositio est, quae ab Homero usque per omnem antiquitatem manavit (Hom. Il. IX 443 *μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι πρηκτῆρά τε ἔργων*, quod Cic. d. or. III 15 57 expressit: *oratorem verborum actoremque rerum)*, eoque minus Sall. *auctorem* rerum actori obponere potuit, quod *auctor rerum* etiam is est, qui consilio praeit ac regit res, cum pro *oratore* recte *scriptor* substituatur. Multo magis merito Iug. 1, 5 *suam quique culpam actores ad negotia transferunt* dubitari videtur an scribundum sit *auctores*. Recte enim ei qui consilio suo rem gerundam praecipiunt et regunt, i. e. auctores, pro se ipsis negotia adcusare dicuntur; sed cum vetustissumi in *actores* ita consentiant, ut *auctores* minus testatum sit, cumque illud ad sententiam, quippe cum plures conplectatur, magis idoneum sit, adquiescendum videtur. Ceterum quo proverbii speciem prae se ferre ea verba, id quod olim contenderam, declararetur, Lahmeyerus Nov. Ann. LXXVI p. 148 ostendit Cic. locum Cat. mai. 5, 14 *sua enim vitia insipientes et suam culpam ad senectutem transferunt.*

Cat. 7, 6 praeeunte Sellingio emend. Sall. p. 11 sq. Nauckius (d. Vorw. zu Sall. Cat. Verschw. Königsb. in d. N. 1850) p. 5 verissume observavit *sic* ante *se quisque ferire* nullo modo ferri posse, eamque ob caussam scribundum esse coniecit *sese*, quod recepit Linkerus. Cum autem Pm℘ Naz. et Comm. *se* omittant, in P[1] superscriptum sit, contra *se* in GE septemque recentioribus exciderit, eoque ducat etiam a scriptura *si quisque*, non dubitandum videtur quin *sic* ab grammatico superscriptum per relicuos libros permanaverit.

Quoniam constabat apud posteriores scriptores *quam* ita dictum esse ut in praegresso membro *magis* vel *potius* omissum esse videretur (vid. Grysar. Act. Gymn. Austr. IV p. 16. Opitz spec. Lexicol. arg. act. Numburgi 1852 p. 17), fuere qui Cat. 8, 1 *ea res cunctas ex lubidine quam ex vero celebrat obscuratque* et 9, 1 *quod beneficiis quam metu inperium agitabant*, 48, 5 *tanta vis hominis leniundi quam exagitanda videbatur* scribundum censerent. At primum Sallustium ab consuetudine eorum, qui ipsius aetate floruere, non discessisse per se consentaneum est, Ciceronem autem et Caesarem constat illum usum particulae *quam* raro neque umquam nisi cum verbis, in quibus optionis vel voluntatis notio inesset, admisisse (Weissenb. gr

lat. §. 439 p. 466). Quid igitur? Cum *magis* etiam multis locis incuria ab librariis omissum esse conpertum sit (vide si tanti est, Cat. 1, 2, ubi in σ, ib. 5 ubi in BM²m¹ deest; cfr. var. scr. ad 7, 1. 11, 1. 52, 3) nec minus saepe locum mutasse (cfr. var. scr. ad 20, 17. 22, 2. 54, 5), utrum credibilius 8, 1 ubi ne qui libri quidem omittant satis constat, et 9, 5 ubi *magis* magno vetustissumorum consensu munitum est, glossema in textum inrepsisse, an per neglegentiam in nonnullis excidisse?

Contra glossema nunc iudico, quod olim summo studio defendi, *hostibus* Cat. 12, 5. Nam si ex librorum fide atque auctoritate existumare volueris, cum uno consensu primi generis codices omnes et ex recentioribus optumus quisque omittant, in uno ad marginem in altero pro eo *victis* scriptum sit, gravissumae suspicioni illud vocabulum obnoxium esse negare non poteris. Deinde, quod olim contendi, cum *ignavissumi homines* et *fortissumi viri*, 'per *summum scelus* et *victores* (i. e. victoriae iure) inter se obposita essent, ratione efflagitari ut *sociis* quoque quod responderet haberet, idque *hostibus* commodissume esse, acutius quam verius dictum fuit. Nonne enim obpositorum gravitas eo ipso augetur, cum ad unum conmune referuntur? Et nonne qui victi se Romanis dedidere, confestim socii facti sunt? Scilicet non de eis rebus agitur quae flagrante bello hostibus eripiuntur, set de eis quae dediticiis iure adimi potuerint quaeque per scelus adimantur. Qua re merito in hoc me ipse castigasse mihi videor.

Alea, quod Cat. 14, 2 in nonnullis libris aut *manu* adiunctum aut pro eo substitutum legitur, glossema esse omnes confessi sunt, eiusdem autem capitis principio eo quod in nonnullis libris scriptum est in *tanta itaque tamque conrupta civitate*, facile ad eam sententiam adducaris, ut *itaque* per *tamque* explicatum idque in textum inrepsisse opineris, set quoniam in aliis *itaque* praemissum, in T *igitur* scriptum est, illud *itaque* ab eis adscriptum esse veri similius videtur, qui nexum quendam cum praecedentibus restituendum censerent. Cat. 15, 5 postquam de mente per conscientiam vastata dictum est, sic pergitur: *igitur colos exanguis*, *foedi oculi, citus modo modo tardus incessus: prorsus in facie voltuque vecordia inerat.* Ita praeeunte Cortio omnes edidere; primus Gerlachius in editione novissuma ex vetustissumis libris *colos ei exanguis* restituit, cuius sententiam conprobandam duxi. Neque enim quod recentiores libri *eius* praebent, quod in paucis locus pronominis mutatus, in uno m super linea scriptum est, tanti est ut glossematis suspicio libris munita habenda sit, neque Probi,

qui hunc locum propter formam *colos* adfert, auctoritas codicum fidei infringere potest, quam etiam confirmat quod in Naz. et Comm. scriptum fuisse Gruterus memoriae tradidit: *colore exanguis.* Faciliu concedi posset, si in vetustissumis libris *eius* scriptum esset, non quo casu glossatores usos esse minus credibile est. Set gravissumu argumentum videtur, quod h. l. cum ab animo ad ea, quae in corpor illius habitus effecerit, transeatur, aptissume pronomen adiicitur, ut 25, ubi ab facinoribus Semproniae ad ingenium, Iug. 63, 3 ubi ab Ma virtutibus ad vitam pergitur. Exemplum quod Cortius ostendit Cat. 5, 3 e 4 diversum esse adparet, quoniam ibi omnis Catilinae natura atque in doles describitur et *animus* ac *corpus* per asyndeton inter se obposita sun

Set transeo ad locum difficillumum Cat. 18, 3, de quo ut rect iudicari possit, res gestae diligentissume perscrutandae sunt. Catilin igitur, cum a. 68 praeturam gessisset, a. 67 Africam provinciam obti nuit. In qua provincia eum etiam a. 66 fuisse constat ex Cic. p Cael. 4, 10: *fuit assiduus mecum praetore me, non noverat Catili nam. Africam tum praetor ille obtinebat.* Iam *cum provinciam gra viter vexasset, legati Afri iam tum absente illo questi sunt*, ut a Ascon. ad Cic. in tog. cand. p. 85 Or. Senatus consultum tum in Catilina factum esse cum Ciceronis ipsius fr. 3 testatur *cum gravissumis vostri decretis absens notatus est*, tum Asc. pergens *multaeque graves sen tentiae in senatu de eo dictae;* decretum autem esse ne ei consula tum petere liceret, id quod ipse olim contenderam [1], de ea re nihi prorsus traditum est. Set iam a. 66 rediisse ex Africa et eo ips anno consulatum petere voluisse, nisi omnis testimoniorum fides labe factetur et artificiose rerum publicarum romanarum ratio cogitetur — etenim Drum. V p. 393 eo modo acute difficultatem removere studuit — negari non potest, cum Cic. in tog. cand. fr. 11 *te vero* inquiat, *Ca tilina, consulatum sperare aut cogitare non prodigium atque por tentum est? A quibus enim petis? A principibus civitatis? qui cu L. Volcatio consuli in consilio fuissent ne petendi quidem potestate esse voluerunt*, quem ad locum Asc. p. 89 sq. *paulo ante dixim Catilinam, cum de provincia Africa decederet petiturus consulatu et legati Afri questi de eo in senatu graviter pervenissent* (vid. p 55 n. 1), *professus deinde est Catilina, petere se consulatum, L Volcatius Tullus consul consilium publicum habuit, an rationem Ca

1) Gerlachius cum ed. Bas. 1853 p. 452 contra sententiam meam dis- putavit, merito me in nonnullis ca stigavit, at alia parum pensitavi

tilinae habere deberet, si peteret: nam quaerebatur repetundarum. Catilina ob eam caussam destitit petitione (addas si tanti testimonium Cassi Dionis 36, 27 ᾐτήκει δὲ καὶ αὐτὸς τὴν ἀρχὴν καὶ διὰ τοῦτο ὀργὴν ἐποιεῖτο). Ergo hoc constat Catilinam a. 66 quo minus consulatum peteret prohibitum fuisse, illud dubium est quo iure et quam ob caussam; in quo unum certum L. Volcatium eius petitionem non admissurum fuisse, idque consilii principum civitatis auctoritate atque consensu. Inde quod *consilii publici* nomine putatum est senatum dici, is error obfusus est multis, ut senati decreto illud factum esse contenderent (vid. Halm. ad Cic. pr. Sull. 4, 13. Hagen Catil. p. 82). Quid autem senatum, cum Africani oratores de Catilina graviter questi essent, decrevisse veri simile est, quod simul in Catilinam ignominiosum esset et precibus Afrorum satis faceret? Quoniam Cic. pr. Cael. 4, 10 Catilinam se praetore Africam obtinuisse narravit indeque etiamsi Ciceronem aut minus vere aut parum diligenter dixisse concedas, tamen coniciundum videtur illum maxumam anni partem in Africa fuisse, facile aliquis in hanc sententiam adduci possit: senatus consultum factum esse ut ei succederetur. At si id factum fuisset, admirabile certe foret, si id Cicero Catilinae obprobrio non dedisset. Atque plerumque aestate demum ab provinciis decessum esse demonstravit Drum. l. c. n. 7. Qua re si quae tradita sunt teneas, nihil aliud conici licet, nisi tales sententias de eo dictas esse, quibus accusatio repetundarum adiuvaretur animique ad eam instituendam instigarentur et confirmarentur. Nam cum *decreta* possint esse sententiae a singulis senatoribus dictae (cfr. Sall. Cat. 50, 4. 51, 18. Iug. 104, 2. Fr. I 47, 1), adeo factumne sit senatus consultum incertum est. Iam a. 65 Catilinam a. P. Clodio accusatum caussam dixisse constat ex eodem Cic. pr. Cael. 4, 10 loco: *secutus est annus, cum* (recte hoc Garatonius inseruit) *caussam de pecuniis repetundis Catilina dixit.* Set, qui ex G. Verris caussa cognoverit, quantum temporis inter nominis delationem ipsamque iudicii actionem intercedere potuerit, non dubitabit, quin statim post eius reditum Catilina reus factus sit, eoque minus, quod credibile est acerrumis ac gravissumis in eum sententiis in senatu dictis animos ad nomen deferundum promptiores et alacriores factos esse [1]). Deinde nisi

1) Quamquam arduum est de libro iudicare, cuius naturam perspectam non habeas, tamen non tacebo, Asconi locum apertissume lacunosum non cum Hagenio *essent pervenisset*, set sic fere subplendum mihi videri: *questi, ad P. Clodium ut suam caussam susciperet publice rogantes pervenissent.*

omnem Sallusti verbis fidem abrogare volueris, negare non poteris Catilinam tum demum consulatum petere voluisse, cum P. Autronius et P. Sulla legibus ambitus interrogati poenas dedissent et comitia consulibus subrogandis habenda essent. Ut iam ad Sallusti locum me convortam, inter eum et Asconium de ea re nulla divorsitas est, Catilinam per nobilitatem prohibitum esse ab consulatus petitione; nam in *prohibitus erat consulatum petere* nihil aliud inest nisi *conmotus erat ut a petitione desistendum putaret*, de qua re eo minus dubitari potest, quod eam caussam referri, qua Catilina ad coniurandum cum P. Sulla et P. Autronio inpulsus fuerit, apertissumum est. Id ita factum esse, cum L. Volcatius Tullus se, si peteret atque adeo crearetur, nomen eius non renuntiaturum esse ex consili sententia declarasset [1]), Sallusti verbis nullo modo reicitur, set quae adiecta sunt, *pecuniarum repetundarum reus* et *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat* — ponam enim Sallustium ita scripsisse —, caussas contineant necesse est, quibus adductus consul iure renuntiationem recusare sibi visus sit. Igitur caussam fuisse crimen repetundarum praeter Sallustium per Asconium confirmatur verbis *nam quaerebatur repetundarum*. Ut autem nominis delatio inpedimentum legitumum non fuerit, quo quis a petitione arceretur, tamen certe idonea caussa fuit, cur consul Catilinam sibi indignum videri quem renuntiaret declararet praesertim cum ille gravibus decretis in senatu notatus vel multae graves in eum sententiae dictae essent, atque adeo adpareret eum petitione, si crearetur, iudicium effugere velle — quemadmodum P. Clodium constat a. 57, cum ei actio de vi ab T. Annio Milone intenderetur, aedilitatem petiisse (Drum. II p. 318) [2]). Illud unum quaeri potest, num recte Sallustius eum repetundarum reum dixerit, cum Asconi verba indicare videantur, speratum esse fore ut eius nomen deferretur; set iam supra ostendimus, quam per se non incredibile esset, statim post reditum eius nomen delatum atque adeo ab praetore,

1) De his rebus cfr. Gruchius de comitiis Roman. Venet. 1559 p. 60 sq. Becker Ant. Rom. II 2 p. 33 sqq.

2) Quamquam nullum testimonium adferre possum, tamen, qui reus factus esset tali crimine, ut condemnationem infamia atque exilium consequi possent, semper ab magistratu qui comitiis praeesset reiciundum fuisse pro certo habeo (Lange Ant. Rom. I p. 516), nominis delationem, non ipsum iudicium petitione effugi potuisse, id quod mihi confirmari videtur, quia in P. Clodi caussa id potissumum actum est, ut ante comitia sortitio iudicum fieret (Cic. ad Q. fr. II 1, 2; vid. Drum. II p. 320 n. 6), i. e. iudicium institueretur (non ipsum haberetur), ergo ne petere ei liceret, P. Clodius inter reos referretur.

quippe qui quid senatus maxuma pars censuisset sciret, receptum fuisse, nec si Sallustium hanc nominis delationem paulo anteceperit, id tanti est, ut propterea quod tradidit in suspicionem vocandum videatur. Iam videamus de altera caussa. Cum igitur lege praescriptum fuerit ut candidati tribus ante comitia nundinis coram populo se petere profiterentur (Beck. Ant. Rom. II 2 p. 37 et 49), verba illa *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat* nihil aliud significare possunt, nisi Catilinam quo minus trinum nundinum (sive praesens sive absens) peteret inpeditum fuisse, eaque re L. Volcatium Tullum pro caussa usum esse cur eius nomen se renuntiaturum negaret, id quod Hagenius l. c. p. 83 propterea sic institutum esse censuit, ne Catilina laederetur atque exacerbaretur. Set quid? num Catilinam tam inprudentem fuisse credibile est, ut se petere profiteretur, cum quod lege praescriptum esset facere nequivisset, propter quod iure ei petitionis potestas negaretur, aut tam audacem atque inpudentem, ut postularet uti lege solveretur, in quem gravissumae in senatu sententiae dictae essent? An consulem, si lex Catilinae petitioni obstaret, consilium publicum de ea re habiturum fuisse opinaris? Quod si Asconi locum diligenter nobiscum reputaverimus, professionem petitionis non de voluntate coram populo declarata intellegundam esse inde adparet, quod L. Volcatius ad consilium retulit, num Catilinae rationem habere deberet, s i p e t e r e t. Ergo si Asconi testimonio aliquid tribuendum, Catilina se petiturum professus est sive apud consulem, id quod non necessarium fuisse optume demonstravit Becker. l. c. p. 37 sq., sive alio modo, set cum L. Volcatius ex consili sententia se eum renuntiaturum negasset, a petitione i. e. ab professione apud populum destitit. Haec si consideraveris, quid est, quod cogat ut consulem legis praetextu uti, quam homini indignissumo atque optumatibus metuendo resistere maluisse statuamus? praesertim cum nobilitatem condemnationem Catilinae constanter voluisse inde adpareat, quod Asc. p. 90 eum postero anno ita liberatum esse testatur ut eum senatorum urna damnaret, quamquam nonnullos ex senatu, atque adeo L. Torquatum consulem ei favisse constat (Drüm. V p. 410). Videmus ergo, cur credibile videatur Catilinam intra legitumos dies profiteri nequivisse, neque in scriptorum testimoniis, neque in rebus ipsis quidquam argumenti inveniri, verba quae apud Sallustium leguntur sola id testantur. Quid autem, si ea alio modo suspecta sunt? Primum enim libri vetustissumi atque optumi omnes *nequiverit* exhibent, quem coniunctivum Gerlachius ita defendere conatus est, ut verba illa non Sallusti neque senatorum esse iudicium, set ex mente Catili-

nae dicta esse, quem Sallustius quasi loquentem induxisset, diceret. Quod omnibus legibus ac rationibus grammatices repugnare [1]) non est cur pluribus exponam, cum nemini persuaserit, eoque minus, quod absurdum est h. l. scriptorem dicere qua re Catilina quod ab petitione destitisset se excusaverit, ubi de caussis dicit quibus ille ad coniurandum inpulsus sit. Set illud *nequiverit* glossatorem sapere, qui quod suspicaretur adscripserit, quivis facile concesserit. Set concedamus, id quod credibile non est, errorem librarii per omnes vetustissmos libros propagatum esse et Sallustium id quod in libris recentioribus invenitur, *nequiverat* scripsisse, num omnis dubitatio de eis verbis removetur ac tollitur? Inepte dici *nequiverat*, si caussa proferatur qua ad capiundam per vim rem publicam Catilina stimulatus sit, recte persentit Hagenius l. c. p. 81; nam ita non optumatium iniquitate, set sua culpa vel rerum necessitudine exclusus erat. Et cur tandem, cum *pecuniarum repetundarum reus* iam causam reiectionis continerent, scriptorem alteram adiecisse credamus? Nonne, si utramque fuisse vel conperisset vel suspicaretur, eas coniungere debebat? An Sallustium ita amentem fuisse opinaris, ut cum apud auctores suos invenisset *quod intra legitumos dies profiteri nequiverat*, quamvis verba non intellegeret, tamen ea transscripserit, set antea caussam probabiliorem ac veri similiorem caussam *pecuniarum repetundarum reus* adiecerit? Cum igitur tam multa eis verbis ab scriptoris ingenio, ab aliorum testimoniis, ab re ipsa obstarent, denuo diligentius omni re pertractata, ab ea quam olim dixeram sententia, verba illa *quod — nequiverit* ex glossemate orta esse, non modo non dimotus, verum etiam in ea confirmatus sum.

Cat. 22, 2 quod in libris plerisque legitur *dictitare* ferri non posse omnes intellexere, nec quisquam Gerlachii rationem conprobabit, qui infinitivum historicum necessarium esse censuit (ed. nov. praef. p. XVII) quo quae antea dicta, *fuere qui dicerent*, adiuncta consuetudinis et iteratae actionis notione repeterentur, ne quis talia a Sall. ficta potius quam aliorum testimoniis confirmata putaret, cum iam Fabrius

1) Non vereor, ne quis obpositurus sit locos Cic. in Verr. I 30, 75 *qui in illa re quid facere potuerit non habebat*, II 21, 50 *facta sunt — ut in curia — posuerint*, ubi ex Lagom. 42 *ponerent* repositum est, IV 6, 16 *illa se habuisse venalia eaque se quanti voluerit vendidisse*, V 10, 27 *eo usque se praebebat patientem — ut eum nemo umquam in equo sedentem viderit*, Cael. ap. Quint. VI 3, 41 *hic subsecutus quo modo transierit — nemo sciebat*, cum eorum locorum diversas rationes esse adpareat.

exposuerit, consuetudini dicendi h. l. infinitivum historicum repugnare. Nec vero Sellingii (lect. Sall. p. 10 sq.) sententiae adsentior, qui *dictitare* turpem glossam iudicavit. Nam primum quae in nonnullis libris recentioribus inventae sunt scripturae, *dictam rem dictas res* similes, conrectiones potius putandae sunt quam glossematis indicia. Deinde mirum esset, si glossator verbo frequentativo, quod ap. Sall. praeter Iug. 84, 1 nusquam legitur, uti maluisset, quam vel *fuere qui dicerent* repetere vel *dixerunt* sive *dicebant* adscribere. Tum cum adpareat omne hoc membrum non ad praegressum *aperuisse consilium suum*, set ad univorsam rem de circumlato sanguine corporis humani et tum demum patefacto consilio referri, aegre desideratur obiectum, quod praegressa omnia conplectatur, qua in re durities, quam Fabrius vere persensit, posita est, non in particula *atque*. Cum igitur veri simile videretur, *dictitare* ex conruptione potius ortum esse, quam ex glossemate, in eam coniecturam incidi, ut *ita* ab Sallustio scriptum crederem, ac cum ei superscriptum esset *dictam rem*, id *dictitare* verbo originem dedisse.

Multis modis dubitationi obnoxius est locus Cat. 26, 5. Nam pro *consuli* vetustissumi libri *consulibus* exhibent, et *in campo* multi boni libri omittunt. Quae res Linkerum videntur movisse ut *quas — fecerat* glossatoris esse uncis additis declararet. Boni autem rerum scriptoris est, ita narrare, ut de eo quod dicat nulla dubitatio oriri possit. Ponamus igitur illa verba deesse, quis haec verba de aliis insidiis intellegret, quam de eis, de quibus supra dictum est *omnibus modis insidias parabat Ciceroni?* Set credisne Sallustium ignorasse, ipso comitiorum die ab Catilina et Autronio homines armatos ad caedem faciundam in Campum deductos esse (Cic. pr. Mur. 26, 52. pr. Sull. 16, 51)? credisne id, quod summae audaciae esset, quo nihil periculosius accidere potuisset, eum omittere voluisse? Ergo haec in suspicionem vocari nequeunt, quin iniuria fiat scriptori. At miramur *in campo* excidisse, multo magis optumos libros *consulibus* exhibere. Nam, ut C. Antonium, etiamsi comitia non haberet, a campo non afuturum ac futurum fuisse ut ei, si Ciceronem adiuvaret, Catilina non parceret largiamur, tamen si Sallustius *consulibus* insidias factas narrasset, omnibus testimoniis repugnaret atque merito in neglegentiae crimen incurreret. Ergo verbis *in campo* carere non possumus, at alterum neque necessarium est — cui enim insidiae factae essent omnes sciebant — et quoniam *consulibus* antiquior scriptura est suspectum. Quid igitur? nonne *consulibus* glossema videtur, quo recepto *in campo*

omissum est? Set eodem modo 27, 2 *consulibus* — ea enim vetustissumorum atque optumorum librorum scriptura est — pro glossemate habendum, eoque magis, quod eo addito aequabilitas membrorum *insidias tendere, parare incendia* turbatur.

Cat. 30, 3: *ei utrique ad urbem inperatores erant, inpediti ne triumpharent calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat*, Linkerus extremum membrum relativum uncis circumdedit. Cuius suspicionis quae caussae sunt? Num in libris manu scriptis est, quo verba illa suspecta fiant? Nihil profecto. An quod grammatici Sergius et Servius, cum ob alias caussas hunc locum adferrent, ea omisere, idoneum argumentum est? Minume. An Sallustio indignum eisdem verbis bis uti? Nam Iug. 80, 5 *quam rem* inquit *oportunissumam incepto bello pauci inpediverant, caeci avaritia, quis omnia honesta atque inhonesta vendere mos erat* et similiter Iug. 31, 12 *quis fides decus pietas, postremo honesta atque inhonesta omnia quaestui sunt.* Neque ab Sallusti consuetudine id abhorret et laudi potius ducendum, si idem perditum genus hominum eisdem verbis saepius notavit. An veritas obstat, quo minus ea ab Sallustio dicta putemus? At nonne, qui Gn. Pompeio aliisque inservientes (vid. Drum. II p. 54. Momms. R. G. III p. 154) triumphos illorum virorum prohibebant, pretio potius quam vero studio rei publicae agebant? Nisi forte opinaris Sallustium tam caecum fuisse, ut qui nobiles homines inpugnassent vituperare nollet, aut ita Gn. Pompeio amicum, ut eius ministros turpes reprehendere non auderet. Has ob caussas uncos removendos censui.

Eiusd. cap. 6 *decrevere*, quod in multis libris inter *praemium* et *servo* interpositum est, glossema esse, codices vetustissumi et optumi testantur. Similis est locus 35, 6 *nunc Orestillam trado tuaeque fidei conmendo*, ubi quod 𝔅 cum tribus novissumi generis codicibus exhibet *tibi conmendo* ex glossemate ortum summus relicuorum consensus evincit. Vide infr. de 46, 5.

Quamquam autem vereor, ne qui aliis locis glossematum suspiciones reiecerim, ipse nimis suspicax et acutus audiam, tamen non tacebo Cat. 31, 8 mihi *civis* male adiectum videri, his quidem de caussis: primum *inquilinus* ubique substantivum est; quamquam autem substantiva haut raro adiectivorum naturam induunt, tamen id in vocabulo iuris, nisi usu receptum esset, minus facile fieri licebat. Deinde *civis urbis Romae* ubi dictum sit, nescio (cfr. Nieb. H. R. II p. 75), ac vehementer dubito an illis temporibus dici potuerit, quibus civitas romana non urbis pomoerio continebatur, set multis oppidis et civitati-

bus data erat, ut iam non esset *civitas urbis Romae* set *civitas populi romani*, Cic. de Leg. II 2, 5. Ac quamquam eodem Cicerone l. c. auctore qui in municipiis nati erant, ortu municipes erant, civitate Romani, habebant alteram loci patriam, alteram iuris i. e. Romam qua excepti erant, a qua univorsa res publica nomen habebat, tamen Romani erant, non urbis Romae. Tum inquilinus civis Romanus recte is adpellatur, qui cum Romam venisset, particeps factus est civitatis romanae, quo iure municipiorum genus utebatur (Paul. Diac. p. 105. Gell. N. A. XVI 13, 6 et 7) — vel qui inquilinatu (utar hoc vocabulo decendi caussa) civis romanus factus est. Sic recte Ciceronem dici non potuisse certum est, at tribuendum id videtur Catilinae audaciae, cum postea L. Manlius Torquatus simili convicio illum peregrinum adpellare ausus sit (Cic. pr. Sull. 7, 22 et 23). Postremo quid referebat Catilinae civitatis admonere, cum ex omni nexu facile adpareat eum nihil aliud consuli obprobrio dare voluisse, nisi Romam urbem ei patriam non esse, quod recte intellexit Appianus b. c. II 2 p. 536 Bekk. *Κατιλίνας δ' αὐτὸν ἐς ὕβριν τῶν ἑλομένων ἐπέσκωπτεν, ἐς μὲν ἀγνωσίαν γένους καινὸν ὀνομάζων — — ἐς δὲ ξενίαν τῆς πόλεως ἰγκουιλῖνον ᾧ ῥήματι καλοῦσι τοὺς ἐνοικοῦντας ἐν ἀλλοτρίαις οἰκίαις.* Neque quemquam quidquam desideraturum esse persuasum habeo, si civis abesset, quid quod eo remoto omnes difficultates tolluntur. Quod si quis quaesiverit unde illud in textum inlatum sit, meminerit multas non glossas set glossarum reliquias ab librariis receptas esse, et facile fieri potuisse, ut cum super *inquilinus* scriptum *peregrinus civis* idque male receptum esset, *peregrinus* deleretur itaque *inquilinus civis* remaneret.

Cat. 32, 1 *multa* cum Cortio delevi. Neque enim intellegitur, cur tandem Catilina multa potius, quam omnia quae bello usui forent ante capere voluerit, et spurium esse scripturae varietas, quae in libris est, ostendit.

Quoniam verba dicendi et intellegendi saepe ab Sallustio ante accusativum cum infinitivo omittuntur, ubi ex praecedentibus aliquo modo subpleri possunt, nonnullis locis, ubi ab ea consuetudine discessum, glossematis orationem vitiatam esse viri docti statuerunt. In qua re diligenter cavendum est, ne quod saepe factum, id scriptorem aliter facere non potuisse statuamus itaque qualis eius indoles fuerit fingamus potius quam ex eis quae tradita sunt perspicere studeamus. Cat. 46, 2 *at illum ingens cura atque laetitia simul occuparere; nam laetabatur intellegens coniuratione patefacta civitatem*

periculis ereptam esse; porro autem anxius erat dubitans in ma xumo scelere tantis civibus deprehensis quid facto opus esset: po nam illorum sibi oneri, inpunitatem rei publicae perdundae fo credebat, verba *laetabatur intellegens*, deinde *anxius erat dubitan* tum *esset*, denique *credebat* ab glossatoribus addita esse cum ali tum Linkerus censuit. Ac de *esset* quidem supr. p. 48 dixi, de rel cuis hic agam. Primum igitur in libris vetustissumis atque optumi nihil prorsus est, quod ullum eorum verborum suspectum redda Deinde Sallustius h. l. non quid transactum sit alacriter et vivide r fert, set quid de Ciceronis habitu animi in tanta re conpertum habeat ¹ exponit. Quod qui facit, tranquille et diligenter cogitare circumspice perpendere debet, eoque magis ubi de viro agitur, uti egregio ita a permultis infestato. Quo animi habitu qui scribit, is solet copio ac distincte omnia dicere cum natura ipsa cogente, tum eo consili ne lectores in errorem inducantur. Igitur non mirum quod Sall. i tali re alius est, quam in aliis. Porro cum antea *curam* et *laetitia* permixtas fuisse dixisset, nonne perspicuitas postulabat, ut qua r Cicero laetus, qua re anxius fuisset distincte diceretur, id quod e minus perspicuum futurum erat, quod chiasmus admissus; qua re verbi *laetabatur* et *anxius erat* aegre careremus. At fortasse participi *intellegens* et *dubitans* omitti potuere. Illud si abesset, qua re gavi sus esset exprimeretur, non quo magis sibi persuasisset iam pericu lum civitatis pro remoto ac superato habendum esse, eo magis laeti tiam auctam esse, id quod maxume h. l. idoneum. Quod si retinetu adeo membrorum aequabilitas efflagitat, ne *dubitans* removeatur, prae sertim cum sic significetur, recurrente semper dubitatione quid consil capiundum esset, anxiam curam revocatam esse. Postremo ubi *laeta batur* et *anxius erat* non expelluntur, si tertium membrum verb suo careret, id summo vitio scriptori vortundum esset. An *credeba* ineptum est? Non magis quam Cat. 20, 1. 24, 4 (cfr. 27, 1). Iug 107, 4. Profecto omnis periodus tanta arte perfecta, ut admirabil ingenium eius putandum sit, qui Sallusti orationem ad tantam elega tiam verbis tam aptis subplendis expoliverit. Qua re veritus ne scri ptoris laudem minuerem potius quam augerem, praesertim cum lib manu scripti ne minumum vestigium quidem glossematis ostenderen

1) Non agitur h. l. de eo, num recte Sall. Ciceronem haec repu- tantem fecerit, set quae olim con- tra Drum. V p. 491 monui, ea etiamnum teneo. Vid. diss. mea *quo consilio* cet. p. 9. Hagen l. c p. 244 sq.

ab uncis adpingendis me continui. Transeo ad relicuos locos. Cat. 47, 1 *docetque* uncinis notatum est, at ne eo quidem loco quidquam in libris optumis variatum. Quod si diligenter omnem locum consideraveris, intellecturum te esse credo, *omnia uti gesta erant aperit* non posse non referri ad interrogationem *de itinere*, *de litteris*, *postremo quid aut qua de caussa consili habuisset*, ad ea quae 48, 2 fusius commemorantur: quibus si adiungatur sine ullo vinculo *se paucis ante diebus* — *in ea coniuratione esse*, obscuram ac difficilem fieri orationem, quod ita quasi minuantur, quae Volturcius responderit. Cum igitur haec ad ea, quae antea interrogatus esse dicitur, insuper adcedant, *docetque* aptissume adiectum esse adparet. Simile est *dicitque*, quod quattuor locis Iug. 90, 2. 106, 1. 2. 112, 1 Cortius et Linkerus eiciundum censuere. At primo loco *dicitque*, quod ab libris prorsus non suspectum, adeo necessarium, quoniam non id refertur, quod Marius eis quae A. Manli mandavit addiderit, set quod evolgari voluerit, quo inceptum suum occultaretur. Iug. 106, 1 autem num *dicitque* suspectum fit eo quod in solo *y dixitque* legitur, aut quod ap. Serv. ad Verg. Aen. V 540 scriptum *appellat vel dicit vel salutat?* An ineptum est, id quod Volux, postquam ab Sulla adpellato aditus ei datus est, exposuit, cum verbo dicendi adiungi? Quod autem paulo post sequitur rursus *dicitque*, an scriptore indignum est? Quamquam multos id non concessuros neque persensuros credo, tamen libere dicam mihi omnem rem uti gesta esset depingere voluisse Sallustium videri; illo *dicitque* adiuncto nos quasi oculis cernere adcurrentem Volucem, prae pavore vocem emittere nequeuntem, denique conlecto ac confirmato animo quid cognoverit exponentem. Pari modo 112, 1, quoniam hoc dicitur: adpellat et cum venisset dicit, *dicitque* defendundum puto. Postremo Iug. 71, 5: *Iugurtham placandi gratia adcedit; dicit, quae ipse paravisset facere, perfidia clientis sui praeventa; lacrumans obtestatur per amicitiam* cet. Linkerum recte *dicit* in suspicionem vocasse eo minus mihi persuadeo, quod quoniam ultimum membrum suum verbum habet *obtestatur*, aequabilitas periodi, ut alterum eo non careat, postulat, nec quod in T *dicit* omissum, in paucis *dicitque* scriptum est, satis est ad confirmandam suspicionem. His locis non prorsus dissimilis est Cat. 45, 2 *Flacco et — Pomptino inperat, ut in ponte Mulvio per insidias Allobrogum comitatus deprehendant; rem omnem aperit, cuius gratia mittebantur: cetera uti facto opus sit ita agant permittit. Illi homines militares* cet. Num *permittit* glossema esse inde iure concludatur, quod pleriquc libri locum ita con-

ruptum exhibent: *permittit illis homines*, hoc ut demonstrent ipsis eis permitto, qui vel uncis inclusere vel eiecere. Set quoniam unde coniunctivus pendeat, id novum neque ullo connexu interserlum membrum *rem — mittebantur* ab eis, quae sequuntur, separat, meo iure deleto *permittit* orationem vitiosiorem fieri aut contortiorem mihi contendere videor. Superest locus Cat. 48, 2 *veluti ex servitute erepta gaudium atque laetitiam agitabat: namque alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore, incendium vero crudele inmoderatum ac sibi maxume calamitosum putabat, quippe cui omnes copiae in usu cotidiano et cultu corporis erant.* Varietatem scripturae si perlustraveris, quod *putabat* suspectum reddat nihil invenies. Nam T multis modis contaminatus et conrectus est, ghs[1] erroribus scatent. Quod si id verbum omittitur, ex praecedentibus *fore* subplendum esse adparet. Quid autem? num Sallustius dicit, quale incendium futurum esse plebi visum sit, an quid de omnibus incendiis iudicaverit? Apertum est plebem omnium incendiorum crudelitatem et coërcendi ac restinguendi difficultatem reformidasse. Quare *putabat* verbo careri non potest.

Set illud ipsum caput Cat. 46 tam multis glossematis scatere viri docti iudicavere ut veluti tabes vitiandae orationis pruritus quidam librarios invasisse videatur. Ac primum quidem 3 *que* eiectum est, quod ad rem aptissumum esse, quoniam Caeparius in praecedentibus nominatus non est, conlatis locis Cat. 30, 7. 47, 3. 53, 1. Iug. 19, 7 adparet; *quendam* autem quin recte cum optumo libro P[1] anteponatur, id quod inconsultius antea negaveram, non dubium est. Facile igitur perspicitur, *quendam* ob simile initium omissum et alio loco inlatum esse, eandemque caussam fuisse cur in nonnullis libris *que* eiceretur. Meliore iure §. 4 *ex urbe* expelli videtur, quod in P[3] omissum, in B superscriptum est. Cum vero P[3] ad B exaratus videatur, nihil aliud testatum est, nisi in uno codice superscriptum esse, unde utrum veri similius videtur errore omissum esse, an quemdam librarium quod in archetypo superscriptum esset sapienter recipere noluisse? Et quamvis non necessarium illud esse concedam (cfr. Iug. 54, 10. 67, 3. 69, 4. 106, 2), tamen non minus recte adiectum contendo, quam *ex oppido* Iug. 76, 1. Contra infra §. 5 *in senatum*, quamvis omnes libri teneant, ab Sallustio scriptum esse mihi persuadere non possum. Nam si cum Gerlachio et Fabrio censeas Sallustium primo nihil aliud cogitasse quam Lentulum ab Cicerone ipso perductum esse in senatum, quem in locum senatus convocatus esset post modo demum eius menti quasi occurrisse, vide utrum scriptori obprobrium dementiae cuiusdam

facere malis, an glossatori explicandi studium, quid ad *perducit* intellegendum esset, tribuere. Quod autem Linkerus *venire iubet*, quae verba ne Cortius quidem in suspicionem vocare ausus est, uncinis adpositis notavit, admiror, quippe cum *cum custodibus perducit* dici non posse videatur, nihil autem magis cavendum sit, quam ne licentiam scriptoribus adfingamus.

Cat. 48, 1 verba *coniuratione patefacta* ab Linkero pro glossemate habita sunt, credo nullam aliam ob caussam, quam quod eis interpositis relativum ab eo ad quod pertinet separatur. Nam certe paene necessarium videtur ut adiciatur, qua re illa mentis inmutatio incesserit, cum bellum, cui initio plebes favisse dicitur, nondum finitum sit. Quamdiu bellum civile agi credebat, plebes Catilinae favebat, coniurationis consilia clandestina reformidabat, quae nisi patefacta essent non tanta subito mutatio mentis facta esset. Tum ut concedamus relativi relationem h. l. aliquid durius habere, quam infr. §. 4. Iug. 6, 3 (noli huc cum Kritzio referre Iug. 14, 23. 24, 8) atque adeo quam Tac. ab exc. D. Aug. I 74. Vell. II 47, 4, quoniam ibi ab relativo novum membrum incipit, tamen in ea re non obfendundum, primum quia nemo qui paulo adtentior esset, *quae* ad *coniurationem* relaturus fuit, deinde membrum relativum artius cum *mutata mente* coniungendum esse adparet, ita ut *quae* — *mente* in parenthesi adiecta esse recte dicantur. Eiusdem cap. §. 4 extr. neque scripturae varietas, neque Sallusti consuetudo mihi tanti visa sunt, ut *e* eiciundum censerem.

Contra glossemate inquinatum esse adparet locum Cat. 49, 1 *Q. Catulus et G. Piso neque precibus neque gratia neque precio Ciceronem inpellere potuere.* Nam ut auctoritatem Prisciani X p. 539 Hertz, qui hunc locum ob perfecti *quivi* usum adtulit — qua re necessario contra omnes libros *quivere* restituendum — in relicuis verbis minus valere contendas, tamen quod in libris multis, recentiore primi generis familia optumisque secundi, verborum ordo inmutatus est, unum ex tribus illis substantivis ex glossa inrepsisse confirmat. Nec quocumque modo te torseris, *gratiae* vocabulo *preces* contineri negare poteris; nec cum alio substantivo coniunctum illud est, quam cum *pretio* vel *pecunia* (Cat. 52, 23. Iug. 16, 1. 27, 2. 29, 3. 35, 8). *Neque precibus* igitur quin expellundum sit non dubium est. Set diu multumque haesitavi utrum *neque gratia neque precio*, quod Sallusti codices commendant, an cum Prisciano *neque precio neque gratia* scribundum esset. Atque illud quidem suadere videbatur quod sic homines illi a gratia, i. e. precibus ac pollicitationibus, ad precium, gra-

vius incitamentum, progressi dicantur, at quia fieri potuit ut alter illo rum Piso precio, alter Catulus gratia apud Ciceronem uteretur, itaque chiasmus restituitur, etiam hac in re Prisciano, quem hunc locum rectius quam codices tradidisse constaret, obtemperandum putavi.

Eiusdem libri 50, 2 mirum est, quod libri manu scripti praeter tres recentioris aetatis [1]) omnes exhibent *Cethegus — per nuntios familiam atque libertos suos lectos et exercitatos orabat in audaciam, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent.* Quod cum fere non posse manufestum esset, plerique locum ita sanandum putaverunt ut transponerent: *lectos et exercitatos in audaciam orabat,* quod ita dici potuisse, quamquam *exercitatus* sequi solet praepositio *ad* et ubi de audacter factis dicundum pluralis vocabuli *audacia* usitatus est (vid. Klotz Lex. s. v.), non negabo, tamen cum per se intellegi possit quo nomine illi *lecti et exercitati* adpellentur — *lectus* enim adiecti vim nactum esse et significare qui maxume idoneus sit, constat; cfr. Cat. 59, 3. Fr. III 65, 4; ad lectionem autem cum adcedit exercitatio, quorsum haec spectet, non ambiguum —, cumque falsus locus, quem in codicibus tantum non omnibus occupavere, ea ex margine vel intervallis linearum archetypi in textum inlata esse patefaciat, mihi cautius videtur ea ad illum locum unde profecta sunt remittere.

Cat. 51, 6 utrum *et* ante *in pace* delendum an retinendum sit in incerto relinquatur. Mihi, quoniam P[1] et m consentiunt, neque disiunctio necessaria est, omittundum videtur.

Multis dubitationibus obnoxius est locus eiusdem cap. §. 27 *omnia mala exempla* cet. Etenim si libros perlustraveris vetustissumam scripturam esse *ex rebus bonis* invenies (𝔅 cum plerisque codd. generis primi in ea consentit), praeter eam aliam antiquam extitisse *ex rebus domesticis*, eas duas autem in nonnullis conmixtas esse; set *rebus* omnes confirmant, praeter P²p⁶ qui omittunt, et p³p⁵γ qui *bonis initiis* exhibent. Qua re sobrii est diligenter quaerere utrum *rebus* pro glossemate habendum sit, id quod plerique censuere — nam Gerlachius ed. nov. p. XIX suspectum esse dixit, Linkerus uncis adpositis idem significavit — an defendi atque idonee explicari possit. Quod ut recte fieri possit, quae Caesaris sententia sit considerandum videtur. Commemorat postea triginta viros, quos Lacedaemonii Atheniensibus devictis inposuere, et L. Sullam. Ei utrique potestate sua, cum primum

1) Eorum g² ad exemplar ab homine non inperito conrectum scriptum esse constat.

ad puniendos scelestos atque inprobos homines contulissent, postea ex summa lubidine usi in omnes bonos saevivere. Iam id §. 35 neque in M. Tullio neque his temporibus verendum esse declarat, set fieri postea posse, ut quod nunc in scelestos homines permissum sit, in alios non dignos transferatur. Monet ergo ne Ciceroni maior potestas — de civibus sceleratis subplici sumundi — tradatur, non quo illum ea abusurum credat, sed quod postea alius, cui eadem potestas propter falsam suspicionem tradita sit, quo minus abutatur prohiberi non possit; quod bono et prudenti recte permittatur, id ignaro et minus bono tradi periculosum esse (27) [1]. In quo illud facile perspicitur, exempla triginta virorum Atheniensium et L. Sullae ad praesentem rerum statum propterea non prorsus apta esse, quod illi perpetuam nec legibus circumscriptam potestatem obtinuerant, Cicero anno exacto consulatum depositurus fuit [2], unde intellegitur in eis exemplis hoc potissumum spectari, quibus initio cives laetati essent, ea mox in eorum summam calamitatem conversa esse, cum puniendi licentia ab dignis et idoneis ad indignos et non idoneos transferri soleat. *Novom illud exemplum* igitur patet esse extraordinariam puniendi potestatem, quae in scelestos cives alicui tradita sit, qualem nunc in coniuratos conprehensos Ciceroni decreturi erant patres conscripti. Id membrum autem praecedenti sententiae conmuni obponitur. Quae qualis esse debet? Si quid video, ita recte procedit argumentatio: Potest aliquid, quod ad conservandam rem publicam decernitur, laetum atque utile esse et merito fieri, set cavendum est ne malum exemplum constituatur; ubi inperium ad ignavos aut minus bonos translatum fuerit, ei indignissume illo exemplo abutentur, innocentes summa iniuria perdentur. Ita demum exempla triginta virorum Atheniensium et L. Sullae aptissuma sunt. Igitur talisne sententia inest in verbis *omnia mala exempla ex bonis orta sunt*, quae alio modo accipi non possunt, nisi: quaecunque mala exempla facta sunt, ea initio bona fuere? Tum *novom illud exemplum*

1) Plutarchus vit. Caes. 7 cum ita de Caesaris sententia exponat: λόγον διῆλθε πεφροντισμένον, ὡς ἀποκτεῖναι μὲν ἀκρίτους ἄνδρας ἀξιώματι καὶ γένει λαμπροὺς οὐ δοκεῖ πάτριον οὐδὲ δίκαιον εἶναι μὴ μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀνάγκης, ultima verba ad hanc partem orationis pertinere adparet. Nam et Athenienses per triginta viros, et Romani per L. Sullam primo sibi inperio eorum qui malo rei publicae creverant liberati visi sunt remque publicam ab pernicie conservatam, ergo illos summa necessitate interfectos putavere.

2) Callide ita Caesarem rem instituisse, ut aliquam suspicionem moveret, fore ut Cicero alter Sulla evaderet, vix est quod moneam.

ita dictum est, ut pro universali singulare substituatur et *illud* ad tempus potissumum referatur: novom id exemplum, quod superiore tempore editum est. Minoris momenti est, quod hoc non recte per *set* obponitur praegressae sententiae — id quod recte iam Herzogius senserat —, quoniam ea difficultas tollitur facilluma emendatione *scilicet*. At gravius est, quod ita Caesar ipse vim argumentationis suae minuit, si illud exemplum, quod decreturus est senatus, bonum esse concesserit. Quod alicui merito accidit, ideo non bonum exemplum est, set malum potius, quia idem etiam in alios statuitur. Quod si dicat bonum exemplum edituros esse senatores, set futurum ut id postea malum fiat, neminem facile ab ea sententia deterreat, omnes abusum non tollere usum clament, quod utile sit nunc statuendum, abusum cavendum esse. Ex omni autem loci connexu illud perspicitur id agere Caesarem, ut quam malum sit exemplum gravissume ostendat, ut terrorem atrocissumae dominationis senatoribus incutiat. Eo spectare exempla, quae tum conmemorat, etiam inde intellegitur, quod post illa pergit: *Atque haec ego non in M. Tullio neque his temporibus vereor*, quae apertissume eius sunt, qui cum gravissumam suspicionem moverit, iniustitiae crimen ecfugere studeat. Ergo sententia illa habet, in quo merito obfendamus. Ad quae adcedit, quod nullo modo intellegimus, quid tandem homines moverit, ut cum ad *bonis* subplere *exemplis* in promptu esset, planissumam sententiam interposito *rebus* conrumperent. Quod si *ex rebus bonis* legitur, sententiam hanc esse patet: omnia mala exempla ex prosperis rerum conditionibus orta sunt i. e. prosperae rerum conditiones semper homines induxere ut mala exempla statuerent, malum esse quod in rebus prosperis bonum et utile visum erat postea demum cognitum est. Quae sententia aptissuma est ad praecedentia: moneo vos ut caveatis ne quid inconsultius statuatis, ne malum exemplum edatis: nam usu conpertum est omnia mala exempla, cum res prosperae viderentur, edita esse; aptissuma est ad sequentia, modo pro *set* scribatur *scilicet:* natura scilicet fit, ut novum exemplum, quod felici rei publicae conditione constitutum est, ubi imperium ad minus bonos pervenerit, advorsus non merentis adhibeatur. Convenit porro ea sententia cum exemplis conmemoratis. Nam cum triginta viri, qui Athenis imperavere, et Sulla recuperata re publica cum summa licentia potestate abuterentur, quod salutare, faustum, laetum visum erat quod felicissumus sibi visus summa voluntate illis permiserat, in perniciem ac miseriam convorsum esse summo cum dolore populus cognovit. Convenit denique cum omnis argumentationis conclusione. Nunc,

Caesar inquit, omnia nobis fausta ac prospera sunt, nihil periculi timendum videtur [1]; at mala ex eo exemplo, quod decreturi estis, consequi possunt. Set quem ad modum *rebus* tuendum puto, sic in sequentibus *eius*, unde pervorsum *cives* natum, nullo artificio retineri posse arbitror.

Etiam Catonis oratio c. 52 nonnullis locis glossematis vitiata est. Primum §. 20 *res* glossema esse cum Augustini testimonium et scripturae varietas — in qua illud animadvortundum in m deesse — evincit, tum consuetudo Sallusti (cfr. Cat. 51, 11 *non ita est.* Iug. 85, 42 *verum non est ita;* contra Iug. 53, 81 *res humanae ita sese habent.* 85, 23 *et profecto ita se res habet).* Item §. 25 scripturae varietas ecficit, ut *et dubitatis* ab interpolatore profectum censendum sit. Nec minus iam §. 33 interpolatum esse, quod inter 𝔓 et alios vetustos libros convenit, patefacit. Postremo §. 36 *ego* quin ex glossa ortum sit, cum in vetustissumis libris aliis alio loco legatur, non dubium videtur eoque minus, quod nulla caussa reperitur, cur Cato suam sententiam aliorum graviter obponat, quippe qui D. Iunio Silano adsentiatur; nisi forte Caesarem 51, 43 *set ita ego censeo* dicere debuisse opinaris. Set difficilior est locus §. 35, qui vetustissumis libris sic traditus est: *Catilina cum exercitu faucibus urguet, alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes.* In quibus *urbis*, si eo careri possit, suspectum est, cum 𝔓 omittat. Set Linkerus Em. Sall. p. 19 sq. cum hunc locum ad imitationem Cic. in Cat. I 2, 5 *Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus, eorum autem castrorum inperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videtis intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem* conpositum arbitraretur, cum *faucibus urguet* et an dici potuisset dubitandum neque *intra moenia* recte obponi videretur, cum denique glossam *italiae*, quae in nonnullis libris inventa est, et *in* ante *faucibus* in paucis [eis vero recentioris aetatis neque ullius preti] additum graviorem conruptelam indicare crederet, scribundum censuit *Catilina cum exercitu in faucibus Etruriae agit, alii intra moenia atque in senatu sunt hostes.* Quam acutissumam et ingeniosissumam coniecturam mihi

1) Copiosius si ea Caesar explicare voluisset, haec dixisset: Nunc omnia prospera sunt: civitas ex periculo erepta, senatus auctoritas firma est; valent leges, resistitur inprobis; habemus consulem, habemus eos magistratus, qui ne potestate sua abutantur non verendum sit.

inprobandam videri eo minus timide confiteor, quod M. Hertzius, qui quam bene Linkerus de Sallustio meruerit mecum praedicat, Philol. XII 2 p. 378 advorsus eam disputavit. Ac primum quidem *faucibus urguere* neque legibus sermonis latini neque consuetudini repugnare, exemplis iam per alios conlatis Plaut. Cas. V 3, 4 (783) *omni modis miser: ita manufesto faucibus teneor*, Cic. pr. Cluent. 31, 84 *istam conciliationem gratiae Staienus tum recenti re, cum faucibus premeretur, excogitavit*, Val. Max. V 3, 2 *qui pestifera Ti. Gracchi manu faucibus obpressam* (al. *adprehensam) rem publicam strangulari non passus est*, ipse, credo, Linkerus ingenue concedet. Tum etsi Ciceronis locum quandam cum h. Sallusti similitudinem habere nemo negabit, tamen quae intercedat divorsitas non minus considerandum est. Quippe Cic. illa dixit, cum copias G. Manlius conparare incepisset, Catilina etiamtum in urbe esset atque adeo in senatum venire auderet, Cato, cum Catilina cum exercitu ad urbem adventaret, quique ab eo relicti erant, aut conprehensi essent aut profugissent. Ciceroni igitur castra in faucibus Etruriae posita esse dicere licuit, Cato recte Catilinam cum exercitu faucibus urguere dixit; Cicero ducem illius exercitus in senatu sedere dicere potuit, Cato, quamquam Caesarem in suspicionem vocavit (§. 16), tamen conprehensis principibus coniurationis si adeo in senatu hostes adsidere dixisset, obstrepentium tumultu perculsus foret. Illud certum est, quod ap. Cic. *in senatu* scriptum est, nihil caussae praebere, cur ap. Sall. idem restituendum arbitremur. Ceterum his verbis explicari *undique circumventi sumus* eaque respondere illis quae §. 24 dicta sunt *dux hostium cum exercitu supra caput est*, tum variantibus codicum paucorum scripturis nihil tribuendum esse, quoniam copiose atque adcurate Hertzius exposuit, omittunda puto. Set is ipse *intra moenia atque* et *urbis* subdita esse arbitratus est. De *urbis* quoniam 𝔅 omittit, concedo, relicuis haec mihi videntur obstare. Primum omnium ubicumque *in sinu esse* de homine dicitur, semper significat in conplexu (aut in intima familiaritate) esse, Cfr. Cic. ep. ad fam. XIV 4, 3 *Cicero meus quid agit? Iste vero sit in sinu semper et conplexu meo* (similiter ea coniuncta sunt in Cat. II 10, 22 ubi Muretus obscaenitatem quandam inesse recte sensit. Add. in Verr. lib. I 10, 27 *calumniatores ex sinu suo adposuit*), ad Q. Fr. II 13, 1 *de Pompeio adsentior tibi, vel tu potius mihi. Nam ut scis iam pridem istum canto Caesarem. Mihi crede, in sinu est, neque ego discingor.* Qua re nisi aliquid adcedat, *in sinu* de urbe non intellegetur, atque adeo qui faucibus urgueat propior esse videbitur,

quam qui in sinu est. Ea obscuritas tollitur, ubi praecedit *intra moenia*. Deinde minume inepta huic loco est gradatio, qua *intra moenia* adiuncto *atque in sinu* explicetur simul et augeatur, nec membrorum aequabilitas ita turbatur, uti ferri non possit.

Cat. 55, 1 cum plerique vetustissumi atque optumi libri *tresviros* (sic enim pro *triumviros* scribundum censeo) *quae ad subplicium postulabat parare iubet* contestarentur, in paucis *ad* erasum, in duobus supra lineam scriptum esset, omnes qui edidere Sallustium praepositionem illam uno fere consensu eiciundam decrevere. Atque omissa praepositione oratio habet quidem quod placeat et consuetudini scriptoris optume convenire (cfr. Cat. 44, 5. Iug. 12, 3. 17, 1. 35, 5. 52, 5. 54, 6. 85, 29. 56, 1. 70, 3) videatur; quod ipsum paucos illos librarios qui erasere videtur conmovisse. At contra difficile dictu est quid tandem glossatores inpulerit ut locum planissumum non inlustrarent, set tenebris obfunderent. Tum an ineptum est dici Ciceronem non modo quae subplicium postularet, set quae ipse quo illud tuto ac celeriter perficeretur inperanda putaret, parari iussisse? Cum igitur illud scribere potuerit Sallustius quod in libris est, quamvis praepositionis omissio quasi blandissume adrideat, tamen non delendam censeo. Set uti hoc loco *ad* tutari audeo, sic non possum non defendere Cortii sententiam, qui infra §. 5 *vindices rerum capitalium* delendum iudicavit, in qua plerisque viris doctis atque adeo Linkero non satis idoneis caussis motus esse visus est. Scilicet errasset Cortius, si tresviros capitales ipsos gulam perfregisse opinaretur, quod fuit carnuficum, nec vero cum *vindices rerum capitalium* tresviros dici putaret. Nam apud Cic. de Legg. III 3, 6 lex de magistratibus minoribus praecipit: *capitalia vindicanto*. Tum quid adiecta verba *quibus praeceptum erat* sibi volunt? Utrum ei carnufices, quibus praeceptum erat, distinguendi fuere ab aliis, an dicundum erat eos ante quid agere deberent edoctos atque instructos esse? Haec verba per se aptissuma sunt ad eos qui illud iussi perfecere significandos, ad *vindices rerum capitalium* relata supervacanea videntur ac paene absurda. Ad quae cum adcedat, in libris ita variatum esse, ut aliquid turbatum fuisse adpareat, Cortium recte iudicasse arbitror.

Cat. 57, 1 quod olim defenderam, *Transalpinam*, nunc abiciundum censeo, quamvis omnes libri teneant. Quamquam enim quin Catilina Allobroges sollicitatos iam ad suas copias adiungere voluerit (Drum. V p. 566 et 569) dubitari nequit, tamen scriptor, qui viam describat *(per tramites)* et eis locis, in quae ea ducit, quasi transiliens longin-

quiorem finem itineris adiungat, merito in vituperationem incurre quod sentiens aliquis *cisalpinam*, quae scriptura in paucis libris in venta esse dicitur, conrexit. Qua re non dubium videtur, quin gram maticus quidam doctrinam aut ingeni acumen ostentare cupiens ansa dederit vitiandae narrationis.

Cat. 58, 5 *quo in loco res nostrae sint* suspectum non esse nisi 𝔙 cum PBP³P⁴ aliis *in* omitterent. Nam recte dici ostendur loci, Caesaris B. G. II 26, 5 *qui cum ex equitum et calonum fug quo in loco res esset quantoque in periculo et castra et legione et inperator vorsaretur*, quique multis nominibus huic Sallusti simi lumus Liv. VII 35, 7 *in eo enim loco res sunt nostrae ut vobis — auctor sim. neque enim maneatis an abeatis hinc deliberari potes* Qua re iudicium inde pendet, utri codicum generi plus tribuendum si nec tamen illud dubium quin *in* additum quam omissum esse cred bilius sit.

Cat. 60, 1 *omnibus rebus exploratis* Linkerus *rebus* uncis not vit. At quamvis Sall. Iug. 46, 6 *explorare omnia*, 90, 5 *omnibu exploratis*, 93, 5 *exploratis omnibus* scripserit (Iug. 53, 7 *rem ex ploravissent* divorsum est), tamen in *rebus* eo minus obfendundum es quod fortasse Sallustius exprimere voluit Petreium non solum lo naturam et hostium aciem, set etiam cuius generis milites essent, qu bus in locis qui duces curarent, ubi Catilina constitisset, exploravisse Quod si illud propterea in suspicionem vocandum censeas, quod in du bus recentioris aetatis libris omissum, in F alio loco conlocatum es in uno denique s¹ *locis* scriptum, profecto permultis vocabulis ha scripta Sallusti spoliare possis. Contra ab libris suspectum est, quo paulo post ante *ferentariis* legitur, *a* et cum ablativus de copiis pe quas aliquid dux perficit dictus sit (vid. interpr. ad Caes. B. G. I 8 hoc exprimitur: unde duces ferentariis usi proelium conmittere posse Postremo eiusdem cap. §. 6 quod nomen *Catilinae*, quo careri null modo potest, in vetustissumis libris divorso loco conlocatum, in ali omissum est, in archetypo illud excidisse planum est atque apertu Qua re quaerundum erit, annon ante aliquid omissum sit, cum sane d siderari possit, quid Catilina fecerit ubique vorsatus sit ante quam i hostes incurrisset.

Iug. 3, 3 qui *se* ante *fatigando* spurium iudicavere, videant s satis auctoritatis in uno P¹ (nam s¹ testimonium nihili putandu certe non plus ei tribuendum, quam transpositioni in g⁴ et g⁵) e

potent. Nam Naz. cum *sese* exhibeat, tamen *se* suspectum non reddit et Hieronymi testimonio tum demum aliquid tribuendum videtur, cum eius codices diligenter explorati fuerint. Scilicet, num aliquid errore librarii an vere recteque omissum esse statuendum sit, cum etiam optumi libri et ne P[1] quidem talibus erroribus prorsus liberi sint, de ea re iudicium pendet ex dicendi consuetudine et loci cuiusque natura. *Fatigare* igitur ubi reflexive dictum esset, nemo adhuc ostendit, et si quod semel inveniatur propterea recte inprobari negaveris, tamen Sallustium non modo insolentius, set ad captum hominum parum perspicue scripsisse infitiari non poteris. Non magis ergo hoc loco unius libri auctoritate *se* eiciundum videtur, quam 4, 5 *et* quia P³Bm² soli omittunt. Contra eiusd. cap. 4 postquam *sum*, quod commode in recentiore primi generis familia conservatum est, in *sim* conruptum fuit, *et* contra sententiam inlatum esse, tam apertum est, ut vix de ea re disputandum videatur. Set paulo post *mei*, cum paucissumi eique malae notae libri in eo vocabulo varient, nullo modo expellundum videtur, cum praesertim vis quaedam insit, quippe ita Sallustius dicat se consilium summa animi voluntate captum mutavisse. Multo suspectius est pron. poss. 110, 3 *qua apud meum animum nihil carius est*, quoniam ibi in plerisque libris turbatum est, at ab sententia nihil obstat, quo minus optumum cod. 𝔅 sequamur; cfr. 14, 22 *animo meo carissume*. Contra 85, 27 *ex animi sententia* recte *mei* eiecisse mihi videor, quoniam in vetustissumis libris tantum non omnibus omissum est, quamquam in formulis censoriis (Cic. d. or. II 64, 260. Gell. N. A. IV 20, 3) et iurandi (Beier. ad Cic. d. off. III 29, 108) pronomen possessivum sollemniter additur. Scilicet facilius careri potest, cum praecedat *me*.

Iug. 5, 5 *Igitur amicitia Masinissae bona atque honesta nobis permansit. Set inperi vitaeque eius finis idem fuit*, *set* ineptum est, neque quod ego olim quo defenderem excogitaveram, neque quod Kritzius nuper dixit praegnanti sensu *inperio* totum atque indivisum regnum Numidiae significari, probari potest. Narrat Sallustius nihil aliud, nisi Masinissam ad finem vitae usque inperium obtinuisse, i. e. nulla re eius inperium conlabefactum aut infestatum esse, tum ad filium pervenisse. Cur autem illud? Cur non simpliciter post mortem eius Micipsam filium regnum obtinuisse? Facile adparet, id eum factum censere quod semper Masinissa populo romano amicus fuisset. Qua re haec verba nullo modo praecedentibus obponi possunt; rectius per *et* adiungerentur, id quod Bojesenus coniecit; at veri similius est, parti-

culam ab glossatore, qui asyndeti rationem parum perspexisset, adiectam esse (cfr. var. scr. ad 14, 7).

Multam dubitandi ansam praebet principium orationis Iug. c. 10 [1]. Ac primum quidem in verbis *in regnum meum accepi* suspectum est *meum*, quia in 𝔓Pg²l post *regnum*, in relicuis ante positum est. Et cum apertum sit hoc dici: te regio cultu atque honore esse volui, pronomen possessivum recte omittetur. Nam Micipsa in alius regnum Iugurtham accipere non potuit. Ad quae adcedit, quod si *meum* adicitur, facile Micipsa in societatem regni quod suum esset Iugurtham adscivisse videri possit. Tum *liberis* quod in omnibus libris manu scriptis legitur, iure ac merito offensioni est. Nam si illud exprimere voluisse Micipsam statuamus: sperasse se Iugurtham sibi non minorem pietatem praestiturum esse, quam filium genitori, mirum est liberos, quos utrum geniturus esset annon incertum tum fuit, conmemorari. Et recte ab aliis animadvorsum est, sic *ob benificia* etiam ad *liberis* pertinere videri. Set quid? num credibile est, cum planissuma sit sententia si *liberis* absit, ab glossatore adiectum esse? Optuma est sententia modo una littera conmutata *liberos* scribamus. Aptissume enim Micipsa ipso in principio eius orationis, qua Iugurtham ne post mortem suam fratribus hostis fiat dehortaturus est, illum admonet offici, quo ob benificia non solum sibi, set etiam liberis suis obstrictus sit, cum dicat se ea spe illum accepisse fore ut etiam liberos, quos geniturus esset, pariter ac se ipsum ob benificia amaret. Nec qui quam error semel conmissus per omnis libros propagetur teneat, qui fieri potuerit ut *liberos* in *liberis* conmutaretur, quaeret. Sequuntur verba *neque ea res falsum me habuit*, in quibus paene miror neminem obfendisse. Quid enim? nonne exspectatur *ea spes?* Certe scriptorem neglegentiae crimine liberare non poteris, si eum *ea res* pro *id* dixisse statuas, quo ipso si usus esset minus adcurate scripsisset? Num igitur *res* ex *spes* conruptum videtur? Minume, set ita censeo: *ea* ab librariis adiectum esse, quos latuerit *rem*, i. e. vera eventa, obponi *spei* i. e. rebus speratis (cfr. Cat. 20, 13. 21, 1 ibiq. locos ab aliis conlectos) [2]. Set dixerit fortasse quispiam: si *liberos* scribatur, hanc sententiam non satis recte ad praecedentia adiunctam videri; nulla enim caritatis in

1) *Parvum ego, Iugurtha, te* cum Paris. et B alteri scripturae, quae in 𝔅 est, *te Iugurtha* praeferundum putavi, quod ita *te* firmius cum sequentibus coniungitur.

2) Quintiliani (Inst. or. IX 3, 12) codicum fide me non magis conmoveri quam Sallusti librorum, nemo crędo mirabitur.

fratres documenta Iugurtham edidisse. Ex quo hoc quaero: nonne quod Iugurtha familiae gloriam auxerat Romanosque ei devinxerat, etiam liberis Iugurthae commodo atque summae utilitati futurum erat, ut pro illis id fecisse videretur? Deinde cum infra legatur *gloria invidiam vicisti*, nonne quaerimus quorum hominum invidiam? Absurdumne est conciliandae gratiae caussa dici fratres omnem invidiam propter Iugurthae gloriosa facinora deposuisse?

Iug. 11, 6 quod Hiempsal dicit *ipsum illum tribus proxumis annis adoptatione in regnum pervenisse*, prorsus repugnat supra dictis 9, 3 *Igitur rex ubi ea quae fama acceperat ex litteris inperatoris ita esse cognovit, cum virtute tum gratia viri permotus flexit animum suum et Iugurtham benificiis vincere adgressus est statimque eum adoptavit et testamento pariter cum filiis heredem instituit.* Cuius perversitatis qui culpam Sallustio, florentissumo rerum romanarum auctori, quam librariis inponere malit, neminem futurum confido. At quaeritur, quae medicina adhibenda sit. Linkerus igitur 9, 3 conrexit *tandemque eum adoptavit.* Set nonne omnis loci conexus talis est, ut quod statim fecerit Micipsa exspectemus potius, quam quod undecim annis post factum esse ex 11, 6 adparet (nam Iugurtha non post a. 132, quo P. Scipio Romae triumphavit, in Numidiam rediit, Micipsa autem cum a. 118 mortuus sit, adoptationem non ante a. 121 factam esse adparet). Quid autem? num adoptationem Iugurthae et testamentum eodem tempore facta esse necesse est? Neque particula *et* obstat, neque res ipsa. Quod si statuerimus adoptatum esse Iugurtham statim post reditum ab Numantia, set testamentum a. 121 demum scriptum esse, inter duos locos ita conveniet, ut priori nulla vis adhibeatur, modo ex posteriore *adoptatione* removeamus. Quod ab librario sciolo adscriptum esse minume incredibile ac ne mirum quidem videtur.

Iug. 12 praepositio *in* his negotium facessit. Primum enim an in verbis §. 5 *qui postquam in aedis inrupere* praepositio recte scripta sit, eo magis dubitandum, quod P[1], cuius fides multis in rebus spectata est, eam omittit, et alias (25, 9. 58, 1) verbum ab Sall. cum acc. coniunctum est. Tamen uni illi codici non tantum tribuendum censeo, ut omnium relicuorum consensus nihili fiat, praesertim cum per clavis adulterinas aperta porta celeriter milites incurrere, nec vero aedis per vim sibi aperuere. Nec magis Iug. 32, 4 *in*, quod optumi libri tuentur, delendum censeo, quamvis ap. Sall. semper simplex acc. adiunctus sit, cum illius constructionis munita exempla apud omnes

scriptores inveniantur (cfr. Caecil. Stat. fr. 217 ed. Ribb. *tantan hinc invasit in tua corda dulcitas*, ubi metro *in* munitur), id quod non minus de *inrumpendi* verbo valet. — Difficilius est de altero loco diiudicare *occultans se in tugurio*, quoniam ibi vetustissumi atque optumi libri praepositionem omittunt. Non dubium autem videtur quin tugurium casula sit leviter aedificata (18, 5. 19, 5. 46, 5. 75, 4) [1]; nam domus Numidarum non aliter instructas fuisse, quam ut nunc sunt illas regiones incolentium, ita ut aula casas servorum contineret, veri simillumum est. Set quamvis de aedificio exiguo cogitandum sit, tamen omissio praepositionis defendi videtur exemplis Cic. d. inp. Gn. Pomp. 3, 7. Tusc. II 15, 36. Nihilo minus confiteor magis mihi placere *in tugurio*, quippe quo exprimatur Hiempsalem initio in illud aedificium confugisse, tum i n e o sese occultare studuisse.

Orationis ab Adherbale in senatu habitae c. 14 hi loci vel in suspicionem vocati vel suspecti sunt. Primum fuere, qui 3 *meorum* delendum censerent, sine idonea caussa, cum neque varietas scripturae, quae in paucis libris est, advorsus omnium optumorum consensum valeat, neque quamvis eo vocabulo recte careri possit, tamen per se inprobandum sit. Meliore iure infr. §. 9 *tuis* et 24, 3 *mei* propter 𝔅 auctoritatem spurium esse iudicatum est. §. 4 cur *mihi* eiciatur neque in libris manu scriptis quidquam caussae est, neque in dicendi ratione, neque in sententia, imo aptissume repetit atque ecfert Adherbal suo iudicio suoque sensu ita esse. At primus ego in suspicionem vocare audeo §. 5 *amicitiam*, non quo ab usu loquendi (Cic. ad fam. XIII 17. III 9, 4. Liv. VII 31) aut ab sententia alienum existumem, set quia altera librorum optumorum familia post *instituit* exhibet. Neque infitias quisquam ibit, oppositionem quae est inter gentem Masinissae et relicuos reges, gravius ecferri, si ad alterum membrum ex praecedentibus non *amicitiam* solum, set etiam *societatem* mente repetatur. §. 6 verba *me nepotem Masinissae* habere quod graviter offendat nemo facile negabit, set cum omnes libri ea teneant, cumque insolens verborum ordo eiusdemque notionis repetitio et definitio non modo concitatae mentis sint, set adeo perspicuitatem adiuvent (nam *Quorum progeniem* longius ab verbo remotum est), huic argumento, facile ea verba ex §. 2 ab librario adscribi potuisse, haut ita multum tribuendum videtur.

1) Non dissimiles sunt cellae ostiariorum vel ianitorum apud Romanos; cfr. Becker Gall. I p. 76. Caecil. fr. 83: *habitabat in tugurio sine operculo.*

Set ne longus sim, eos locos, in quibus aliquod vocabulum glossema esse et librorum scripturis et sententia evincitur, breviter indicabo: 15, 2 *senatus*. 24, 10 *ex* (quamquam 82, 3 *ex manibus* legitur, set simili modo Cat. 46, 2 *periculis*, at 48, 4 *e periculo;* cfr. Cat. 48, 1 *ex servitute erepta)*. 45, 5 *ea*. 48, 2 *passuum*. 54, 1 *iam*. 79, 2 *nos*. 85, 11 *sibi*. 93, 8 *ei*. 97, 2 *eius*. Nec magis vero fuse disputandum censeo de locis, ubi vocabulum, quod et libris satis munitum neque ab sententia alienum est, retinendum putavi, velut: Iug. 22, 2 *se*. 25, 4 *usi* (nam casu id in libro, unde multi exscripti sunt, excidisse facile adparet).

Iug. 17, 6 postquam terrae Africae natura descripta est, sic pergitur: *Genus hominum salubri corpore, velox, patiens laborum: plerosque senectus dissolvit, nisi qui ferro aut bestiis interiere: nam morbus haut saepe quemquam superat. Ad hoc malifici generis plurima animalia*. In quibus verba *ad hoc* — *animalia* Grutero tam male praegressis adiuncta esse visa sunt, ut ab grammatico, qui quod Sallustius bestias conmemorasset, quantam copiam Africa malifici generis bestiarum haberet conmonefactus esset, adsuta esse iudicaret atque adeo, cum in Naz. post ea duodecim fere litterae erasae essent, nomen auctoris, a quo illud acceptum esset, adscriptum fuisse suspicaretur. Frontonem si novisset, fortasse eo quod apud eum illa verba omissa sunt, ad confirmandam suam sententiam usus esset. Ea argumenta nihil valere cum perspexisset Linkerus, set tamen ratione conexionis obfenderetur, verba *nam morbus* — *ad hoc* potius uncis additis seclusit. De quo eo diligentius quaerundum est, quod omnes libri manu scripti Sallusti illa verba tenent ad eosque adcessit Frontonis testimonium, quamquam verba adfert quo ostendat agri naturam non praetereundam esse, tamen satis grave et certum. Iam ut ab extremo incipiam, si verba *malifici generis plurima animalia* sine ullo vinculo praecedentibus adiungerentur, Sallustius ne sensisse quidem censendus esset, quam parum ordo rerum naturae conveniret, quae postularet ut primum de terrae natura diceretur, tum ad bestias, denique ad homines quasi adscenderetur. Haec se, antea oblitum, nunc non praetereunda putare, certe aliquo signo indicare debebat, quale quin *ad hoc* sit, qui usum eius noverit (cfr. Cat. 14, 3. 17, 4. 21, 4. 30, 6. 31, 8. 37, 10. 44, 6. 53, 3. Iug. 6, 1. 31, 28. 49, 4. 67, 1. 111, 2) non dubitabit. Eo addito neglegentia grata fit. Set praegressa verba Linkerus, credo, eam ob caussam Sallustio indigna esse arbitratus est, quod supervacanea, quippe ex antea dictis per se conleguunda putaret.

Quod mihi quidem secus videtur. Nam profecto duri et asperi iudici est, scriptori nihil, quod quo minus acutorum hominum inbecillitate adiuvet adiungat, ignoscere. Et num prorsus supervacanea sunt ill verba? Nonne etiam, qui acriori ingenio et peritior esset, si illa al essent, in eum errorem induci potuit, ut nullos esse in Africa morb putaret? Nolim igitur vituperari scriptorem, qui cum dixisset pleros que homines senectute dissolvi, nisi qui violenta morte ante extrema aetatem abrepti essent, adiungendum censuerit, morbos quidem in Afric esse, set adeo firma incolarum corpora, ut rari eis frangerentur.

Difficile est de Iug. 24, 2 iudicare: *non mea culpa saepe a vos oratum mitto.* Nam *ad* salva sententia et omitti et adici poss nemo negabit. Omitti iubet 𝔅, adici omnes relicui libri. Set cu obiectum ad supinum relatum rarum sit (Krüger. gr. lat. §. 483 ann. p. 635), cumque *vos* magis ecferatur si per praepositionem ad *mitt* referatur, quam si ipsum ab *oratum* pendeat — ecferundum aute est, quoniam se excusat Adherbal, quod saepe *senatui* negotia face sat — omissionem sive errori sive conrigendi studio eius, qui auctor fuit, tribuendum censeo.

Iug. 31, 14 *metum ab scelere suo ad ignaviam vostram trans tulere; quos omnis eadem cupere, eadem odisse, eadem metuere i unum coëgit*, verba *eadem metuere* ex glossemate nata esse adpare primum quia singularis praedicati *coëgit* subiecta tamquam in una notionem coalescere ostendit, id quod fieri non potest, si tria illa re tineantur; deinde quod cupiditas et odium metum conplectuntur — nam metuimus ne quae cupiamus non eveniant, quae oderimus accidant tum quoniam perversum est eosdem qui modo omni metu se liberas dicti sint, tamen metu in unum globum coactos esse dici. Atque u concedamus metum inter homines societatis vinculum quoddam esse tamen ubi societas iungitur iam non metus adest, set prohibendi a defendundi studium. Qua re recte Cat. 20, 4 *nam idem velle atqu idem nolle ea demum firma amicitia est.*

Quam multa glossemata in textum Sallusti inlata sint, ostendun loci Iug. 31, 17 ubi *montem*, et 32, 5 ubi *praetor*, pro quo alii pe peram P. R. exhibent, optumorum librorum consensu reiciuntur. Se admirabilius quod 35, 1 liber omnium vetustissimus P solus *profugu ex patria abierat*, relicui omnes *ex Africa abierat* praebent. Qua rum utrum glossema tibi videtur esse? Mea quidem sententia hic locu documento est, quam facile glossemata vera scriptura remota pe omnes libros propagata sint. Contra in notissumo illo Iugurthae dict

eiusd. cap. 10, quamvis interiectionem saepissume ab librariis prave inlatam esse constaret, tamen eam ex $P^1G\mu$ recipiundam duxi, cum et relicuorum scriptorum testimonia eam munirent, et gravitas quaedam ad sententiam adcederet.

Iug. 38, 2 multi exstiterunt qui verba *ita delicta occultiora fore* defenderent, rati eis caussam adferri, qua Iugurtha Aulum Albinum permovisset, uti se in abditas regiones sequeretur. Iam quamquam per se intellegitur A. Albini non minus quam Iugurthae interfuisse ne delicta patefierent atque evolgarentur, tamen neque illud dici necessarium fuit — spes pactionis i. e. pecuniae capiundae (37, 3) satis movebat Aulum, ut caecus periculi sui oblivisceretur neque aliis incitamentis egeret — et obscuriora sunt verba, quoniam quibus occultiora futura fuerint quaeritur. Et qui sperari potuit, quod inspectante exercitu fieret, etiamsi in abditis regionibus, occultum fore, Romae nihil aut incerta cognitum iri? Rem autem conficit, quod scriptura optumis testimoniis tradita *fuere* est. Quam si teneas, non multo acumine opus est, ut ea verba glossematis speciem prae se ferre intellegas.

Iug. 40, 3 *Set plebes incredibile memoratu est quam intenta fuerit quantaque vi rogationem iusserit* quin Kritzius verba volgo addita *decreverit voluerit* iure ac merito deleverit, nemo dubitabit, cum nunc constet vetustissumos et optumos libros manu scriptos ea non habere, et facile adpareat librarios verbum sibi minus cognitum (cfr. tamen Iug. 73, 7. 84, 1. 85, 11) inlustrandum atque explicandum putasse.

Set mira quadam sorte accidit, ut qui multa aliis viris doctis suspecta defenderim, ipse alia advorsus relicuorum editorum nostrae aetatis sententiam in suspicionem vocem, id quod testimonio erit, me non caeca quadam pertinacia, set libero iudicio codicum scripturas defendere. Iug. igitur 41, 1 omnes scripsere *Ceterum mos partium popularium et senatus factionum ac deinde omnium malarum artium paucis ante annis Romae ortus est.* At cum vetustissumi libri PP^1 al. *senatores* exhibeant, in quod quo modo *senatus* conrumpi potuerit non intellegitur, in relicuis autem libris inter *senatorum* et *senatus* variatum sit, cum *senatus* in Naz. deesse Gruterus testetur, cum denique in m et m^2 *popularium* et *senatus* al. ma. supra lineam scripta sint, *senatus* certe iure suspectum esse nemo, qui artis criticae peritus sit, negabit. Quod si removetur, *popularium* relinqui adeo membrorum aequabilitas vetat. Set num ea vocabula recte omitti possunt? Igitur *partes* de populi partibus (Iug. 43, 1) dictum ab Sallusti con-

suetudine non alienum esse intellegitur ex Iug. 40, 2 et 3 et 73, 4 nec quidquam obstat quo minus 42, 5 de eisdem solis cogitetur. *Factionem* autem semper dici ad obtinendam in re publica initam societatem, ergo per se de optumatibus intellegi, cum ex Cic. d. Rep. III 14, 23 constat, tum usus Sall. docet (cfr. Cat. 34, 2. Iug. 31, 1 et 4. Fr. III 59, 3 et 8, neque dissimile est Iug. 29, 2; certe M. Scauri factio fuit nobilitas). Quae cum ita sint, nonne adparet illa duo vocabula *popularium* et *senatus* librariis potius accepta referunda esse quam scriptori. Ceterum eiusd. cap. 10 iam in var. lect. significavi, quoniam *permixtione* vetustissumi et optumi libri tenent, et in *oriri* variatur, verba *et dissensio civilis* et *oriri* mihi ex glossemate nata videri, quippe quo *moveri civitas* explicatum fuisset: non quo recte omnia dicta esse negarem, set civitatem tam vehementer permotam esse, quam in permixtione terrae fieri consentaneum sit, non minus recte dici videbatur.

Iug. 49, 1 *suorum* ab libris non admodum suspectum esse facile concedo, at id vocabulum non modo superfluum, set paene absurdum esse contendo. Quorum enim aciem extenuare potuit, nisi suorum? Talia dicere non est scriptorum paulo elegantiorum et quisquilias fugientium. Cum igitur aliquid suspicionis codicum scripturis moveatur, tollendum illud arbitror. Nec minus 50, 3 *peditum*, quod necessarium esse nemo contendet, removendum censeo, quoniam in recentiori optumorum librorum familia, quamvis in eo saepe ordo verborum mutatus sit, tamen eo loco positum est, quo ferri nequit: *montem occupat peditum*. De 53, 7 cap. V dicam.

Iug. 54, 5 paene miror ab recentioribus editoribus praeter Kritzium *in acie* intactum relictum esse. Quamquam enim qui libri omittunt *in*, non tanta fide sunt, uti casu omissam esse praepositionem negandum videatur, tamen quin recte eiecta sit, dubitari vix potest. Nam aequabilitas membrorum tollitur ea addita — variare orationem amavit Sall. set in dissimili re —, neque ullum exemplum reperitur, ubi cum de modo pugnandi sermo sit, *in* adiunctum legatur (cfr. Iug. 97, 4 *non acie neque ullo more proeli*) et ne ratio quidem ut ea adiungatur concedit, quoniam *in acie pugnat* is, qui acie instructa pugnat, non qui acie instruenda bellum gerit. Idem discrimen intercedit inter *iure vindicare* et *in iure vindicare* (Cic. d. or. I 10, 41. Piderit zur Kritik u. Exegese v. Cic. d. or. Hanau 1858 p. 15).

Iug. 58, 4 sic editur: *Interim Metellus cum acerrume rem gereret, clamorem hostilem a tergo accepit.* Set ea scriptura paucorum

ac recentiorum librorum est, vetustissumi et optumi *clamorem vel tumultum hostilem* exhibent, unde in proxumis *cl. et tumultum*, in sequentibus aliis aliud factum est. *hostilem* solus M^2 sup. lin., pro eo *hostium* unus T. Igitur alterum utrum *clamorem* aut *tumultum* glossema esse certum. Plerique *tumultum* iudicavere, credo quod per *vel* alteri adiunctum esset. At multi inveniuntur loci, in quibus glossema ante vocabulum ab scriptore scriptum inlatum sit. Et utrum veri similius est explicatum esse, *clamorem* an *tumultum?* Linkerus autem *hostilem* in suspicionem vocavit; quibus de caussis ego equidem non perspicio. Nam neque libri quidquam suspicionis movent et, ut abesse posse negandum non est, sic recte adiectum facile intellegitur. Profecto enim maius periculum fuit, si Metellus non solum tumultum a tergo accepit, set eum hostilem, i. e. ab pugna cum hostibus ortum esse persensit (cfr. ind. s. v.).

Iug. 61, 4 ad hoc tempus volgatum est *et inde vadibus datis clam Massivae de nece iudicium fugerat.* Ac *de Massivae nece*, quem ad modum ego olim et nuper Gerlachius edidimus, cum optumorum librorum scriptura sit, quin in textum recipiundum sit, eo minus dubitari potest, quod Sallustius numquam praepositionem inter genetivum et substantivum posuit, nisi in membris relativis (Iug. 4, 2. 28, 4. 30, 3. Fr. I 10), id quod etiam Iug. 14, 1 *in locum* ex glossemate natum ac veram esse 𝔙 scripturam *loco* praeter alia argumenta planum facit. Iam quod in nonnullis atque adeo vetustis codicibus *de* aut loco suo motum aut omissum est, ad eam suspicionem adducit, glossema in verba scriptoris inlatum eius expellendi caussam praebuisse, et cum *clam* in optumis libris vel desit vel supra scriptum sit, quid apertius quam id ex loco 45, 9 a glossatore huc translatum esse? Nisi forte necessario exprimundum fuisse credis, eum qui iudicium fugisset, id clam fecisse.

Difficilluma verba sunt Iug. 69 extr. Ponamus primum recte scribi, quod P^1 prima manu cum paucioribus libris exhibet quodque volgo editum est, *nam is civis ex Latio erat;* duo tum quaerenda sunt, qui recte dicatur *civis ex Latio* et quo modo ea res ad inlustranda vel confirmanda praegressa pertineant. *Civis* igitur *ex Latio* ubi dictus aliquis esset, nemo ne ullum quidem veterum scriptorum locum ostendit, at pauci num recte dici posset dubitavere. Ac Niebuhrius quidem H. Rom. II 75 Sallustium, teste Gellio X 20, 10 proprietatum in verbis retinentissumum, eam locutionem obsoletam ex prisca antiquitate repetivisse censuit. Quod credo vir ille inmortalis memoriae non

dixisset, nisi ad confirmandam suam de antiqua Latinorum conditione pertinere arbitratus esset. Nam pervorsum fuit, si Sallustius, quem Gellius eod. l. consuetudini non cedere non potuisse monuit, de iure dicens pro eis vocabulis, quibus illa aetate publice Romani utebantur, obsoleta, quae nemo tum intellecturus esset, revocavisset. Quod si quis quo minus diligenter in talibus vorsatum eum esse ostendat, nos ad locum Iug. 40, 2 remiserit, ubi *per homines nominis latini ac socios Italicos* usui sollemni repugnare ostendit Momms. H. R. ed. II. I p. 400 n. 2, nihil efficiet, quoniam quamvis a consuetudine abhorreant, tamen rei ac veritati ea verba conveniunt [1]); set hominem nominis latini, quamquam certis conditionibus — illa aetate iam artius circumscriptis — civitatem Romanam nancisci poterat (Marquardt Ant. Rom. III 1 p. 38 sqq. Momms. l. c. I p. 776), tamen si quis *civem ex Latio* adpellasset, omnes uno consensu reclamassent, Latinos peregrinos non civis esse. *Civis ex Latio* nemo dici potest, nisi qui civitate romana retenta in Latio habitat (ut *G. Servilius civis romanus ex conventu Panormitano* est ap. Cic. in Verr. V 54, 140), aut qui cum antea nominis latini fuisset (Latio oriundus) civitatem romanam adeptus est. Quo modo si verba accipiuntur, convenit inter Sallustium et Appianum qui p. 253 Bekk. Turpilium ἄνδρα Ῥωμαῖον dixit, et Plutarchum, secundum quem (Mar. c. 8) ἦν ἐκ πατέρων ξένος τῷ Μετέλλῳ. At altera quaestio oritur, quo verba illa pertineant. Iam constat lege Porcia sanctum fuisse ne in morte condemnatos verberibus prius animadvorteretur (cfr. Cat. 51, 22. Liv. X 9. Cic. in Verr. V 63, 162. pr. Rab. 4, 12. de Rep. II 31, 53. Drum. V p. 95. Göttling. Gesch. d. Röm. Staatsverf. p. 427. Pauly. R.-Enc. IV p. 992 sq.). Quam legem quamquam extra urbem nonnunquam neglectam esse scimus (Pauly. R.-E. VI p. 2467), tamen si Turpilius civis Romanus fuit, verba illa, de quibus agimus, prorsus pervorsa sunt, neque ullo modo defendi possunt, nisi ut antea excidisse nonnulla statuamus, quibus Sall. inprobandum fuisse illud subplici genus dixisset. Neque neglegendum est, utique mirum esse, cur Sallustius *civis ex Latio* dicere, quam simpliciter civem Turpilium fuisse conmemorare maluerit. Set ne levius in re tanta pervestiganda vorsemur, num probari ea verba possint, si Turpilium Latii iuris fuisse statuamus, sive id emendando *non civis set ex Latio*, sive alio modo effici volumus, quaerendum videtur. Pro-

1) Si aliqua suspicionis caussa ab codicibus praeberetur, *Italicos* ex glossemate natum arbitrarer, eo minus dubitanter, quod ipse Sall. 42, 1 recte *per socios ac nomen Latinum scripsit*.

fecto tum haec verba recte adiecta esse adpareret, quo explicaretur, cur Turp. ante verberatus esset. Tamen res dubia est. Nam cum Plutarchus G. Gracch. c. 9 memoriae hoc prodiderit: *ἔτι δὲ ὁ μὲν (Γ. Γρακχ.) τοῖς Λατίνοις ἰσοψηφίαν διδοὺς ἐλύπει, τοῦ δὲ ὅπως μηδὲ ἐπὶ στρατείας ἐξῇ τινα Λατίνων ῥάβδοις αἰκίσασθαι γράψαντος ἐβοήθουν τῷ νόμῳ*, nisi lex illa aut non perlata aut mox abolita fuerit (Göttling. l. c. p. 427 sq. Pauly. R.-E. IV p. 992 sq.), ita illum verberatum esse explicari non potest. Et cum etiam post legem Porciam in castris verberibus in civis Romanos animadvorsum esse constet, nullum aliud discrimen fuit, nisi quod fortasse saepius Latini verberati sunt; quod qui ita removere studuerunt, ut *verberatus* hoc loco de fustigatione intellegendum esse statuerent (Iacobs. Cless Interpr. Germ. p. 158), cuius in socios usus fuisset, ut in civis vitibus animadvorsum, apertissume, quod nemo Romanus in eo verbo invenisset, inesse statuerunt, Sallustioque obscuritatis et pervorsitatis crimen inposuerunt. Set fatendum est, si verbis illis Turpilium nominis Latini fuisse significetur, omnia planiora ac veri similiora esse. At *civis ex Latio* id significare non potest, et ne ea quidem satis testata scriptura est. Nam vetustissumi omnes in *civis ex collatio* consentiunt; at antiquissumum fuisse *civis collatio* ex P (ubi *ex* supra scriptum est) et P[1], ubi *ex latio* in *collatio* conrectum est, adparet. Quod quo ducit? Scilicet veram scripturam esse *nam is civis, non ex Latio erat.* Quae cum ita sint, si librorum testimoniis aliquid tribuendum, ante ea verba aliquid excidisse statuendum erit. At num ea verba Sallusti sunt? Minume. Nam credibile non est eum, qui 67, 3 Turpilium *inprobum intestabilemque* dixisset, genus subplici vituperasse, certum videtur eum Metellum potius excusaturum quam reprehensurum fuisse; tum *is* habet quod glossema sapiat; denique pro *erat* certe scripsisset S. *fuit.* Qua re mea quidem sententia verba illa reliquiae sunt longioris glossae marginalis, qua aliquis, doctrinae copiam suam effundens, monuerit, non debuisse Turpilium necari verberarique; nam eum non latinum set civem fuisse.

Iug. 71, 4 *et* quod summo consensu optumi libri tuentur, non recte a plerisque per glossatorem adiectum putatum est. Quid enim? Nonne Sallustio rem sic narrare licebat: Qui postquam litteras adlatas audivit eamque ob caussam (i. e. *et)*, quod opera aut ingenio suo opus esse arbitrabatur, neque arcessitus neque aditu dato tabernaculum introiit, epistulam facile repperit? Contra quod in plerisque libris paulo post legitur *et rem omnem uti acta erat ex perfugis cognovit* vitio-

sum esse facile perspicitur. Nam primum quod P[1] *ex servis* superscr. *vel ex perfugis*, g[2] *ex scurris*, h *ex servis perfugis*, alii pauci *ex profugis* exhibent, ea re ad illam suspicionem adducimur, ut librarios narrationem explendo magis perspicuam reddere voluisse credamus. Deinde qui tandem illi perfugae fuerint? Dignumne fuit diligenti scriptore rerum perfugas Romanos conmemorare, cum antea praesidium eorum secum habuisse Nabdalsam non significasset? Tum si *ex servis* vera fuit scriptura, quo tandem modo id in *perfugis* conrumpi potuit? Denique quid res postulat? Nonne omnia Nabdalsam coniectando suspicari potuisse manufestum est? Quis introierit tabernaculum, fortasse a praesidibus vel servis percontatus est, aut negotiorum suorum curatorem subito discessisse ab eis, qui in vicinia erant, conperit, set relicua omnia nisi coniectura adsequi non potuit; quare requirimus, quod significet: eum perspexisse quod factum erat ita, ut vere factum erat, ut verbo *cognovit* nihil addendum fuisse adpareat. Ceterum veri non dissimile est *ex perfugis*, cum 73, 1 scriptum esset in pagina adversa, fortasse ad marginem subpletum, ab librariis ad hunc nostrum locum translatum esse.

Iug. 72, 2 *civis hostisque iuxta metuere* Linkerus *que* iniuria videtur suspectum habuisse. Neque enim quod particula praeter Commelinianum in tribus eisque non optumae notae libris manu scriptis omissa est, satis idoneum est ad eam damnandam argumentum, neque ipsa ab consuetudine Sall. aliena (cfr. Cat. 2, 8. 61, 6. Iug. 67, 2. 85, 47. 88, 1), neque denique ea addita huius loci natura vitiatur ¹). At paulo post *experrectus*, quoniam Diomed. p. 376 K. ob id ipsum vocabulum hunc locum conmemoravit, pro eo quod libri exhibent *excitus* vel *excitatus* necessario restituendum; quod autem in P scriptum est *exercitus*, non ex *excitus* errore factum videtur, set cum archetypi scriptura obscurata esset, male scriptum conruptelae caussam praebuisse.

Quam licenter Sallusti oratio glossematis conrupta sit, testimonio est locus Iug. 76, 3. Primum enim libri manu scripti vel *deinde iubet locis*, vel *deinde duobus locis*, vel *deinde iubet duobus locis* exhibent. At *iubet* ferri non potest, non quo infinitivus activi advorsus usum dicendi pugnet (vid. quos in priore editione laudavi), set quia omnis loci natura ut de rebus factis non iussis dicatur postulat. Illud quidem dubitari potest, utrum *iubet* ab librariis infinitivos histo-

1) *Que* in plerisque libris adiectum est 75, 4, ubi cum P et P[1] cum nonnullis aliis codicibus omittant, non dubitavi omittere.

ricos non concoquentibus adiectum, an ex *duobus* conruptum sit. Nam per se nihil obstat, quo minus Metellum, postquam moenia vallo fossaque circumvenit, duobus non pluribus simul locis murum adgressum esse statuamus. Set cum quae infra leguntur *murum arietibus feriri* satis perspicue ostendant multis undique locis Romanos murum subruere conatos esse, veri simillumum videtur, *duobus* ex *iubet* ab eis factum esse, qui id verbum contra consuetudinem dicendi et rei naturam dictum intellexissent. At tum in omnibus libris sequuntur haecce: *vineas superque eas aggerem iacere*, in quibus *superque eas* male inlatum esse omnes nostrae aetatis editores arbitrati sunt praeter Herzogium, qui cum *super* locale ineptum esse intellexisset, pro *praeter* dictum putavit, conl. Tac. ab exc. d. A. III 63 *consules super eas civitates quas memoravi, aput Pergamum Aesculapii conpertum asylum retulerunt*, id quod probari nequit, quoniam is usus praepositionis *super* posteriorum tantum scriptorum et poëtarum videtur fuisse, apud Sall. certe nullum exemplum est, multoque magis quod eo addito narratio languida ac putida fieret. Tum *et* cum in P[1] optumo libro desit et oratio tripartita optume huius loci colori conveniat, omittendum erit. Quod si conprobaveris quin *aggerem*, quod Linkerus uncis inclusit, retinendum sit minus dubitabis, praesertim cum neque in sententia neque in libris quidquam sit, quod suspectum reddat.

Cum tam saepe Linkero oblocutus sim, ut paene verear, ne studio quodam eius sententias inpugnare videar, gaudeo quod mihi cum eo convenit Iug. 77, 2 *Nam Leptitani iam inde a principio belli Iugurthini ad Bestiam consulem et postea Romam miserant amicitiam societatemque rogatum* vocabulum *Iugurthini* ex glossa fluxisse. Quamquam enim in libris manu scriptis non tanta varietas est, ut glossematis suspicio magno opere confirmetur, tamen quod bellum intellegundum sit, ita perspicue relicuis significatum est, ut id glossatore potius quam scriptore superflua et putida fugiente dignum sit.

Iug. 79, 1 *eam rem nos locus admonuit* Cortio adsentior *nos* eiciundum esse, non quo recte dictum esse negem, set quia varietas scripturae luculenter ex margine aut interlineari spatio in verba scriptoris inrepsisse ostendit. De *eam rem* nunc cfr. Müller Philol. IX p. 621 n. 16.

Iug. 85, 10 *hominem veteris prosapiae ac multarum imaginum et nullius stipendi* sane suspectum est *ac*, quoniam $\mathfrak{B}$ g[2] omittunt, P[2]P[3]B *aut* exhibent. At asyndeton ferri vix potest, quoniam prioribus duobus tertium contrarium *et nullius stipendi* adiungitur. Ac facile aliquis in eam opinionem adducatur, ut *veteris prosapiae* glossema

arbitretur, ad inlustrandum *multarum imaginum* adscriptum. Set tamen *multarum imaginum* novi aliquid adiungit, quod ad definiundum id quod latius pateat, pertineat, in quo genere copulativas particulas et *atque* vel *ac* potissumum usurpari ostendi olim ad Cat. 2, 9. 3, 4. Iug. 107, 2. Eiusd. cap. §. 11 scripsi: *ita plerumque evenit uti quem vos inperatorem iussistis, is inperatorem alium quaerat*, quamvis 𝔅 multique libri manu scripti *is sibi inperatorem* exhiberent. Primum enim relicuis vetustis libris glossematis suspicio movetur; tum per se perspicuum est, quo modo verba sint intellegunda, quippe cum praecedat *sumat aliquem ex populo monitorem offici sui;* denique augetur vis et gravitas sententiae, cum Marius dicit eum, quem inperatorem populus iusserit, alium quaerere, qui vere illi inperator sit. Paulo post 12, cum 𝔅 cum nonuullis optumis alterius generis libris consentiat cumque gravior sit oratio, si illi non solum acta maiorum, set etiam Graecorum praecepta legere dicantur, probo quod Linkerus recepit *et acta maiorum*. At nulla caussa est, cur infra 23 *eorum* advorsus summum optumorum librorum consensum eiciamus. Contra 29 𝔅 verum servasse cum ratio ostendit — quippe advorso pectore cominus pugnans volnera excipit, set advorso corpore volnerari potest aliquis etiam eminus — tum quod in P et P^1 illud super *corpore* pro var. lect. scriptum est. Porro 30, cum libri vetustissumi alii *quae egomet plurumis laboribus et periculis quaesivi*, alii *ego meis plurumis*, pauci *egomet meis plurumis* exhibeant, hoc probandum puto. Neque enim absurdum est dicere Marium se nobilitatem non solum ipsum, set etiam summa suarum virium contentione ac periculo quaesivisse, et veri similius est alterum propter similitudinem litterarum excidisse, quam librarios orationem subplendam arbitratos esse. — Quamvis autem verendum sit ne multis nimis suspiciosus videar, tamen libere quae de eiusdem orationis §. 41 sentiam exponam. Ubi postquam Marius acerbe invectus est in nobilitatem ita: *Quin ergo quod iuvat, quod carum aestumant, id semper faciant: ament potent, ubi adulescentiam habuere ibi senectutem agant*, haec adiciuntur: *in conviviis, dediti ventri et turpissumae parti corporis.* Scripturae paene nulla est varietas; nihili enim est, quod 𝔅 et P^1 frequenti vitio *convivis* exhibent, nec libris $p^6r\gamma$, qui *et* omittunt, advorsum relicuorum omnium consensum quidquam tribuendum. Iam per se adparet extrema verba praegressis *ament potent* ita respondere ut chiasmus admissus sit, *ventrem* ad potationes, *turpissumam partem corporis* ad amores spectare. Quod si ita est, *in conviviis* parum placet. Nam

ratio postulat, cum quae ad duas res spectent sequantur, ut etiam duo praecedant. Dixerit fortasse quispiam: *convivia* utrumque conplecti; esse talia, ad quae scorta adhibeantur, in quibus et ventris cupiditatibus et lubidinibus amoris indulgeatur; at id probari nequit, quoniam ita tecte et artificiose loqui minume ingeni Sallustiani est, et ipse scriptor Cat. 7, 4 plene ac distincte dixit *magisque in decoris armis et militaribus equis quam in scortis atque conviviis lubidinem habebant.* Quod si obposueris infra *epulas* solas conmemorari *(quibus illa epulis iocundiora sunt)*, aliud est praegressum omittere, aliud id quod alteri adposito respondeat neglegere. Quid igitur? utrum aliquid excidisse statuamus, an *in conviviis* glossema esse? Hoc mihi quidem veri similius videtur. In eis quae sequuntur *pulverem* om. 𝔅T, sup. lin. m. Alterum ex glossemate ortum esse vel inde adparet, quod Sall. *et alia talia* nunquam nisi uno non pluribus praecedentibus dixit (Iug. 40, 2. 44, 5. 62, 2. 64, 3. 81, 2. 85, 10. add. 32, 1)[1], id quod eo magis tenendum, quia consuetudo Romanorum sic postulat. At utrum glossema est? Facile intellegi puto *sudorem* ad *pulverem* explicandi caussa adscriptum esse. Quem ad modum hoc loco auctoritate 𝔅 aliquid male adiectum esse statuimus, sic cur ex eodem infra *omnibus* ante *flagitiis* receperimus omnes perspecturos confido. Quem ad modum autem supra propter leges sermonis latini *sudorem* eiciundum censui, sic eaedem me permovent, ut 45 *Nam quae ad hoc tempus Iugurtham tutata sunt, omnia removistis, avaritiam, inperitiam atque superbiam* cum libris recentioribus primi generis *atque* contra ceterorum consensum removendum arbitrer. Neque enim recte dixeris posteriora duo in unum coniuncta primo ἀσυνδέτως adiungi (vid. quae olim ad Iug. p. 120 disputavi), neque tertium prae ceteris ecferundum fuisse (= et adeo, et etiam). Paulo post §. 47 cum vetustissumi et optumi libri exhibeant *Egomet in proelio aut in agmine consultor idem et socius — vobiscum adero*, iniuria *aut* ab editoribus praeter Gerlachium pro additamento librarii habitum est, neque ego ipse recte de hoc loco olim iudicavi. Nam cum duplex sit genus periculorum, quae in proeliis adcidant et quae in itineribus, nec cum agmine incedunt milites proelio simul decertant, recte hae notiones per *aut* disiun-

1) Scilicet ubi duo praecedunt, haut raro *ceterus* et *alius* per copulativam particulam adiunguntur, Cat. 10, 4. 13, 2. 32, 2. 52, 36. 39, 2. Iug. 1, 3. 3, 2. 39, 1. 64, 1. Set quod ubicumque libri viam monstrabant id conrexi, velut 86, 1, non vereor ne in peritorum vituperationem incurram.

guntur (cfr. Iug. 53, 3 *collis aut noctis auxilio integri abeunt.* Hand. Turs. I p. 541).

Iug. 89, 5 de regione, quae est inter Capsam et relicuam Numidiam, haec leguntur: *alia omnia vasta*, *inculta*, *egentia aquae*, *infesta serpentibus*, *quarum vis sicuti omnium ferarum inopia cibi acrior; ad hoc natura serpentium ipsa perniliosa siti magis quam alia re adcenditur.* Scripturae varietate, quae in libris invenitur, unum vocabulum *ipsa* suspectum fit, tamen haec verba ab Sallustio sic non scripta esse recte iudicavit Linkerus, quamquam longius mihi progressus videtur esse cum omnia haec *inopia cibi* — *perniliosa* eiciunda censuit. Nam quod ap. Serv. ad Verg. Ge. III 434 ex hoc loco referuntur *quod genus siti magis quam alia re adcenditur*, inde, quoniam grammaticus verbis ad inlustrandum *asperque siti* utitur, atque omnino non de scripto, set de memoria ea relata esse adparet, certe non ecficitur, illa *inopia cibi acrior* ab Sallustio scripta non esse. Num vero ratio obstat, quo minus utrumque ab eo coumemoratum esse credamus? Quid aliud voluit, quam ostendere naturam eius regionis plurumum ad exasperandas serpentis conferre? Cum igitur praecedat et *vasta inculta*, qua re inopiam cibi fuisse intellegitur, et *egentia aquae*, cur Sallustius ibi omnia quae ad adcendendam vim serpentium pertinerent fuisse coniuncta, et inopiam cibi et sitim, dicere non potuerit non capio. Quid ergo displicet hoc loco? Scilicet quod quamvis praecedat *vis*, tamen sequitur *natura serpentium ipsa perniliosa.* Quae verba si removeris — quippe *ipsa* ab libris suspectum est neque librarium vocabulum *vis* explicare voluisse ab specie veri abhorret — nonne relicua omnia plana sunt? Dixeris fortasse: nimis multa verba esse, quam quae Sall. brevitatis studio conveniant. Audio: at ex eis, quae tradita sunt, de scriptoris ingenio iudicare, non ex ea opinione, quam de hoc inbiberimus, de illis decernere debemus. — Eiusd. cap. §. 8 *illis*, quo careri posse nemo negaverit, ab librariis additum esse intellegitur ex P^1 et P^4.

Iug. 91, 1 Linkerus verba *maxuma vis utrium effecta* uncis additis spuria sibi videri indicavit, quae sententia quibus argumentis confirmetur, non video. Nam primum, quod in P^3B solis *effecta utrium* legitur ad suspicionem confirmandam parum valet, tum quamvis concedam hominem acutum per se intellegere quam magna vis utrium effecta fuerit, tamen cur absurdum sit, si Sall. id quod cura Mari effectum fuerit copiose narret, praesertim cum id gravissumi ad relicuam difficultatem superandam momenti fuerit, non perspicio; denique

Sall. *ibi* aut novum membrum incipere semper voluit (Cat. 11, 6. 32, 1. Iug. 11, 5. 49, 6. 68, 3. 76, 6. 81, 1. 101, 6. 108, 1. Fr. II 48. inc. 15) aut postposuit, neque hoc loco eodem modo dictum esse potest quo Iug. 58, 3 *sin* — *ibi vero.* Eiusd. cap. autem pars extrema quanto opere Sallusti libri glossematis inquinati sint ostendit. Nam cum *coërcitum* explicatione egere librarii arbitrarentur, *ante* adiecere, quod cum in P[1] superscriptum, in recentiore familia omissum sit, glossema esse perspicuum est.

Iug. 92, 2 Kritzius etiamnum verba *modo verum etiam casu data*, quae in paucissumis libris, quosque eleganter interpolatos esse 21, 4 iam supra cognovimus, adiecta sunt, retinuit. De quibus ut recte iudicare possimus, primum quaerendum est quid sit *in virtutem trahere.* Cum *trahere ad aliquem* sit cum contentione aliquid alicui conparare, tribuere, conciliare studere (cfr. Liv. I 7, 1: *at hi numero avium regnum trahebant.* IX 28, 6 *captae decus Nolae ad consulem trahunt)*, *in virtutem trahere* nihil aliud significare potest, quam virtuti vindicare studere, virtuti alicuius tribuere, ostendere quam aliquid virtutis sit, ut similia sint *rem in superbiam vortere* Iug. 82, 3, *modestiam in conscientiam ducere* 85, 26, *in lubidinem vortere* 41, 5. Quae cum ita sint *casu data in virtutem trahebantur* minus proprie dici adparet; ad gloriam augendam pertinent, quem ad modum de Tiberio, qui apud patres nulli ante Romanorum eiusdem fastigii viro geminam stirpem editam quin iactaret non temperavit, Tacitus ab exc. d. Aug. II 84: *nam cuncta, etiam fortuita, ad gloriam vertebat. Non bene consulta*, i. e. audacius et alacrius suscepta, quoniam singularis animi magnitudinis esse videntur, in virtutem trahuntur, sive inprudentia pro virtute habetur. Si talia forte conriguntur, gloriam pro culpa inveniunt, ut ipse Sall. 94, 7 dicit, set etiamsi fortuna non faverit, tamen virtuti tribuuntur ab volgo inperito. Quae ita intellegi nolim, quasi omnino *casu data in virtutem trahebantur* dici potuisse negem, unum illud adparere puto, tantum abesse, ut Sallustius zeugma admisisse putandus sit, cum ex eo, quod vere ad *casu data* solum referri posset, ad prius communis notio *gloriam augebant* intellegi voluerit, ut quod priori optume conveniret, etiam cum altero minus proprie iunxisse censendus sit. Tum scriptorem de *non bene consultis* tantum cogitasse extrema verba ostendunt: *credere illi aut mentem divinam esse aut deorum nutu cuncta portendi;* in quibus *portendi* esse futura indicari constans eius usus demonstrat (cfr. Cat. 47, 2. Iug. 3, 2. 63, 1); diligentissumus quippe est in talibus periodis ita conformandis, ut

postrema prorsus primis respondeant. Ad quae cum adcedat quod pauci novissumae originis et ei interpolati libri illa verba soli exhibent et ne prorsus quidem inter se consentiunt, num dubium videtur, ea glossatoris esse? At quo modo quispiam adduci potuit, ut ea adscriberet? Scilicet, cum intellexisset de eis non bene consultis dici, quae prosperum tamen eventum habuissent, memorque esset infra de temeritate per fortem conrecta dici, lecturos de ea re admoneri voluit.

Iug. 92, 7 non iniuria mihi videor verba *et aliis machinationibus* uncis seclusisse. Nam primum quae tandem praeter vineas, aggeres, turris aliae fuere machinae, quae ad moenia loci obpugnati admoverentur? Tum num credibile est ex *aliis* casu quodam factum esse id, quod in vetustissumis libris inventum est *altis*? nonne potius veri simile quoniam aggeres et turres ab vineis distinguuntur, librarium, quo id notaret, *altis machinationibus* adscripsisse?

Contra ab me inpetrare non potui, ut Iug. 94, 5 verba *Romanis hostibusque* cum Linkero aliisque viris doctis pro glossemate habenda censerem, non quo eis careri posse negarem, set quia si adiungerentur, perspicuitatem augere videbantur, praesertim cum *his*, *illis* sequeretur, nec quod in paucis *Romanis omnibus* inventum est, in aliis *que* omissum, in uno *romanis et hostibus* scriptum, satis ad suspicionem confirmandam valere arbitrabar.

Non dissimilis huic loco est Iug. 97, 5 ubi omnes libri — nam exiguae discrepantiae vix conmemorandae sunt — ab Sallustio scriptum testantur: *denique Romani veteres novique et ob ea scientes belli, si quos locus aut casus coniunxerat, orbis fecere* (haec vetustissumorum librorum scriptura cur reiciunda sit non video) *atque ita ab omnibus partibus simul tecti et instructi hostium vim sustentabant.* In quibus *veteres novique et ob ea scientes belli* ferri non posse omnes (cfr. Selling. lect. p. 32 sq.) praeter Gerlachium intellexere. Igitur plerique ut ego ipse olim Kritzio auctore *novique*, quippe ex 87, 3 huc translatum, ab librariis adiectum censuerunt. Set quamvis librariis multorum et admirabilium vitiorum culpa merito inponatur, tamen ne nimis creduli itaque iniusti in eos simus cavendum est. Ac vereor, ne eis cum eos locum planissumum addito *novique* conrupisse insimulemus, aut firmiorem memoriam, quippe quibus cum *veteres* legissent, statim loci 87, 3 in mentem venerit, aut nimium mutandi pruritum tribuamus. Nam si de re adcuratius quaesiverimus utrum veri similius videtur, paucos veteranos, quos forte casus aut locus coniunxisset — nam novorum militum in Mari exercitu numerum

magnum fuisse ex 86, 4 intellegitur — hostibus restitisse, an omnes Romanos, ubicumque potuissent, orbibus factis vim illorum sustentasse? Et num Sallustio indignum fuit, cum eximium fortitudinis et peritiae documentum conmemoraret, admonere lectores, quam brevi tempore novi veteresque milites coaluissent (87, 3), quam celeriter omnis exercitus Mari prudentia ad eam rei militaris scientiam adductus fuisset, ut quid in rebus dubiis atque asperis faciundum esset, nemo dubitaret? Quae cum ita sint, hoc quaero, utrum *novique*, quod rectissume adici potuit, an *et ob ea scientes belli*, quae verba eo quo posita sunt loco prorsus inepta, magis speciem glossematis prae se ferant.

Iug. 99, 1 admirabile est, quod vetustissumi atque optumi libri paene omnes *erumpere iubet* exhibent. Quod quamquam magna in suspicione est, — nam elegantis scriptoris certe non est idem verbum in duobus enuntiatis se excipientibus ponere —, tamen num defendi possit quaerendum est. Primum igitur infinitivi *signa canere, clamorem tollere, portis erumpere*, quo minus ab *iubet* praegresso pendere putentur, *deinde* particula obstat, ex qua nemini perspicuum esse non potest infinitivos historicos esse. Nihil ita vituperandum videtur; set utique mirum, si quod milites fecerint narretur nulla ducis conmemoratione, cum tamen id quoque ab illo tam prudenter tamque apte institutum esse adpareat; praesertim cum principium capitis *Plurumum vero Marius inperitia hostium confirmatus*, faciat ut exspectemus de omnibus, quae advorsus hostes ab eo instituta sint, dictum iri. Contra id quod iussisset dux, ab militibus recte et ordine factum esse, ex ipso eventu facillume intellegebatur. Quae cum ita sint, cumque eiusdem vocabuli repetitio minume ab scriptorum consuetudine aliena (Drakenb. ad Liv. I 3, 9, cfr. Iug. 85, 38) neque ab Sallusti ingenio abhorreat, quippe qui saepe duo enuntiata ab eadem particula ordiri non fugerit (Cat. 25, 4. 26, 2. 52, 16 et 17. 56, 3 et 4. Iug. 31, 22 et 23. ib. 28 et 29 al.), iudicium continendum arbitror. — Eiusd. cap. §. 3 ab plerisque editur: *Ita cunctos strepitu clamore, nullo subveniente nostris instantibus, tumultu terrore formido quasi vecordia ceperat.* At ita in solo M[2] scriptum. Vetustissumi et eidem optumi libri *tumultu formidine terrore*, qui eis proxumi sunt *tumultu terrore formidine* exhibent. Unde quid sequitur, nisi ut alterutrum *terrore* aut *formidine* glossema iudicandum sit? Atqui veri similius est ad *formidine*, quippe quod hoc loco extremum per omnem exercitum diffusum metum significet (cfr. Iug. 53, 7: *alteri apud alteros formidinem simul et tumultum facere)*, *terrore* adscriptum, quam hoc per illud explicatum esse.

Quid igitur, cum legimus *tumultu formidine quasi vecordia ceperat*, nonne omnia plana sunt? Servata est aequabilitas membrorum, quae cum duo paria praecesserint, tertium quoque ut duobus constet postulat; et quamquam ipsa formido vecordiae similis esse potest (Iug. 72, 2: *formidine quasi vecordia exagitari*), tamen quid obstat, quo minus per formidinem vecordia quaedam animis iniecta esse dicatur?

Iug. 100, 4. *praeterea alios super vallum in munimentis locare* verba *in munimentis* non modo superflua set etiam parum convenientia esse facile intellegitur. Nam tertium genus excubiarum per *super vallum* satis ab relicuis duobus distinctum est et ita verba coniuncta sunt, quasi munimenta vallo inposita fuerint. Cum autem in recentiore primi generis familia multisque aliis codicibus *in munimentis* ante *super vallum* conlocatum sit, nonne ea res satis arguit, illud ad *super vallum*, quod insolentius dictum esse videbatur (cfr. tamen 76, 3), ab librariis adscriptum esse? — Paulo post 5 vulgo editur *quod multi per ambitionem fieri aiebant, pars quod a pueritia consuetam duritiam et alia, quae ceteri miserias vocant, voluptati habuisset*, quae recte dicta esse nemo negabit. At mirum profecto est quod codices vetustissumi duo PP[1] *habuisse* exhibent, deinde quod paene omnes primi generis *pars* omittunt. Cum autem *pars* nullo modo omitti possit, nonne veri simile est, id vocabulum per aliud superscriptum loco suo motum esse? Et si *quod* eiciamus et *habuisse* recipiamus, nonne omnia recte procedunt? Neque enim quod subiectum infinitivi *habuisse* omissum est, cum de quo dicatur dubium non sit (cfr. 83, 1), obfensioni est, neque quod quae in caussa fuisse dici potuere, ab illis ita putata esse dicta sunt.

Iug. 102, 10 ubi Sulla ad Bocchum haec dicit: *multa atque oportuna habes, quo facilius errata officiis superes*, particula copulativa *atque* quamquam codicis 𝔙 auctoritate munita est, tamen relicuorum optumorum librorum testimoniis suspecta fit. Ad sententiam non ita magni interesse, utrum Bocchus dicatur multas oportunitates habere, an multas res easque oportunas habere, manufestum est. Nec desunt loci in quibus grammatici consuetum genus dicendi restituere conati sint.

Iug. 103, 4 verba *in itinere* nullam aliam ob caussam secludenda arbitratus sum, quam quod in multis libris alio loco conlocata sunt ac facile eis careri potest.

Novam recensionem exhibui principii cap. 104, auctoritate eorum librorum, qui inter recentiores optumi sunt. Primum cum mσ *ubi*

exhiberent et veri similius mihi videretur librarios illud hoc loco non localem significationem habere monere voluisse, quam pro *postquam* restitutum esse *ubi*, optumos libros sequendos putavi. Deinde *infecto* cum plerisque et optumis libris retinendum putavi. Cum enim aliunde quid vere factum fuerit cognitum non habeamus, libri sequendi erunt, nisi quod exhibeant falsum esse demonstratum fuerit. Atqui si Marius infecto negotio ab obsidione turris regiae, quam susceperat, redire coactus fuerit, facilius intellegitur, quibus caussis motus sit, ut bellum pactione — quae quam ardua fuerit, vid. Momms. II. R. II p. 147 — quam vi conficere mallet. Tum nemo mirabitur, quod eum verborum ordinem nunc exhibui, qui ab optumis libris conmendatus esset, set maxume admirabuntur homines docti, quod pro *quo*, quod adverbium loci esse studiose Obss. p. 24 sq. demonstravi — qua in re Kritzius mihi adsensus est — tamen quod illic recte dici negavi *quod* restituendum existumavi. Scilicet mihi persuadebam quem ad modum *consilium*, *fallaciam*, *iter intendere* recte dicatur, sic *intendere negotium* non esse quidem: suscipere, consilium capere, set advorsus hostis summo studio et contentione agitare ('die Unternehmung, die er gegen den Feind gerichtet hatte'). Tametsi ei qui *quo* scribundum existumet, ne nunc quidem vehementer repugnabo. Postea cur *et* — *certior factus est*, id quod in plerisque et optumis libris est, ferri non queat, prorsus non intellego. Denique eorundem optumorum codicum — quatenus id de recentioribus libris dici licet, — haec est scriptura: *eosque et Sullam* (de *que* — *et* cfr. Iug. 26, 1. 55, 1. 76, 6. 89, 7. Fabri ad Liv. XXI 30, 2) *ad Uticam venire iubet*, *item L. Bellienum praetorem*, *praeterea omnis undique senatorii ordinis*, *quibuscum mandata Bocchi cognoscit*. *Utica* quod in nonnullis libris post *praetorem* legitur, glossema esse, ex discrepantia quae inter eos ipsos est satis adparet. Set quod pro *ad Uticam* legitur *ab Tucca* plerisque et mihi ipsi olim quod reciperetur dignum visum est, eoque magis, quod sic facillume intellegi posset, quo modo inde *ab Utica*, quod in plerisque legitur, factum esset. At primum mirum profecto est, si Sallustius, qui ipse pro praetore Africam obtinuerit, cum tres atque adeo quattuor essent loci nomine Tuccae (vid. Cless Interpr. Germ. p. 186), ergo errare lectorem non modo facile set necessarium esset, quem locum diceret, adcuratius ostendere noluerit. Tum num incredibile est Marium hiberna ad Uticam habuisse? Clamabunt certe, ex 102, 1 adparere eum Cirtae sedem conlocasse. Audio: set nihil aliud ibi Sallustius dicit nisi eum, cum exercitum in hiberna ducere vellet, primum

Cirtam petisse, oppidum firmissume munitum. Atque idem postea 103, 1 narrat tum exercitum in hibernaculis conpositum esse, qui 100, 1 Marium in oppidis maritumis hiberna agere decrevisse tradidit. Num igitur Cirta oppidum maritumum fuit? Quamquam Sallustius supra 21, 2 *haut longe a mari prope Cirtam oppidum* scripsit, tamen non vereor, ne quis eum qui locus ab mari quadraginta milibus abesset (Strabo 832 Cas. p. 1160 Mein. ἐν μεσογαίᾳ, Pomp. Mel. I 6. de b. Afr. 25, Liv. XXX 12. Cfr. Cless l. c. p. 122) in oppidis maritumis habuisse arguat. Set Utica in provincia romana sita erat. Num inauditum est exercitum in provincia proxuma pacata hiemem transegisse? Et nonne Mari, cum exercitus reficiundus et multa bello utilia paranda essent, plurimi interfuit, ut in vicinia portus oportunissumi et frequentissumi esset. Quod si quis dixerit, qui pro praetore provinciam obtineret, Uticae sedem habuisse itaque ab Mario L. Bellienum ad Uticam vocatum esse veri dissimile esse, nonne qui provinciae praeerat, ei conventus agundi multaque itinera faciunda erant, ut rectius eum nullo in oppido sedem fixam habuisse contendi possit? Postremo *ad* praepositio quo modo dicta sit, non est, quod exponam. Ceterum quod ante *legatis* §. 2 legitur *in quibus* vel *in quis* turpe dehonestamentum orationis esse, ut gaudeamus quod tres libri eo careant, quemvis intellegere arbitror.

Iug. 105, 2 *peditum* glossema esse tam manufestum est, ut iure mireris ab admodum paucis eiectum esse. Nam nonne cohors Paeligna peditum fuit? Set illud dubium est, utrum cum Linkero *atque*, an *item*, quorum alterum utrum ferri nequit, eiciundum sit. Ad rem parum interest, set ego quoniam in permultis libris *item* omissum est nec mirum si librarii, coniungenda vocabula arbitrati, *item*, quod Sallustio consuetum esse tenerent, addiderint, pressius librorum vestigia secutus mihi videor. Paulo post verba *quod ea levia sunt*, quamquam aliunde cognitum non habemus levia fuisse illorum populorum tela, neque quae multis proeliis evenere id confirmant, tamen removenda non censuissem, nisi quae in libris manu scriptis sunt discrepantiae et maxume quod in p^2 praefixum est *causa*, suspicionem non movissent, set confirmassent.

Iug. 106, 3 Linkerus praeter *dicitque*, de quo supra p. 63 disserui, etiam *pavens* uncis inclusit. Libri nullam caussam suspicionis praebent; nam nihili est, quod solus M^2 *incerto pavens vultu* exhibet. Num igitur sententia ut eiciatur postulat? Minume. Nam *pavere* cum de metu tanto dicatur, qui pallorem et tremorem efficiat (Döderl. Syn. II

p. 203), gradationem quandam adhibitam esse ab Sallustio recte Kritzius monuit. Minus aegre verbis *incerto voltu* careri posset; nam is incerti consili, non terroris atque formidinis est. — Paulo post §. 4 ex libris restitui *ignisque quam creberrumos fieri.* Duo enim fieri iussit Sulla, ut milites coena sumpta ex castris ne discederent, utque, quo hostibus numerus vero amplior videretur, ignes quam plurumi incenderentur et alerentur. — Set 5 ut *eos* omittatur non tantum valet unius l testimonium, eoque minus, quod credibile est glossatorem non insolentius *eos* set quod ratio poscere videretur *se* restituturum fuisse. Tum coniuncta Mauros et Romanos castra habuisse veri simile non est, et *ante se* utique ambigui aliquid haberet. Ceterum cfr. quae olim ad Iug. 96, 2 p. 545 contuli, quibus add. Müller Philol. IX p. 597.

Iug. 108, 1 haec leguntur: *praeterea Dabar, Massugradae filius, ex gente Masinissae, ceterum materno genere inpar, nam pater eius ex concubina ortus erat.* Numquam neque de Dabare neque de patre eius Massugrada quidquam conpertum habemus — Appianus p. 224 Bekk. Magdalsen, Bocchi amicum, ei negotio interfuisse memorat — tamen non dubium est, quin Massugrada unus fuerit ex Masinissae spuriis filiis, quos multos ab eo susceptos esse App. p. 228 memoriae prodidit (cfr. Cless l. c. p. 99). Ita si res fuit, Dabar vere non materno genere inpar fuit, set ab avia paterna; minus ergo diligenter Sallustium scripsisse adparet. At plerique libri exhibent *mater — orta erat,* id quod recte dici secundum omnia quae cognita habemus veri simile non est. Et variant libri inter *natu* et *orta.* Num igitur credibile videtur, librarios quae scripta invenissent, ut cum *materno genere inpar* convenirent, arbitrio suo mutasse? Mihi ea discrepantia satis argumenti videtur, ut librarios variis modis rem explicare voluisse existumemus; doctiores patrem ex concubina natum fuisse adscripsisse, indoctos de matre autumasse. Quae autem res fuerit, utique in incerto relinquendum est. Quid enim obstat, quo minus Massugradam filium Gulussae vel Mastanabalis ante patrem mortuum fuisse eique ex concubina Dabarem genitum statuamus? Cum Masinissa senex nonagenarius mortem obierit (App. l. c.), filium eius quinquaginta annorum aetate ante eum decessisse, eoque genitum filium Massugradam rursus ante avum relicto ex concubina filio Dabare occubuisse minume ab omni specie veri abhorret.

Iug. 109, 3: *tum rex, uti praeceptum fuerat post diem decumum redire iubet; ac nihil etiamtum decrevisse, set illo die responsurum.* Linkero, qui *ac* delendum censuit, hoc concedundum est, ubi

oratio obliqua ab verbo ex praegresso cogitando pendeat, particulam copulativam non addi. Neque ratio, cur Sall. ab eo constanti usu h. l. discedere voluerit, ulla idonea reperitur. Librorum denique in hac parte exigua fides est.

In oratione Bocchi c. 110 *pretium* glossema esse, quamquam adeo optumos libros veluti 𝔅 inquinavit, ex varietate scripturae non minus, quam ex sententiae obscuritate — nam quam Bojesenus auctore Madvigio iniit explicandi rationem: 'fuerit hoc ipsum, quod aliquando ope indigui, pretium, quo amicitiam tuam emerim, qua carius nihil habeo', contorti aliquid habere vix quemquam negaturum esse credo — certum est (vid. praeterea quae infra de loco Iug. 3, 1 disputabuntur). Infra 3 cum $P^3Bg^3\gamma$ *tibi* omittant, s^2 post *redditam* habeat, cumque in aperto sit cur librarii id adiciundum putaverint, glossema id esse iudico, atque adeo videtur mihi illo deleto vis quaedam maior in sententia inesse. Tum 6 volgo edebatur *bellum ego populo Romano neque feci neque factum umquam volui; finis meos advorsum armatos armis tutatus sum.* Ibi 𝔅 *adfinis meos* exhibet, quod probavit Linkerus. Set sive de finitumis adcolis regni Mauretaniae, sive de necessitudine quadam coniunctis id vocabulum intelleges, ea sententia cum praecedente non congruit. Nam qui ipse nulla iniuria lacessitus vel finitumis vel necessariis suis auxilium fert, bellum ei, advorsum quem illos tutatur, facit. Nihil aliud Bocchus, ut bellum ab se advorsus Romanos susceptum excuset, dicere potest, nisi quod iam 102, 12 conmemoratum est, se finis suos contra Mari incursiones defendisse. Atque id praecedentibus cum gravitate quadam obponundum fuit, quoniam sese armis cum Romanis pugnasse negare neque volebat neque poterat. Ergo *at finis*, quod libri, qui secundum 𝔅 optumi sunt, exhibent recte dictum esse adparet, et cum ad illos 𝔅 adcedere videatur — facili enim errore *ad* pro *at* scriptum esse manufestum est — quod relicui omittunt non tanti faciundum est, praesertim cum librarios asyndetorum restituendorum non minus studiosos, quam particularum adiciundarum fuisse constet. Postremo si 7 *id* cum libris, quamvis non optumis, tamen satis multis omittatur, eadem de h. l. valebunt, quae supra p. 76 de 14, 5 monita sunt.

Iug. 112, 2 non video cur *proficiscitur*, quod plerique libri tuentur, ei, quod minus testatum est, *venit* posthabeatur. Set id levius est; gravius mendum admissum esse videtur infra 3, ubi vetustissumi et optumi libri exhibent *ibique sibi Sullam traderet; cum talem virum in potestatem habuisset tum fore uti iussu senatus aut populi foedus*

fieret. *Romani* quod permulti recentiores libri post *populi* scriptum exhibent, eo vocabulo facile caremus, cum ex omni loco quibuscum pax aut foedus faciundum sit eluceat. Set *senatus aut populi* nullo modo ferri potest, quibus verbis hoc diceretur: Iugurtham sperasse si Sullam captum haberet, fore ut ab senatu si non a populo, ab hoc si minus ab illo foedus inpetraret. Nam quamquam interdum factum est, ut populus contra senatus auctoritatem bellum fieri iuberet, nullum tamen extat exemplum, quo populum sine patrum auctoritate pacem decrevisse doceatur, atque adeo si id factum esset, tamen senatus aut tacitus aut consulto facto auctor fiebat. Quid igitur? num *atque*, pro quo interdum *aut* errore scriptum est quodque hoc loco pauci libri praebent, adprobabimus? Cui non illud quidem opponendum videtur, quod Sallustius nusquam in ea formula particula *atque* usus est (*et* Iug. 104, 4. 111, 1 et 9, 2, ubi nonnulli veteres codices *que* praebent; *que* Iug. 21, 4 ubi pauci codd. *que* omittunt, pauci pro eo *et* exhibent. Cat. 34, 1 *senatum populi romani*, — quae formula adeo inscriptionibus testata est, cfr. Cenot. Pis. ap. Or. nr. 642 — scribendum esse cum librorum conmendatio ostendit, tum rerum ratio, in quibus populo nullus locus datur), quoniam nihil obstat, quo minus Sallustium hanc ob caussam ab consuetudine discessisse statuamus, quod exprimere vellet, praeter senatum etiam ab populo foedus ratum habitum iri. Set gravioris momenti est, quod *iussu senatus* dici non licet ac nullo prorsus modo ubi *populus* adiunctus est, quoniam *iubere* et *iussu* tum sollemnia sunt de eis quae ab senatu aut ab magistratibus promulgata populus suffragiis suis rata habet (cfr. Iug. 40, 3. 73, 7. 84, 1. 85, 11. Cat. 29, 3). Ad quae adcedit, quod ubicumque *aut*, *vel*, similia in libris alieno loco inveniuntur, suspicio est vel variae lectionis vel explicationis in textum receptae. Iam *iussu* munitissumum est, *senatus* cum eo non convenit, ergo videndum, num *iussu populi* eiectis *senatus aut* vel *atque* recte dicatur. Cum igitur tum demum firmum foedus fuerit, si ad senatus auctoritatem populi scitum adcessisset, advorsum populi voluntatem vero senatus nihil valuerit, cumque Iugurtha certe conpertum habuerit saepe foedus ab senatu datum populi iussu subvorsum esse, vituperandusne est Sallustius, si regem Numidiae, cum de foedere non frustra pangendo ageretur, solum hoc conmemorantem fecerit: si talem virum in potestate habuisset, fore ut populi iussu foedus fieret?

Iug. 113, 2 Linkerus tacite in verbis *illi pariter laeti ac spei bonae pleni esse* particulam *ac* delevit. At omnes libri boni eam

tuentur neque insolens eius usus est, ubi praegresso quo illud explicetur adiungitur (vid. Cat. 2, 9. 3, 5. Iug. 14, 15. 107, 2. Madv. ad Cic. de fin. I 10, 34 p. 75). Multo rectius suspectum habebitur *bonae*, quod in cod. vetustissumo P superscriptum, in P[4]m[1]t ante *spei* conlocatum est. Aegre id vix quisquam desiderabit, neque a specie veri abhorret librarios vim vocabuli *spei* augendam arbitratos esse. Set tamen haec non tanti sunt, ut adiectivum eiciundum videatur, non magis quam Iug. 42, 2. — Paulo post 3 *ceteris*, quamquam in vetustissumis tantum non omnibus legitur, suspectum esse non nego, fortasse tamen ita defendere poterimus, ut Sall. primum *amicorum* notionem, deinde omnium qui adessent, i. e. ceterorum, remotionem urguere voluisse statuamus. Set multo gravioribus dubitationibus obnoxia sunt, quae sequuntur: *dicitur secum ipse multum* [1]) *agitavisse*, *voltu corporis pariter atque animo varius.* Sic plerique atque optumi libri; at *voltu corporis* dici nequit, et ratio explicandi, quam ab Kritzio propositam olim ipse probavi — genetivum nullam aliam ob caussam adiunctum esse, nisi ut genus, cuius esset voltus, maiore gravitate animo obponeretur; cfr. Naegelsb. Theor. d. lat. St. p. 274 sq. — ea in philosophica disputatione potius quam in simplici narratione locum habet. Set iam antiquis temporibus aliam huius loci fuisse scripturam intellegitur inde, quod Serv. ad Verg. A. VII 251 ex hoc loco adfert *voltu et oculis*, quae eadem verba, quamquam Sall. nominatus non est, leguntur apud Hieronymum Comm. in Ezech. lib. III T. V p. 85 ed. Vall. Et cum recentiores libri praebeant *vultu colore motu corporis*, nonne apertum est glossis hunc locum inquinatum esse? Quid igitur statuendum videtur? Utrum glossatorem philosophico quodam pruritu ad *voltu* adscripsisse *corporis*, an Sallustium scripsisse *corpore*, quod cum ex glossis *voltu* inlatum esset, non potuit non in genetivum commutari? Quod si reputaveris tecum, constare iam antiquis temporibus glossas in hunc locum inlatas fuisse, *animo* nihil melius potuisse obponi quam *corpore*, at nihil eo ipso magis inlustrandi librariis ansam praebuisse, postremo quam diligens scriptor in membris exaequandis fuerit, profecto me non audacius ac temere, set iustis de caussis scri-

1) Hanc optumorum librorum scripturam ei, quod ceteri praebent, *multa* praeferundam existumavi. Etenim quid agitaverit Bocchus certum est; nulla alia optio ei iam data fuit nisi utrum Sullam Iugurthae an Iugurtham Sullae traderet; haec, non multa, agitavit; at recte dicitur *multum*, in quo inest aut rei saepius factae aut maioris modi significatio (cfr. Cat. 27, 4. 60, 4. Iug. 1, 5. 19, 1. 94, 3. 108, 1).

pluram volgo receptam inmutavisse intelleges. Nec magis vereor ne in temeritatis crimen incurram, quod quae sequuntur *quae scilicet tacente ipso occulta pectoris patefecisse* solus in dubitationem vocaverim. Nam primum *quae* minus recte ad praecedentia refertur, et quod olim contendi, pluralem non ad voltus tantum varietates, set etiam ad amicorum adhibitiones atque remotiones spectare, id eo quod verba *tacente ipso* adiuncta sunt, prorsus refutatur. Set largiamur Sallustium, quoniam in *corpore varius* insit notio pluralis, varios gestus atque habitus corporis ostendens, *quae* recte dixisse, largiamur *scilicet* recte apud elegantem scriptorem cum acc. et inf. coniunctum esse, quamquam exemplum eius constructionis Iug. 102, 9 iam optumorum librorum auctoritate ac fide remotum et Fr. I 47, 5 eo nomine ab h. l. divorsum est, quod ibi membrum est non pendens set liberum: nonne quae est in libris discrepantia, ac maxume interpositum in optumis *ita* suspicionem movent? Scilicet duplicem adparet fuisse scripturam: *quae scilicet tacente — patefecisse* et *scilicet ita tacente — patefecisse:* quae discrepantia nonne glossema haec verba fuisse arguit? Denique num eius, qui ingeniosis et eruditis hominibus scribat, est, ut quae lectores ipsi intellecturi sint, ea fuse ac copiose doceat?

Iug. 114, 2 *illique* ferri non posse, nisi qui contorta Sallustio quam plana tribuere malit, nemo non concedet. Kritzius *ibique*, Linkerus *scilicet* scripsit, quae propterea probari non possunt, quoniam vitium orationis remanet, *inde* non praegresso *iam* dictum (vid. Klotz ad Sintenis p. 105 et 152). Rationem emendandi ostendit, quod in libro ceterum non optumae notae scriptum est *illincque*. Scilicet scripserat Sall. *illimque*, de qua forma vid. Ritschl Mus. Rhen. VIII 472; Lachm. ad Lucr. II 169. III 880; Corssen Zeitschr. f. d. vergl. Sprachw. V 120 sq. Id per *inde* explicatum et cum lineola super i adpicta, qua *m* notare solebant librarii, deleta esset, factum esse *illique et inde usque ad*, profecto mirum non est. — In ipsa clausula belli Iugurthini non dubitavi ex P^1 recipere *et ea tempestate*, quod aliorum librorum scriptura *ex ea* confirmare videbatur. Constat autem *et* particula adiungi id, quod ad relicua confirmanda pertineat ('und in der That, und wirklich'); cfr. Naegelsb. l. c. p. 538. Quod si quis obposuerit, tum *et* plerumque verbum sequi, id hoc loco propterea non factum esse manufestum est, quod *ea tempestate* ecferundum erat.

Cap. V.

De emendationibus.

Nihil dicam de eis locis, in quibus vel codicum scripturam veram vel rectam emendandi rationem ab aliis ostentam esse ab omnibus viris doctis intellectum est, velut de Cat. 1, 7, ubi nemo nunc Palmerii *veget* amplexus tenet; de eis tantum disputabo, de quibus vehementius etiamnum dubitatur vel aliam quam relicui viam sequendam puto.

Nobilissuma sententia est Cat. 2, 9 *verum enimvero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.* Ablativum *aliquo negotio* non posse cum *intentus* coniungi, nisi ut hoc absolute dictum esset et ablativo res qua ut aliquis intentus esset efficeretur exprimeretur, omnes censuere (cfr. Roth. ad Tac. Agric. 12 p. 161. Peter ad Cic. Or. 2, 5 p. 98). Recte id dicitur de ea re, qua animus tenetur, velut Iug. 44, 3 *Metellus — expectatione eventus civium animos intentos putabat*, h. l. aptum non est, quoniam ea res est fama praeclari facinoris aut artis bonae, non aliquod negotium. Neque metaphora ab arcu sumpta h. l. convenit, quia cum arcum intentum tenemus, data copia scopum tangere parati sumus, h. l. autem *intentus* non adparatum, set modum ac rationem quaerendi significare manufestum est. Quae cum intellexissent, alii *aliquo* ex *aliquoi* conruptum esse statuerunt, quorum sententiam conprobavit Gerlachius ed. noviss. p. XVI. At Arusianus p. 243 L. iam ab veteribus ablativum lectum esse testatur et *alicui negotio* non modo superfluum est, set adeo sententiam obscuram facit. Quid igitur? Ablativus coniungendus est cum *quaerit.* Ut *nullo negotio* (Cic. ad Att. X 16, 3: *Siciliam tenere nullo negotio potuit)*, *magno negotio* (Cels. VII 5: *tela, quae — haeserunt, magno negotio saepe eiciuntur)*, *tanto negotio* (Cic. ad fam. II 10, 3: *oppugnabam oppidum — tantis opibus tanto negotio)*, sic *aliquo negotio* dicitur pro: non sine aliquo labore. Neque supervacaneum est, quod sequitur *intentus* (absolute dictum; vid. Ind. s. v.), quia *aliquo negotio* ad industriam, virium contentionem, *intentus* ad animi curam et diligentiam pertinere adparet. Ad sententiam autem aptissumum est. Quae enim fama cum consequetur, qui sine labore ac cura laudem quaerat? Ac talem scriptoris sententiam

fuisse inde elucet, quod statim quam arduum sit res gestas scribere, quantum laboris et intentionis id requirat, exponere incipit.

Multis dubitationibus obnoxium est Cat. c. 3 extremum. Ac de ultimis quidem verbis supra p. 15 disputatum est, set non nihil difficultatis est etiam in eis, quae praecedunt. Primum enim quaeritur quo modo verba *tamen inter tanta vitia inbecilla aetas ambitione conrupta tenebatur* intellegunda sint. Quae plerique sic videntur accepisse, ut *conrupta* pro nominativo singularis haberent et *inter tanta vitia* instar esse enuntiati secundarii: quamvis tanta vitia essent, putarent, ut ergo sententia esset: tamen cum vitia tanta essent, aetas inbecilla ambitione conrupta erat eaque capta tenebatur. Set quid aliud scriptor agit, nisi ut quo modo factum sit ut in malam famam incurrerit, ostendat? Quod cum agat, quid aliud facere potest, quam ut se excuset quod non prius aetatem a re publica procul habuerit, cum tam multa ei advorsa fuissent, tanta vitia in re publica vigere intellexisset? Nonne igitur apertum est *inter tanta vitia* artissume cum *tenebatur* coniungenda esse, eodem modo quo dicitur *intra claustra teneri*, *Corcyrae teneor*, *exercitum in stativis tenere?* *Inter tanta vitia* autem dictum esse pro: in re publica tantis vitiis inquinata ac polluta, non magis mirum est, quam quod *aetas (mea) inbecilla* dictum est pro: ego iuvenis inbecillus (Naegelsb. Theor. p. 46). Iam non minus apertum *ambitionem* esse id, quod eum tenuerit, et *conrupta* si pro nominativo habeatur, *aetatem* tentam esse dici quod ambitione conrupta fuerit. Quod quale est? An translate dictum pro: in pravum abstracta ('bestochen, verführt'). At id dici non oportuit, quoniam per se intellegitur, qui ambitione inter tanta vitia teneatur, ea obcaecatum esse, et ambigue dictum est, quia qui ambitione conruptus est, male agere semper putatur. Quid vero obstat quo minus *conrupta* pro ablativo habeamus, ut ipsa ambitio conrupta dicatur? *Conruptus* fere pro adiectivo ab Sallustio habitum esse ostendit, quod Fr. I 47, 7 *homines conruptissumi* scripsit (Naegelsb. l. c. p. 190), aptum autem esse ad eius sententiam, quod infra 4, 2 *ambitio mala* dixit; denique non verendum fuit, ne ambigua videretur oratio, quoniam apud Romanas id aetatis locutiones *misera* (Cic. off. I 25, 87), *prava*, *pervorsa ambitio* pervolgatae erant. Dixerit iam quispiam, his confirmari, quae olim ad defendendum *cum ab reliquis malis moribus dissentirem* protuli, non potuisse Sall. *ab reliquorum* scribere, quoniam ab uno certe vitio, ambitione, non liber fuisset. Quae acutius quam verius disputata sunt. Nam ambitionem in vitiis habet Sallustius, quamquam 11, 1 id vitium

propius virtutem esse dicit, nec vero in malis moribus, tum *conrupta* non tam inhonesta, quam prava ac pervorsa ambitio est; denique *relicuorum* necessario postulat, quod sequitur *quae ceteros*. Qua re non est, quod optumorum codicum scripturam reiciamus.

Cat. 6, 2 volgo edebatur: *Hi* (Troiani et Aborigines) *postquam in una moenia convenere, dispari genere, dissimili lingua; alius alio more viventes, incredibile memoratu est quam facile coaluerint*, ego ut libros pauciores secutus *alii alio more viventes* scriberem hac caussa adductus sum, quod apertum est non de multis hominibus, inter quos summa sit morum divorsitas ac varietas, dici, set de duabus gentibus, inter quas morum fuit divorsitas, quem ad modum generis et linguae. *Alius* autem cum saepe de altero dicatur (Caes. B. G. I 1, 1. Cic. acc. IV 12, 29), nec minus saepe *alius alium* simil. de duobus, ubi divorsitatis notio premenda est, velut ap. ipsum Sall. Cat. 54, 1: *his* (Caesari et Catoni) — *fuere, magnitudo animi par, item gloria, set alia alii* (cfr. Liv. I 21, 6 et 25, 5 ibiq. Weissenborn) —, cur pluralis *alii* pro *alteri* dici non possit, non perspicio. Nec vero dubito quin, quae est in multis vel caeca codicum admiratio, vel obloquendi studium, exstituri sint, qui *alius alio* ita defendere conentur, ut Sallustium his homines utriusque gentis inter se conmixtos, quorum vicinus alium quam vicinus morem secutus sit, quasi depingere dicant, quibus ut contorta simplicibus, inepta aptis, recte cogitatis argute conmenta praeferant permitto.

Cat. 8, 4 postquam expositum est Atheniensium res gestas propterea pro maxumis celebrari, quod ibi scriptorum praeclara ingenia provenissent, haec sequuntur: *Ita eorum qui ea fecere virtus tanta habetur, quantum ea verbis potuere extollere preclara ingenia*, in quibus verbis libri plerique et optumi consentiunt. Set quaeso nonne miraris tautologiam? Ad quid enim *eorum* — *ea* — *ea* referri possunt, nisi ad Atheniensis eorumque facta? Quid vero refert, eorum quorum facta quo maxumis celebrari dicta sint, virtutem tantam haberi dici, quantum scriptores extollere potuerint? quid necesse id ex praecedentibus conligi (cfr. 2, 8. 7, 6)? Scilicet Atheniensium rerum gestarum gloria eam ob caussam conmemoratur, ut exemplo confirmetur id quod positum est: fortunam res cunctas ex lubidine magis quam ex vero celebrare atque obscurare. Hoc singulare exemplum iam ad omnes transferri particula *ita* luce clarius ostendit. Qua re *eorum* non ad Atheniensis spectat, set sequente membro relativo definitur. Quod si ita est, *ea* delendum et *fecere*

absolute dictum esse ut 3, 1 *qui fecere* et infra *facere quam dicere*, adparet, nec minus alterum *ea* mutandum esse in *eam*. Ceterum moneo, ne quis quod p^3s^1l prius *ea* omittunt, *eam* Fg^6 exhibent, his libris plus fidei quam relicuis tribuendum censeat; etenim coniectura saepe librarii verum invenere.

Cat. 10, 2 plerique libri exhibent: *qui labores pericula, dubias atque asperas res facile toleraverant, eis otium divitiae, optandae aliis, oneri miseriaeque fuere.* Ibi primum restituendum fuit *optanda*, cum ad ea argumenta, quae protulit Sellingius emm. Sall. p. 12, adcessisset codicis P fides; alterum quod idem v. d. postulavit *divitiaeque*, probare non potui, cum locus 36, 4 minumē hoc loco idem genus coniunctionis adhibendum fuisse evincere videretur. Tum *alias*, quod olim Kritzius coniecerat ac sese probaturum si scriptum esset in libris Wex progr. Suerini ed. 1833 p. 9 dixerat, ex codd. P et P[1], quibus adcedebat 𝔖 m. II, recepi. Sententiam ita multo aptiorem esse facile adparet, cum non Romani ab relicuis mortalibus separentur, set eis quoque otium atque divitiae optanda fuisse dicantur, si ferre potuissent, i. e. *alias*.

Cat. 11, 8 cum *ne* in vetustissumis et optumis libris scriptum sit, et quae in nonnullis aliis inventae sunt scripturae librarios vel pro eo *nedum* ponendum fuisse vel *ne* per hoc explicandum putavisse ostendant, tollendus est error, qui nostrorum grammaticorum libros et lexica occupavit, *nedum* testimoniis magis munitum esse, et hic locus addendus exemplis per viros doctos conlectis, Plaut. Amphitr. 330. Cic. acc. IV 23, 52. ad fam. IX 26, 2. Liv. III 52, 9. Set coniunctivus inperfecti *temperarent* mea quidem sententia ferri non potest. Neque enim de re, quae cum altera in idem tempus inciderit, neque de repetita vel saepius facta dicitur, set de eo quod ab militibus Sullanis, cum in Asia omnibus luxuriae et lubidinis generibus adsueti essent, perpetratum est; nihil aliud hoc membro continetur, nisi alio modo expressum, quod supra dictum est *nihil relicui victis fecere.* Quem ad modum ergo si illa verba ipsa repeterentur, *ne illi quidquam victis relicui fecerint* dicendum fuisse omnes concedent, sic facilluma mutatione scribendum existumavi *temperarint.* Ceterum qui quam saepe *e* et *i* in libris confusa sint teneat, nec quam diligentes veteres scriptores in legibus linguae observandis fuerint, aut ex librariorum levitate aut ex sua lubidine existumandum putet, merito me Cat. 34, 1 *respondet* cum Nipperdeio et Linkero scripsisse iudicabit, nec minus Cat. 41, 5 *praecipit.*

Multum virorum doctorum ingenia exercuere quae Cat. 13, 1 leguntur: *a privatis conpluribus subvorsos montis, maria constructa esse. Constructa* recte dici de aedificiis super mare constructis ego olim defendi adsensumque tuli Kritzii. Set optumorum librorum scriptura est *constrata*, quam quamquam defendit Sellingius cm. p. 13, tamen propterea probare non possum, quod *consternere* ubique dicitur de rebus singulis dissipandis, quibus aliquid obtegitur, id quod in eos locos ipsos cadit, quibus Sellingius ad confirmandam sententiam suam usus est, Caes. B. G. VIII 14, 4 *pontibus palude constrata.* Liv. XXXV 49, 6 *consternit maria classibus suis.* Curt. IX 6, 7. 8, 5 [1], ergo recte diceretur de aedificiis multis super mare exstructis, minus recte de molibus in eo aedificatis. At utrique hoc obstat, quod neque consternendo mare ipsum inmutatur, obpositum autem *subvorsos montis* necessario postulat, ut quod ipsum mare quasi patiatur, quo natura eius conmutetur, adiungatur. Cui prorsus satis facit id, quod in paucissumis libris inventum est quoque ducit Com. *contra*, *contracta.* Quod adeo coniectura restituendum censerem, quoniam quonam modo divorsitas scripturae *constrata* et *constructa* nata sit, vix commode explicari potest, nisi ab Sallustio verbum utrique simile scriptum fuisse statuerimus, set multo magis conmotus loco Horati Carm. III 1, 33 *contracta pisces aequora sentiunt iactis in altum molibus* [2]. Horati enim animo multis locis, ubi de moribus conruptis atque luxuria canit, Sallusti dicta obvorsata esse certum est [3]. Quod idem valet de loco Cat. 20, 11, quem ex 13, 1 repetitum esse nemo umquam negavit. Quo loco ad inlustranda Horati verba Carm. II 18, 20 *marisque Bais obstrepentis urgues submovere littora parum locuples continente ripa* num uti potuit Acro, nisi legisset id, quod J. F. Gronovius pro *extruendo*, quo verbo quo minus Sallustium usum esse credamus ipsius notio atque usus obstant, scribendum esse coniecit *extrudendo* (cfr. Caes. B. G. III 12, 3 *extruso mari aggere*)? Et num Porphyr. ad eundem locum Horati verba Sall. 13, 1 conmemorare potuit, nisi *contracta* scriptum invenisset?

1) Nec moveor quod Ambros. hex. V 10 *deficit terra hominibus, sternuntur et maria* scripsit.

2) Ne quis temere me Horatium nominasse iudicet, quoniam Peerlkampius et Meinekius eas duas strophas spurias censuere, defendi eas posse ostendit Herbstius Lectt. Venus. (Gedani 1858) p. 19.

3) Ut uno exemplo defungar, quam saepe Horatius ambitionem, quam Sall. Cat. 4, 2 *malam* adpellavit, notat. Cfr. Sat. I 4, 26. 6, 51. 129. II 6, 18.

Cat. 14, 5 cum Gerlachio scripsi *molles aetate et fluxi* pro eo, quod volgatum est *molles et aetate fluxi.* Illud enim et optumi libri suadebant et sententia. Nam inconstantia consiliorum num aetatis iuvenilis vitium est, mollities non est? Ut igitur *aetate* ad utrumque referretur, optumorum librorum auctoritati parendum fuit. Cfr. Krüg. gr. lat. §. 648 2 b p. 937.

Cat. 15, 2 cum optumis libris nunc scripsi *privignum adultum aetate*, quod in *adulta aetate* mutare librariis proclive erat. Etenim illud tuetur locus Suet. Aug. c. 69, ubi omnes libri *qui matres familias et adultas aetate virgines denudarent.* Nec temere *aetate* supervacaneum putandum est, cum significet, quo argumento aliquis adultus habeatur ('der nach seinem Alter für erwachsen angesehen werden musz').

Cat. 19, 3 [1]) haec in plerisque et optumis libris leguntur: *Set is Piso in provincia ab equitibus Hispanis, quos in exercitu ductabat, iter faciens occisus est. Ductare*, quod Sallusti proprium esse Quint. VIII 3, 44 monuit, cum proprie sit huc illuc ducere (Iug. 38, 1 *quasi vitabundus per saltuosa loca et tramites exercitum ductare)*, tum de ducibus dictum est, qui exercitui in bello aut in expeditionibus, quae varias in regiones fiunt, praesunt (cfr. Cat. 11, 5. 17, 7. Iug. 70, 2). Quid autem illud est, quod Piso Hispanos equites in exercitu ductasse dicitur? In exercitu habuisse recte diceretur, in exercitu ductare potest vel is, qui ei parti exercitus praeest, vel qui partem militum una cum exercitu ducit, ab exercitu non dimittit, set una cum relicuis iter facere cogit, quorum neutrum in Pisonem cadit. Et profecto miramur, quo tandem modo fieri potuerit, ut equites Hispani Pisonem adgrederentur, si eos in exercitu secum habuisset. Quod si quis dixerit Sall. nihil aliud dicere voluisse nisi equites Hispanos in exercitu Pisonis militavisse, id prorsus supervacaneum fuit. Senserunt eam difficultatem librariorum ei, qui *in exercitum* conrexerunt, ut Piso illos equites fortasse ab sociis coactos ad exercitum ipse duxisse diceretur, id quod non minus ab veri specie abhorret, quam *in exercitu.* Expectamus equites oportunitate data usos dici; quae autem melior obtingere potuit, quam cum soli in itinere Pisonem comitarentur? Ergo quod iam antea conieceram, *sine exercitu* scribere eo minus dubitavi, cum codicis m auctoritas adcessisset.

Cat. 20, 15 recte Linkerum ex 𝔅 recepisse *hortantur* pro *hor-*

1) Paulo ante *et iam tum* advorsus Sellingium em. p. 14 defendere supersedere posse mihi videor.

tentur cum gravitas, quae ita sententiae additur, ostendit, tum quod Vaticani fides per marginem cod. P confirmata est. Atque cum eodem in sequentibus *utemini* scribere eo minus dubitavi, cum rursus cum 𝔙 conplures optumi libri consentirent, et veri similius videretur futurum in inperativum, quippe qui pro conditione positus magis in usu esset, mutatum quam ex hoc illud factum esse. De forma membri cfr. Madv. gr. lat. §. 348 an. 5. Simile huic loco est Cic. Ac. II 36: *age restitero Peripateticis, sustinuero Epicureos: Diodoto quid faciam Stoico,* set futurum simplex ponendum fuit, quoniam de re continuanda dicitur.

Etiam optumos libros emendationi locum relinquere cum alii loci ostendunt, tum Cat. 23, 4, ubi pervorse *insolentia Curi caussa cognita* in plerisque scriptum est.

Cum conventum coniuratorum, de quo Sall. Cat. 27, 4 narrat, in domo M. Porci Laecae factum esse ex Cic. in Cat. I 4, 8. pr. Sull. 18, 42. Cass. Dione l. supra p. 40 conlato constet, mirum profecto est, quod apud illum scriptum est *coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam*, ut aut nescierit quo Catilina socios convocasset, aut lectoribus permiserit, ut ex *per M. Porcium Laecam* acute intellegerent in domum eius convocatos esse, quorum neutrum eo dignum est. Recepi ergo cum Linkero Palmerii coniecturam *penes* [1]), neque deterritus sum eo, quod *penes* alias semper significat in cuius domo vel potestate aliquid sit, cum *apud* similiter pro *ad* dictum esse ab Lucilio Nonius testetur p. 357 ed. Roth.

Cat. 28, 4 ex optumis libris scribundum existumavi *nonnullos ex Sullanis coloniis.* Ubi *nonnulli* cum *ex* partitivo coniunctum sit, nullum alium locum novi, et cum illud adiectivum non tam partem, quam multitudinem quamdam significet, minus recte eam praepositionem adsciscit, nisi de exemptione et delectu dicatur. Cum genetivo coniunctum est ap. Sueton. Caes. 20. Aug. 59. Sallustius alias ut omnes elegantiores scriptores cum nominativo coniunxit; cfr. Cat. 49, 4. 58, 13. Set recte dicitur *ex coloniis*, ut 17, 4: *ad hoc multi ex coloniis et municipiis, domi nobiles.*

Nollem Cat. 29, 1 librorum omnium scripturam olim defendissem *exagitatam.* Recte iam Cortius emendaverat *exagitatum.* Vid. Selling. p. 19.

Multum disputatum est de loco Cat. 31, 5, ubi Kritzius ita

1) *per* pro *penes* in nonnullis libris scriptum est lib. ad Herenn. IV 5, 7 p. 129, 13 ed. Kays.

scripsit: *Postremo dissimulandi caussa et ut sui expurgandi, sicuti iurgio lacessitus foret, in senatum venit*, Fabrio adsentiens et reiectis eis, quae Nov. Ann. XLVI p. 385 monui. De qua re ut recte iudicari possit, primum ordiundum est ab vocabulo *iurgii*. *Iurgium* igitur Nonius inquit p. 292 ed. R. *et lis hanc habent distantiam: iurgium levior res est siquidem inter benivolos aut propinquos dissensio vel concertatio iurgium dicitur; inter inimicos dissensio lis appellatur. M. Tullius de Rep. lib.* IIII: *admiror nec rerum solum set verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit: benivolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Et in sequenti: iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare;* unde illud certum est, *iurgium* significare obprobrium in aliquem coniectum, unde altercatio oriatur (cfr. Döderl. Syn. III 250. V 274). Sic dictum Cat. 9, 2: *iurgia discordias simultates cum hostibus exercebant* et Iug. 27, 1: *interdum iurgiis trahendo tempus*. Adparet ergo iurgium h. l. nihil esse posse, nisi aut quod in senatu in Catilinam dictum iam fuerit, aut quod dictum iri expectari potuerit. Illud si posuerimus, hoc dicetur: quasi (vid. tamen infra ubi de Iug. 60, 4 dicetur) antea in senatu indignum in eum obprobrium iactum esset; Catilinam igitur simulare voluisse se iurgio lacessitum esse. At num ea quae in senatu quamvis tecte in se dicta et decreta essent, se pro iurgio habere simulare potuit? Quid effecturus fuit, si se quae antea dicta essent, leviorem altercationem habere dixisset; si non dixisset, cui illud in mentem venire potuit, eum in senatum venire hac specie praetenta ut se expurgaret, quasi iurgio lacessitus esset? Illud satis certum est Sallustium quid Catilina in senatu facere, non quae homines eo, quod in senatum veniret, credere voluerit, dicere; unde hoc consequens est, iurgium esse, quod in eum fieri potuerit. Tum vero *sicuti* ferri non potest. Qua re Linkerus conrexit *sicubi;* quod ut recte ab eo Iug. 60, 4 restitutum est, ita h. l. mihi minus probatur, quia non tam incertiorem expectationem: 'si forte quando', quam aliquid certe positum loci ratio videtur flagitare. Et probarem quod in P[1] primo exaratum fuit, *si*, quodque etiam P *si...t* testatur, si quo modo inde *sicuti* fieri potuisset, facile esset ad intellegendum. Cum igitur veri simile mihi videretur, scripsisse Sallustium, quod per *si* explicatum cum eo ipso conmixtum *sicuti* peperisset, *ubi* restituendum putavi. His igitur disputatis de eis quae praecedunt facilius statui poterit. *Expurgare* dici de eo constat, qui culpa se liberet, crimina diluit, velut Tac. ab exc. d. A. XVI 24: *Thrasea — codicillos ad Neronem conposuit, requirens*

obiecta et expurgaturum adseverans si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. Neque aliter dictum est ap. Gell. N. A. VI 3, 5; *fidem consiliumque publicum expurgarent*, et ap. ipsum Sall. Iug. 69, 4; *Turpilius — iussus a Metello caussam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus — poenas solvit.* Adparet ergo Catilinam in senatum venisse, ut si crimen — quoniam in senatu agebatur, iurgium id dicendum — in se coniectum foret, id dilueret. Iam quaeritur num id idem sit atque *dissimulare?* Nonne autem qui aliquid dissimulat, hic se id fecisse aut scire negat, ut Volturcius Cat. 47, 1 *de coniuratione dissimulat?* An igitur is qui dissimulat, crimina diluit? Unde apertum est haec per *et* coniungi non potuisse, multoque minus per *et ut*, in quibus *ut* quid significet prorsus non intellego. Venit ergo Catilina in senatum, ut consilia dissimularet, i. e. negaret se quidquam consili advorsus rempublicam iniisse nec quidquam de ea re scire, sive id verbis declaraturus erat sive speciem praetenturus, si tamen iurgio lacessitus foret, si quaedam sibi obiecta, quibus argueretur, ea diluere. Recte ergo *aut* locum haberet. Set mirum est, quod in P *ut* scriptum est, nec facile intellegitur quo tandem modo ex *aut* fieri potuerit, quod in recentiore primi generis familia exaratum est. Scilicet in archetypo fuit *vel*, quod h. l. quia alterum quod fieri potuerit adiungitur, aptissumum est. Quod cum in archetypo obscuratum *ut* lectum esset, alii *aut* scripserunt, alii *et* coniunctionem adiecerunt. — Paulo post 7 *postulare a patribus* coepit veram scripturam esse confirmatur per vetustissumos codices, qui *postulare patribus coepit* exhibent, ut ea scriptura utique praeferunda sit Gruteri coniecturae *postulare patres conscripti ne quid*, quae quam parum apta esset demonstravit Sellingius em. p. 21.

Cat. 33, 5 quamquam optumi libri omnes *amittit* tuentur et, qui *amisit* exhibent recentiores neque ullius fidei sunt, tamen cum Sellingio em. p. 22 perfectum de coniectura restitui, quippe cum sententiae maior vis esset, cum usu id conpertum esse significaretur, neque ab veri specie abhorreret, librarios usum illum vel ignorantes vel hoc loco ab sententia alienum iudicantes praesens suo marte restituisse.

Cat. 35, 3 quoniam optumi libri, quamquam *quin* exhibent, tamen ante *possem* negationem *non* retinent, *quia* autem non prorsus librorum testimoniis caret, *quia — non possem* archetypi scripturam fuisse persuasum habeo. Atque profecto adeo maiore gravitate Catilina ita

inopia solvendi se moveri negare videtur, quam si *quin* — *possem* scribatur. Set quae sequuntur *cum et alienis nominibus* non solum eo nomine suspecta sunt, quod Sallustius *et* numquam pro *etiam* dixit, nisi forte fr. III 31 satis certum testimonium esse putas, set etiam quod in libris vetustissumis et optumis vel *cum* omissum vel *set* vel *set et* scriptum est. Quod quis non videt ex *scilicet* per conpendium scripto natum esse? Librarios cum *et* vel *set* legissent, *cum* delevisse quid mirum? Postremo nonne acerbitas quaedam, qua Catilina illud obprobrium reiciat, aptissume illo adiuncto exprimitur.

Cat. 36, 5 in verbis *tanta vis morbi uti tabes plerosque civium animos invaserat* nemo obfenderet (cfr. Iug. 32, 4 *tanta vis avaritiae animos eorum veluti tabes invaserat*. Fr. I 47, 9 *neu patiamini licentiam scelerum quasi tabem ad integros contactu crescere*. IV 26 *qui quidem mos ut tabes in urbem coierit)*, nisi in multis bonis libris legeretur *atque uti tabes*, quod casu quodam aut per librariorum lubidinem inlatum esse prorsus veri dissimile est. Commode ac scite igitur Hauptius *ac veluti tabes* coniecit, set veri similior mihi visa est coniectura eius viri docti, qui censuram novissumae editionis Kritzii in Actis litterariis ab Zarnckio editis scripsit, Conradi Bursiani ut opinor, *erat quae uti tabes*, praesertim cum obscuratae in archetypo litterae ac voces multis locis conruptelarum origines fuerint.

Cat. 38, 3 quamquam *per illa tempora* et in editione mea et Nov. Ann. XLVI p. 386 sq. defendi, tamen nunc tanto optumorum codicum consensui cedendum ac *post illa tempora* retinendum censeo. *Illa tempora* eadem putanda sunt, quae paulo ante 37, 11 verbis *multos post annos* Sall. significavit. Set tamen vitio Sallustio tribuendum est, quod de quibus temporibus dicat legentes suspicari potius quam edoceri maluerit. Quod cum ab eius studio perspicuitatis alienum existumem, scribundum conicio *post Sullae tempora*. Quod nomen cum *sillae* scriberetur, obscuratio litterarum facile errorem *illa* gignere potuit.

In eis, quae in conventu philologorum Stuttgartiae de Sallustio disserui (vid. Act. p. 6), dixi mihi Cat. 39, 4 scribundum videri *illis si*. Cuius sententiae argumenta in diss. quo tempore quoque consilio Sallustius Catilinam scripsisse videatur (Grimae 1846) his verbis exposueram, quae quoniam is libellus paucorum in manus venit, h. l. repetam: „Verba ut in libris scripta sunt, sane aliter accipi non possunt, quam ut sententia conmuni quantas in turbas permixtionesque rerum civitas

semel laxatis legum vinculis ruat, ostendatur [1]). At ex omni nexu nihil manufestius est, quam scriptorem ea ponere voluisse, quae si Catilinarii vicissent futura fuissent, unde adparet scribundum esse *illis si victoriam adepti forent*, et *illis* liberiore modo ad Catilinarios relatum, qui quin intellegundi essent, antea Catilinae nomine posito non dubium esset.“ Quibus nunc addo, illud ipsum quod pronomen liberius ad praecedentia relatum est, librarios videri movisse, ut *qui* scriberent.

Cat. 42, 3 omnes libri *item in citeriore Gallia G. Murena* exhibent. At G. Murenam in Gallia Transalpina fuisse constat ex Cic. pr. Mur. 41, 89; in Galliam cisalpinam Q. Metellum missum fuisse (Cic. in Cat. II 12, 26) certe non ignorabat Sallustius, quamquam supra 30, 5 *agrum Picenum* solum nominavit. Hunc igitur errorem turpissumum utrum Sallustio an librariis inputandum existumas?

Quae difficultates Cat. 43, 1 omnium librorum scripturae *in agrum Faesulanum* obstarent, olim exposueram et suspicatus eram locum intellegundum esse Romae urbi propiorem. Quam suspicionem nunc abicio, quoniam num alterum oppidum Faesularum nomine exstiterit, incertissumum est et Sallustius utique obscure scripsisse putandus esset. Set iam dudum mihi persuasum est, aliud nomen ab eo scriptum fuisse, quod librarii cum minus eis frequentatum esset, in *Faesulanum* con rupissent, quod fuisse *Carsulanum* paene certum mihi videtur. Carsulae enim, oppidum Umbriae inter Tiberim et viam Flaminiam, haut longe ab Narnia situm (Strabo V p. 312 ed. Mein. Plin. H. N. III 14 (19), 113. Tac. Hist. III 60. Mannert. Geogr. ant. IX 1 p. 482), neque procul aberant ei, qui ab Faesulis devio itinere per montis Romam peteret — id vero Catilinam sic instituisse, ne copiae vel dilaberentur vel pugnis minuerentur, veri simillumum est, — neque ab urbe ita dissitae erant, ut si coniurati Roma erupissent, eodem die exercitum ab illo oppido profectum convenire non possent.

Duobus locis Linkerus *item* pro *autem* restituit, Sellingio em. p. 23 sq. praeeunte, Cat. 43, 2 ubi omnes libri *Cethegus Ciceronis ianuam obsideret eumque vi adgrederetur, alius autem alium*, et 50, 1 *liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiundum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum —, Cethegus autem per nuntios familiam atque libertos suos, lectos et exercitatos, orabat ut grege*

1) Iacobs: ‘Andeutung des un- durch eine Umwälzung entfesselten ausbleiblichen Weiterstürmens der Kräfte’.

facto cum telis ad sese inrumperent, ubi item omnes libri *autem* tuentur. Set primum advorsus eam suspicionem hoc dubitationem movet, quod *item* semper in principio membri ponitur, nisi ubi aliqua notio ecferunda est, velut Cat. 17, 7 *fuere item* (coll. 61, 8), 18, 1 *set antea item coniuravere pauci*, Cat. 51, 22 *an quia lex Porcia vetat? at aliae leges item condemnatis civibus — exilium permitti iubent*, Iug. 31, 7 *post G. Gracchi et M. Fulvi caedem item vostri ordinis multi mortales — necati sunt*, vel post relativum Cat. 51, 36 *cui item exercitus in manu sit*, Iug. 47, 4 *quos item uti priores consul inlectos ad proditionem domum dimittebat.* Iam priore illo loco nulla prorsus caussa est cur *alius* numero ecferatur, cum etiam aliis praeter Ciceronem insidias structas fuisse verbis praecedentibus *ceterosque quibus insidiae parabantur* indicatum sit et per se adpareat Cethegum Ciceronis ianuam obsidere simul et aliis caedem intendere non potuisse. Qua re Sallustium certo credo scripturum fuisse non aliter quam in loco simillumo Cat. 27, 4 *se Manlium praemisisse ad eam multitudinem — item alios in alia loca oportuna. Autem* vero cum ibi ponatur, ubi quod rem conpleat adicitur (vid. quae olim ad Iug. p. 239 disputavi) eo loco aptissumum est. Altero porro loco Cethegi nomen ecferundum fuisse nemo negabit, at per *item* ecferri ne potuit quidem, quoniam, quae is ipse instituit, non eadem fuere, quae pro Lentulo alii fecere. Ad hunc per seditionem eripiundum amici et clientes sua sponte, iniussu illius, adnisi sunt, ille ipse ad suos gladiatores misit. Quid vero? Cum novi aliquid quodque simul maius et gravius sit, ad idem pertinens, adiungatur, nonne *autem* aptum est?

Cat. 47, 2 de Allobrogum indicio haece referuntur: *eadem Galli fatentur ac Lentulum dissimulantem coarguunt praeter litteras sermonibus, quos ille habere solitus erat: ex libris Sibyllinis regnum Romae tribus Corneliis portendi; Cinnam atque Sullam antea, se tertium esse cui fatum foret urbis potiri: praeterea ab incenso Capitolio illum esse vigesimum annum, quem saepe ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore.* Quae si conparaveris cum eis, quae Cic. ad populum dixit in Cat. III 4, 9: *Lentulum autem sibi confirmasse ex fatis Sibyllinis aruspicumque responsis esse se illum tertium Cornelium, ad quem regnum huius urbis atque imperium pervenire esset necesse; Cinnam ante se et Sullam fuisse; eundemque dixisse fatalem hunc annum esse ad interitum huius urbis atque imperii, qui esset decimus post virginum absolutionem, post Capitolii autem incensionem vicesimus*, in rebus non multum

differre intelleges, quamquam Cicero prius illud non ex Sibyllinis libris modo, set etiam ex aruspicum responsis ductum fuisse adfirmat, Sallustius prius ad Sibyllinos libros, alterum ad aruspices rettulit, praeterea hic virginum absolutionis nullam mentionem fecit. Uter verius rettulerit quaerere non est huius loci; pro Cicerone recens memoria, pro Sallustio eorum quae Ciceronis iussu perscripta erant (pr. Sull. 14, 42) usus conmemorari potest; hoc loco illud potius quaerendum, num in Sallusti verbis conruptela sit, quae Ciceronis ope tolli possit. Nam mirum profecto est, quod cod. m [1]) *quem sibi ex prodigiis aruspices respondissent bello civili cruentum fore* exhibet; quod ex errore librarii natum esse cum per se veri simile non sit, tum eo redarguitur, quod ad sententiam aptissumum est. Nam profecto Lentulus, quem, ut mentitus sit, tamen probabiliter mentitum esse consentaneum est, cum tribus Corneliis regnum Romae portendi dixisset, debebat conmemorare, unde se tertium Cornelium esse, cui fatum foret urbis potiri, conclusisset. Quod qua re melius confirmare potuit, quam cum oraculum sibi editum proferret? Aruspices autem ad ea sacra adhibitos esse, quae aliquis ut quod sibi portenderetur conperiret faciebat, vix est quod moneam. Ac fateor quidem, quae illud responsum continet, publice magis quam privatim editi oraculi speciem prae se ferre, set quidni statuamus, Lentulum cum quo anno optume praeturam petiturus esset — scilicet ut ignominiam sibi inpositam tolleret, — quaesivisset, hoc responsum accepisse ut eo anno peteret, qui esset post Capitolii incensionem vigesimus; eum enim bello civili cruentum fore? Adcedit, quod Cicero alteram partem eorum, quae Lentulus dicere solitus esset, ita a priore separat ac discernit, ut ad alia oracula quam ad quae in priore illum spectasse adpareat. Quod si *sibi* tale est, quod prorsus reiciundum non videatur, quid de *saepe*, quod relicui libri omnes tenent, iudicandum? Idne ex *sibi* conruptum esse censebimus, an librarios ita emendavisse? Minume. Set quid? nonne veri simile est Sallustium scripsisse *quem saepe sibi ex prodigiis* cet.? Scilicet pro gravissumo ac maxumo incitamento habendum est, si idem non semel, set saepe ex prodigiis alicui ab vatibus responsum fuerit.

Cat. 52, 25 nunc pro *deprensis* vel *deprehensis* scribundum putavi *adprehensis*, cum vetusti atque optumi libri id praeberent et veri similius videretur insolentius verbum in usitatius conmutatum, quam pro consueto minus frequentatum restitutum esse. *Adprehendi* autem

1) Nec neglegendum est in 𝔊 supra *saepe* adpictum esse *i*.

eos dici, qui subito in vincula conripiantur, ostendit Caecil. ap. Gell. XV 9, 1 (80 ed. Ribb.) *nam hi sunt inimici pessumi fronte hilaro, corde tristi, Quos neque ut adprendas neque uti dimittas scias* et Apion. ap. eund. Gell. V 14, 26 *a militibus visus adprehensusque sum.* — Paulo post 27 *convortat*, quod ab libris maxume munitum est, tamen in *convortet* mutandum censui, non quo post *ne* adfirmativum coniunctivum poni posse negarem, qui ipse scriptus est Iug. 14, 21, set quia gravis adfirmatio non solum huius loci naturae, set etiam Catonis ingenio aptior videbatur. — Tum 32, ubi ne Linkerus quidem Vaticano quidquam tribuendum existumavit, ego cum ad illius fidem alii ex vetustissumis et optumis libris adcederent, pro *aut hominibus* scripsi *si deis atque hominibus umquam ullis pepercit.* Etsi enim non ignorabam in sententia vim negativam esse, tamen neque *atque* ab negativis sententiis prorsus exclusum est, et recte dei cum hominibus in unum coniunguntur, quo exprimatur Lentulum non veritum esse ea conmittere, quibus dei simul et homines laederentur.

Dubia sunt verba, quae Sallustius 54, 5 postquam de Catone *esse* inquit *quam videri bonus malebat*, adiecit: *ita quo minus petebat gloriam, eo illum magis sequebatur.* Ac primum quidem si librorum scripturas aestumaveris, pronomen post *magis* ponendum esse facile concedes. Set 'quo minus *illum* verum putemus, cum libri obstant, nam optumi *illum assequebatur* exhibent, quod cum ferri non possit aliud quiddam ab S. scriptum fuisse ostendit, tum ratio, cum quidquid oblocutus est Selling. em. p. 34, illud non ecferundum esse luce clarius sit, Catonem gloriam secutum esse, quippe cum non huic id soli acciderit, set cuique simili. Contra adparet *gloriam* numero quodam notandam esse, quae quamvis spreta, tamen eum secuta sit. Poterit ergo quodam modo *illam adsequebatur* defendi, set tamen hoc rectius diceretur de eo qui gloriam peteret, non qui contemneret. Qua re paene certum videtur Sallustium scripsisse: *eo magis illa sequebatur.* Ad quod confirmandum iuvat similes aliorum sententias conmemorare: Plin. Ep. I 8, 14 *sequi enim gloria non adpeti debet, nec si casu aliquo non sequatur, idcirco quod gloriam meruit minus pulchrum est.* Liv. II 47 extr. *spreta in tempore gloria interdum cumulatior rediit.* IV 57, 6: *exemplum fuit collegis se eumque intuentibus, quam gratia atque honos oportuniora interdum non cupientibus essent.* XXII 39, 19 *gloriam qui spreverit, veram habebit* (quippe gloria est vera, quae sua sponte, non adpetita sequitur).

Quo iure cum Linkero et Kritzio Cat. 58, 9 contra libros *sin*

metu cesserimus scripserim, harum rerum peritis vix exponendum videtur [1]).

Cat. 59, 3 volgata sunt haec: *ipse* (Catilina) *cum libertis et colonis propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico G. Marius in exercitu habuisse dicebatur.* Mirum est, si Sallustius scripserat *colonis*, id in *coloniis*, atque adeo quod vetustissumi et optumi exhibent *colonibus* conrumpi potuisse. Et qui tandem fuere illi coloni, quos Catilina secum habere voluit? Sullae, inquiunt, veterani, in Etruriam deducti colonique facti. Eorum magnum numerum in Catilinae exercitu fuisse nemo ignorat, at nonne credibile est eos optumos armatos fuisse quos omnes in primam aciem subductos modo scriptor conmemoravit? Iure meritoque Gruterus hic requiri dixit cohortem praetoriam, quam sibi Catilina ex fortissumis paraverit, at id Sallustius certe dixisset. Scilicet ex omni re apertum est, Catilinam exiguum numerum copiarum suarum celare voluisse. Qua re optumos in primam aciem subduxit, minus bene armatos et inutiles ad pugnandum in subsidiis conlocavit, quo hostibus maioris numeri speciem praeberet. Ipse aperte in subsidio constitit nec per se incredibile est secum habuisse eos, cum quibus laborantibus optume auxilium ferre posset. At num liberti tales fuere? Contemptum profecto genus et in armis minume exercitati. Videlicet eos quoque nullam aliam ob caussam circa se retinuit, nisi ut hostes specie falleret. Recte talibus adiunguntur *calones*, quos interdum militibus, quo numerus augeretur, inmixtos esse constat (cfr. Liv. XXXVII 18). Qua re *calonibus* non tam codicis cuiusdam Cuiaciani auctoritate quam coniectura ex optumorum librorum scriptura *colonibus* refingendum censui.

Locus difficillumus est Iug. 3, 1 ubi non solum libri manu scripti mirum in modum variant, set etiam virorum doctorum sententiae in divorsissuma abiere. Alii enim *is*, alii *vis*, alii *ius* (Selling. lect. p. 18 sqq.) probavere, set nemo negavit, haec omnia inpedita neque satis plana et perspicua esse. Quicumque autem codicum scripturas diligenter perscrutatus fuerit, facile ad eam sententiam adducetur, locum conruptum esse, cum pro eo quod Sallustius scripsisset explica-

1) Omnino de eis locis, in quibus emendandi ratio iam ab aliis inventa ac probata est aut facile perspicitur, fusius disputare supersedeo, velut de Iug. 8, 5 *suamet ipsum pecunia.* Iug. 68, 4 *late* pro *latere.* 80, 7 *nulla* pro *nullam.* 98, 3 *quaerebat* pro *gerebat.* Neque copiosius de talibus suspicionibus exponam, qualis est, quam ad Iug. 10, 5 significavi, pro *amicior* mihi scribundum videri *coniunctior.*

tiones et glossemata in textum reciperentur. Ut igitur quale illud fuerit coniectura probabili consequi possimus, de sententiarum nexu ac ratione quaerendum est. Iam qui nulla praeiudicata opinione verba *nam vi quidem — libertatem suam gratificari* consideraverit non poterit non concedere, ea omnia ad gerendorum honorum ac magistratuum rationem spectare. Quae semper duplex est, ut boni aliquid aut efficiatur aut non efficiatur. Atque ita Sallustium bipartitam orationem esse voluisse, intellegitur ex ea ratione, qua *frustra niti* per particulam *autem* praegressis obposuit. *Nisi forte* vero numquam ab Sallustio usurpatum est, nisi ut cum modo praegresso artissume coniungatur, quod aut contra spem acciderit aut ab nemine facile factum iri scriptor ponat (vid. Ind. et quae olim disputavi ad Iug. p. 117), ut manufestum sit, membrum *nisi forte — gratificari* continere rationem, qua aliquid effici possit, quam vero nemo facile ingressurus sit. Verba autem ne neglegantur, *inportuna* dici non quae periculum minitentur, set quae oportunitate perficiundi vel tractandi careant (vid. Madv. ad Cic. d. Fin. II 26, 85 p. 288), ergo quae nemo facile adgrediatur, apertum est, nec minus si *delicta conrigere* is dicatur, qui magistratum multo negotio ac labore petiverit, non de aliorum delictis, set de eius ipsius cogitari posse; scilicet qui vi utitur in regendis patria et parentibus, tollit quidem vitia civium et mala in re publica nata et inveterata, set ita simul, quae ipse advorsus leges deliquit, conrigit. Iam hanc esse Sallusti sententiam invenimus: in magistratibus et inperiis aut ut aliquid efficias vi utendum est in patriam et parentes, aut frustra niteris. Ab illo, ut nihil inpediat utque quae peccaveris ipse conrigas, tamen multa dehortantur, praesertim cum quo abitura sint quae instituas nescias; alterum, frustra niti et nihil efficere nisi ut in odia hominum incurras, dementiae esse iudico; nam neminem credo fore, qui ut aliquid ipse possit paucis potentibus libertatem suam ac dignitatem vendere velit [1]). Iam cum verba *nam vi — libertatem suam gratificari* nihil aliud significent nisi magistratus illo tempore geri non posse ut aliquid boni et utile te effecturum sperare possis, sententiam, ad quam inlustrandam et confirmandam ea pertineant, nullam aliam esse posse adparet nisi hanc: qui in magistratu sit, ei nullam copiam esse honoris i. e. gloriae adipiscundae. His igitur quid efficitur? Nempe *tuti* notionem ab eo loco, de quo quaerimus, alienam esse; id quod etiam aliis argumentis confirmatur. Nam cum de vita

1) Cfr. libell. meum *quo tempore quoque consilio Sall. Catilinam scripsisse videatur* p. 5.

tuta quaerere omnino Sallusti ingeni non est, qui per summa pericula et labores ad inmortalitatem gloriae enitundum censeat, tum ipse luce clarius ostendit se de eis tantum artibus dicere, *quibus summa claritudo paretur*, non quibus vita tuta, quae latentis et in obscuro ac demisso degentis est, praestetur. Deinde mirum profecto est, cur scriptor *tuti* ab *honesti* ita separare maluerit, ut alterum in comparatione poneret, cur non scripserit *eo tutiores aut magis honesti sunt*. Quis ergo est, qui *tuti* ex conruptela natum esse neget? [1]). Quae vero caussa proferri potest h. l., cur magistratus et inperia non cupiunda videantur ei, qui ad veram gloriam enitatur? Aperte haec: ea neque honeste peti neque honeste geri posse. Cum autem honorem nemo per virtutem nancisci possit, necesse est, qui eum adeptus sit, per fraudem adeptum esse. Qua re hoc in verbis illis inesse debere consequitur: qui honoribus functi sunt, per fraudem nancti, non eo magis honesti sunt, eo maiorem honorem sibi parare potuere, vel: neque quibus per fraudem ut honorem nanciscerentur contigit, eo magis honesti sunt. Iam quid vetustissumi libri duo exhibent? P *quibus per fraudem iis fuit uti tuti aut eo;* P[1] *quibus per fraudem his fuit uti eo magis*, et postea demum conrectum est *tuti*. *Iis* vel *his* ferri non posse, quoniam praecedit singularis *honos*, adparet, nec tamen difficile est ad intellegundum, additum id esse, ut *uti* haberet, quo referretur [2]). In archetypo ergo certum est fuisse: *neque illi quibus per fraudem fuit uti eo magis honesti sunt*. Quae scriptura nonne ad sententiam prorsus apta est? Nam obiectum verbi *uti* omissum obfendere non potest, cum nemo quid adsumendum sit frustra quaesiturus sit, neque *est* cum infinitivo coniunctum quamquam poëtarum moris est, ab Sallusti ingenio alienum iudicandum est, quippe qui multa ad Graecorum exempla novasse videatur, eoque minus cum supra p. 96 ut Iug. 110, 3 idem dicendi genus probetur, sententiam postulare cognoverimus. Nonne denique facile perspicitur, quo modo ex illa scriptura relicuae, quae in libris sunt, *fuit tuti*, *fuit utique*, *fuit tuti utique*, quaeque ante *fuit* addita sunt, nasci potuerint?

Iug. 10, 7 *quia aetate et sapientia prior es* eo lubentius recepi, cum eo P duceret, et si relativum teneretur, utique coniunctivum Latinitas efflagitare videretur.

1) Ne quid ex aliena laude mihi adrogasse videar, Linkerus iam ita se indicare ostendit, *tuti aut* uncis includens.

2) *eis* ad *magistratus et inperia* referri posse non ignarus sum; at sic contortior utique oratio Sallustio tribuitur.

Iug. 12, 3 volgatum fuit *uti tamquam suam visens domum eat.* Quae verba contorta esse, cum *suam domum* obiectum participii *visens* sit simul et ad *eat* referri debeat, facile perspicitur. Qua re non dubitavi recipere, quod Gruterus coniecerat, quodque casu quodam in M^1 et M^2 scriptum est, *sua visens.*

Iug. 14, 3 *vellem potius* — *posse me* — *petere* iam ab multis *me*, cum in multis bonis libris omissum esset, eiectum est, set quo modo factum esset, ut in tot adiectum legeretur, nemo aperuit. Id ostendit P^1, cum quo scribendum esse *possem* vix est quod pluribus exponam. — Eiusd. cap. 17, auctore Bojeseno praef. ed. prioris p. XVIII cum recentiore primi generis familia nunc scripsi *nationesne aut reges* pro *nationesne an reges.* Quid enim agit Adherbal nisi ut nusquam sibi auxilium petere licere nisi a populo romano ostendat? Qua re de eis tantum illud quaerere potest, qui Romanorum dicionis non sunt; ei autem in unum conprehendundi sunt, ut per *qui omnes* coniunguntur. Utrum ad reges an ad liberos populos adcedat quaerere pervorsum est [1]). In *aut* hoc inest: Num adpellem qui dicionis vestrae non sunt, qui aut liberi sunt aut regio inperio utuntur? — Eiusd. cap. §. 23 qui anaphorae vim atque usum noverit, Vaticani scripturam *set omnis has* cum Linkero probare non dubitabit, praesertim cum librarios id in *et* mutasse non mirum sit.

Ut Iug. 18, 2 reciperem *quas nox coëgerat* pro eo, quod studiose olim defendi *qua nox coëgerat*, non tam Hieronymi et Sulpici Severi testimoniis conmotus sum — nam illis obponere possumus Pomp. Mel. I 8, 3 —, quam optumorum librorum consensu. Et *quas*, quod difficilius est, facile in *qua* aut errore aut consulto mutari potuisse in propatulo est. — Eiusd. cap. 6 optumorum librorum scripturam *mare magnum et ignara lingua conmercio prohibebant* eo lubentius amplexus sum, quod quid Persas, qui aedificandi materia egerent, quo minus cum Hispanis conmercia instituerent prohibuerit dicendum potius esse adparet, quam quid Hispanos et Persas ab mutui conmerci consuetudine excluserit [2]). Set non potui Linkero adsentiri,

1) Peerlk. ad Verg. Aen. IV T. I p. 276 coniecturam: *nationesne an reges? Quine omnes — infesti sunt?* conmemorare satis habeo. *An* constat usurpari ubi inlustrandorum praegressorum caussa nova interrogatio adiciatur.

2) Similibus caussis adductus Iug. 67, 1 ex solo P scripsi *portae ante clausae fuga prohibebant*, cum aptius videretur, Romanos milites per portas clausas fugiendo exclusos fuisse.

qui infra 8 sane ex optumis libris *tecto* recepit. Nam constructionem tam duram ac contortam Sallustio tribuere vereor, praesertim cum pluralis potius *tectis* expectetur et *a* illud apertum erroris caussam praebere potuerit, quod ut factum esse suspicemur faciunt, quae in P[1] et B supra scripta sunt. Ceterum per se adparet si aedificium incurvis lateribus tectum sit, ipsum tectum incurvatum esse. Paulo post non video, cur quod optumorum fere omnium codicum testimonio munitum est *Medis autem et Armeniis adcessere Libues* mutandum sit in *Medi — et Armenii.* An quia Libues in Africa iam sedes habebant, Medi et Armenii autem inmigravere? Quidni antiqui incolae novis se adiungere, cum eis societatem iniisse dici possunt? Cfr. Horat. Sat. II 5, 75 *illis accedas socius.*

Iug. 24, 3 cur Linkerus Vaticanum, quem iure meritoque plurumi fecit, sequi noluerit, paene miror. Nam *incertus esse* is dicitur qui consili inops est (Iug. 14, 23. 67, 1. 74, 1. 101, 2), id quod ab hoc loco prorsus alienum, atque ut ponamus *incertum* eum dici potuisse, qui quid iudicaret nesciret, utrum gravius dicit Adherbal, se non discernere, an neminem discernere posse, ferro an fame acrius urgueatur? Nec neglegendum est P margine Vaticani fidem confirmari. Quod si quis miretur, quo tandem modo fieri potuerit ut pro *incertum est incertus sum* scriberetur, conparet inter se sigla *īcertū sī* et *īcertu' sū.* Nec minus infra 9 *scripsi* ex eo 𝔙 solo recepi, cum perfectum constanti Romanorum in epistulis scribundis consuetudini conveniret, nec mirum esset librarios pro eo quod recentiorum temporum moris esset restituisse.

Iug. 25, 4 quod ex optumis libris *senatus princeps* pro insolito *in senatu princeps* restitui, nemo qui quid in textu recensendo sequendum sit teneat vituperabit. Facilius paterer, si quis ex scriptura *in senatu* Sallustium scripsisse *in senatu potens* et *princeps senatus* ab sciolo interprete adiectum esse autumaret. — Cum quod olim iudicaveram, eod. cap. 7 utrum *rapiebatur* aut *rapiebat* scribendum esset, ab librorum auctoritate sola pendere, ad rem nihil interesse, etiam nunc tenerem, non potui non optumorum librorum magno consensui cedens passivum conprobare.

Iug. 26, 3 quamquam Sellingius lect. p. 23 *armatus* defendundum suscepit, tamen *armatis* eo magis rescribundum est, quod cum in deditione arma ponantur, nemo nisi inermis hostibus armatis obvius esse potuit; quem armatum invenissent, iure interficere licebat.

Non constat de numero, qui Iug. 31, 2 ab Sallustio scriptus sit.

Plerique et optumi libri *quindecim* tuentur, alii *duodecim*, multi *viginti* praebent. Iam constat hanc orationem a. a. u. 643 (a. C. 111) habitam esse (Fischer Tab. p. 156). Cum autem G. Memmius quam foede quamque inulti perierint plebis defensores conmemoret, necesse est ab Sallustio numerum annorum positum fuisse qui G. Gracchi eiusque sectatorum necem includeret vel adeo qui ab Tiberi Gracchi tribunatu numeratus esset. Quod si *viginti* scriptum fuisset, quo anno Tiberius Gracchus occisus est (621 = 133) numero eo inclusus non esset, et si scriptorem in universum significare, quam adcurate definire maluisse dixeris, aptius ad huius loci naturam fuit augeri numerum quam minui. Contra *duodecim* numerus optume convenit, cum G. Gracchus a. 631 (123) tribunus plebei fuerit, 633 interfectus sit. *Quindecim* si probatur, rursus ad illud confugiendum est, minus diligenter scripsisse scriptorem. Set cum infra 7 Tiberi Gracchi nex conmemoretur, ab omni veri specie abhorret, eius inmemorem fuisse scriptorem, cum illum numerum scriberet. Quid igitur? Nonne omnes eos numeros, qui in libris sunt, falsos esse adparet, atque aut XXV aut XXII scribundum esse? Interim tamen, quod in optumis libris inventum est, intactum reliqui. — Eiusd. cap. §. 10 cum omnes consensissent, non de praeda ex honoribus capienda set de honoribus quasi pro praeda captis dici, quin *praedas*, quod adeo coniectura restituendum fuit, reciperem eo minus dubitare debebam, cum in Vaticano id esset. Scilicet librarii membrorum aequandorum studio in pravum abstracti sunt. — Tum §. 17, quamquam diu multumque dubitavi, tamen tandem librorum optumorum tanto consensui cedendum arbitratus *nonne* scripsi, quippe cum minume ab Memmi ingenio alienum videretur ita dicere ut pro certo id se exspectare significaret (cfr. Madv. ad Cic. d. fin. II 3, 10 p. 153. Klotz Nov. Ann. XXII p. 134. Tischer ad Cic. Tusc. I 8, 17). Neque obscurum est, ad talem spem adiungi aptissume interrogationem illam, qua orator sibi obici fingat: ergo se atrocissume in optumates vindicandum censere. — §. 18 *vobis* recepi ex 𝔙 et P[1], non solum quia ita constructio minus inpedita videbatur, set multo magis, quod aperte dicundum fuit: ea fecisse ab dignitate populi alienum est. Quod vero in P[1] *vos* conrectum est, ea res, quam permultis locis factam esse reperies, ostendit, quantus librariorum mutandi pruritus ad conrumpendos Sallusti libros adnisus sit. — Cum iam olim ad Iug. p. 232 ostendissem *amittere* non numquam dictum esse de rebus consulto neglegendis, non potui non obsequi §. 25 𝔙 *amittatis* exhibenti. Quod eo facilius probavi quod interea cognoveram iam veteres

comicos sic dixisse *noxiam amittere* (Terent. Eun. 852 *unam hanc noxiam amitte: si aliam admisero umquam, occidito).* Ergo hoc quoque loco pro insolentiore usitatius librarios restituisse adparet.

Iug. 35, 3 quoniam aptius videbatur Minucium ipsum omnia movere voluisse dici neque ea, quae sic nascitur, constructionis difficilior ratio ab Sallusti ingenio aliena (cfr. Iug. 14, 16. 101, 5), cum optumis libris *movere* quam cum deterioribus *moveri* scribere malui.

Quem ad modum saepe grammaticorum et scriptorum veterum testimoniis plus quam librorum scripturis iure meritoque mihi tribuisse videor (velut Iug. 36, 2 *ludificari* ex solo Arusiano scripsi. Iug. 72, 2 Prisciani *experrectus* aliquid munimenti ab scriptura P *exercitus* accipere videtur), sic Linkero (praef. p. XI) adsensus sum, Iug. 37, 4 ex Senec. Ep. 114, 19 *hiemantibus* reponenti. Neque enim ulla caussa est cur ex Historiis potius exemplum illud sumptum esse autumemus, quam ad hunc locum Senecae verba pertinere putemus, eoque minus cum credibile sit grammaticos insolentiam dictionis emendando tollere voluisse. Et videtur Sallustius exprimere voluisse: aquis quae tum per hiemem ibi perpetuo manebant, non defluebant, quamquam Arruntius aliter accepit. — Nec vereor ne in vituperationem eorum incurram, qui quid ratio postulet teneant, quod 38, 9 *teneret* proprio magis marte quam libri h praesidio refinxi [1]). At audacius videbitur, quod eo capite extremo *mortis metum intuebantur* scripsi. Set quidquid viri docti ad defendundum *mutabantur* (Lechner. Progr. Hof 1828 p. 18 sqq.) vel adeo *mutabant* protulerunt, artificiosiora quam apertiora ac simpliciora esse, nisi qui praeiudicatas opiniones sequi malit, nemo negabit. Ex librorum autem scripturis nihil ad locum sanandum peti posse, quae exhibent aut conrupta esse aut coniecturas, facile adparet. Set cum plerique et vetustissumi *mutabantur* exhibeant, hoc in archetypo fuisse indeque in emendando ordiundum esse certum est. Sententia quid flagitet, non obscurum: mortis metu eos inpulsos esse ut graves ac turpes Iugurthae conditiones acciperent. Qua re diu haesitavi, annon Nazariani *motabantur* probandum esset, set abieci quod id verbum magis huc et illuc pellere quam ad aliquid conpellere significat. Qua re ea quam proposui emendatio mihi placuit, cum non solum sententiae conveniret, set etiam facile ansam conrumpendi praebuisse videretur. *Metus* quam saepe de eo, quod metum iniciat,

1) Simili ratione 46, 4 *procederet* scripsi contra libros, 54, 1 *sint* pro *sunt*.

dictum sit, vix est quod pluribus doceam (vid. quae olim ad Iug. p. 260 disputavi), nec magis *intueri* esse: ante oculos habere, considerare, maxume in talibus rebus, unde consilium capiatur.

Iug. 46, 1 cum Kritzio scripsi *simul de innocentia eius certior Roma factus*, quamquam in omnibus Sallusti libris manu scriptis *Romae* legitur, non quo Noni libris tantum tribuendum putarem, set quia id natura loci postulare videbatur. Etenim *simul* parum recte dictum est, nisi quod tum, non duobus annis ante factum sit adiungatur, nec dubium videtur, si Iugurtham Romae id cognovisse Sallustius conperisset, quin *Romae expertus* scripturus fuerit. Neque desiderandum est aliquid tale additum, ut Iug. 82, 1 *interim Roma per litteras certior fit*, cum per se intellegatur aut per litteras aut per nuntios id factum esse, neque obfendit *Roma* inter *certior* et *factus* interpositum, quia illud ecferundum fuit, ab amicis Romanis eum certiorem factum esse, quippe quibus id etiam magis quam aliis credendum esset.

Iug. 47. 2 sane haesitari poterit, utrum Madvigii emendatio *frequentiam negotiatorum et conmeatu iuvaturam exercitum* praeferunda sit, an Palmerii *frequentiam negotiatorum et conmeatuum iuvaturam exercitum*. Illa enim eo conmendatur quod quae sequuntur *et iam paratis rebus munimento fore* ita obpositum habent quod paene sibi postulare videantur, altera inde conmendationem habet, quod sic facillume perspicitur, quo modo omnes libri Sall. conrumpi potuerint. Cum vero negotiatorum frequentia nulla re nisi conmeatu exercitum iuvare possit, cumque maior oportunitas sit, si ad incolentium negotiatorum frequentiam mercantium frequentes conmeatus adcedant, cum Könighoffio Crit. et exeg. Progr. Trier 1854 Palmerii emendationem amplector.

Diu multumque dubitavi de loco Iug. 53, 7 quid statuendum esset. Quod plerique et optumi libri exhibent, *strepitu velut hostes adventare*, id Kritzius ita defendit ut *strepitu* pro ablativo modali (cfr. quae olim ad Iug. p. 359 congessi) haberet, et cum *adventare*, infinitivo historico, coniungeret. Cui sententiae illud obstat, quod cum luce clarius sit alteros, quod hostium adventantium speciem praeberent, apud alteros formidinem et tumultum fecisse, *velut hostes* non cum *adventare*, set cum *formidinem simul et tumultum facere* coniungenda fuisse adparet. Multo melius Cortius, Linkerus alii eiecerunt *adventare*, set ne illud quidem *velut hostes* satis placet, quoniam nulla tum

falsae opinionis vel speciei significatio adest. Diu optumum mihi visum est scribere *velut si hostes adventarent*, quod ad sententiam aptissumum esse nemo facile negabit. Set cum *velut* interdum dictum sit, ubi *velut si* exspectatur (Liv. XXXV 14 init. *secutum tamen sua sponte est, velut consilio petitum esset, ut vilior ob ea regi Hannibal et suspectior ad omnia fieret.* Cfr. Fabri ad Liv. XXIII 18, 14. Heerw. ad XXI 8, 6), facilius videtur *velut hostes adventarent*, quod cum in libris nonnullis repertum esse narretur, tamen pro emendatione potius quam pro scriptura ex archetypo propagata habendum est.

Multum torsit viros doctos ignis ille missilis, quem Zamenses in Romanos coniectasse Sall. narravit Iug. 57, 5, et sane ab libris satis larga copia et facultas elegundi atque optandi praebetur. Nos in talibus semper ab eis libris ordiundum existumamus quos archetypo proxumos et simillumos esse cognoverimus; eorum scripturam, si probari possit, ubique retinendam. Iam hoc loco vetustissumos libros in *picem sulphure et taeda mixtam ardenti* consentire vix negabis (in P num a erasum sit et primitus *ardentia* fuerit, utique in incerto relinquendum, *tedam* autem errore natum facile concedetur). Ex eis igitur locis veterum scriptorum, quos contulerunt Lipsius Poliorc. V 2 T III p. 623 ed. Vesal. 1675 et Sellingius lect. p. 28, picem, sulphur, taedam, asphaltum, oleum ad talem ignem missilem adhibita esse constat, set nullus loco Sallusti similior est, quam Herodian. VIII 4, 9 p. 195 ed. Bekk. *οἱ δὲ Ἀκυλήσιοι λίθοις τε ἔβαλλον ἄνωθεν, καὶ κιρνῶντες θείῳ τε καὶ ἀσφάλτῳ πίτταν ἔλαιόν τε, κοίλοις σκεύεσιν ἐμβαλόντες λαβὰς ἐπιμήκεις ἔχουσι καὶ πυρώσαντες ἅμα τῷ προσπελάζειν τοῖς τείχεσι τὸν στρατὸν κατεσκεδάννυσαν, καταχέοντες ὄμβρου δίκην ὁμοθυμαδόν*, unde illud certum est, in eo genere ignis, quo obpugnatores ab muris removerentur, picem fuisse, qua maxime contineretur. Et id naturae conveniens est, quoniam pix diffluit et per guttas decidit. Quod si Acylesii pro taeda admiscuerunt asphaltum, eum ut taedam facile ignem concipere densoque fumo ac lucente flamma ardere constat (Naumann El. d. Miner. nr. 609 p. 428). Eundem sulphuris usum esse si docere velim, ne diffidere lectoribus meis videar, verendum sit. Cum ergo hoc constet, picem id fuisse, quo ignis missilis constaret, eique sulphur et taedam admixta, quae ignem conciperent et alerent, *picem sulphure et taeda mixtam* recte scriptum esse adparet. Set difficultas summa in eo esse visa est quod sequitur *ardenti.* Nam expectatur quod ad massam omnem pertineret potius, quam ad eius partes, quam ob caussam Gerlachius *ardentia* probavit, scite etiam ad

sudis et *pila* referens, credo *pila* sine ferro intellegens (Polyb. VI 23, 10)[1]), Sellingius autem l. c. *ardentem* emendavit, satis probabiliter, modo quo modo id in *ardenti* conmutatum esset adpareret. Set quid nonne sulphur et taeda sunt, quae in illa massa ardeant? nonne quoniam utriusque idem usus erat, in unum ita coniungi potuere, ut *ardenti* singularis ad utrumque referretur? Nonne denique postpositum videtur, quo loco suo motum gravius ecferretur, quippe quo detracto aut neglecto omnis res minus plana esset? His ego caussis ut hoc quoque loco vetustissumos libros sequerer motus sum.

Iug. 60, 4 num oppidanis tanta vel stultitia vel alacritas ingeni iure tribuatur, ut crediderint sese ab suis audiri aut cerni posse, quod inesse in librorum scriptura *sicuti* — *possent* plerique censuere, in incerto relinquam, mihi Sallustium illud non scripsisse propterea certum est, quoniam *sicuti* cum coniunctivo id tantum significat, quod quis simulet, velut Cat. 38, 3 *alii sicuti populi iura defenderent* — *bonum publicum simulantes* — *certabant* (nec divorsum est Cat. 28, 1 *sicuti salutatum introire ad Ciceronem*). Qua re probavi Linkeri emendationem *sicubi*.

Iug. 63, 4 libri omnes exhibent: *ergo ubi primum tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem eius ignorantibus facile notus per omnis tribus declaratur.* Quae Kritzius sic explicavit: 'licet plerique (etiamtum) faciem eius ignorarent, tamen (conmemoratione strenue factorum ac virtutum) facile notus (factus est et) per omnis tribus declaratur'. Set quaero quo nomine is scriptor adpellandus videatur, qui tam multa lectoribus subplenda relinquat. Praeterea velim exempla proferantur, quibus *notum aliquem alicui facio* dictum esse ab latinis scriptoribus ostendatur. Ceterum quid tanti fuit, si Marius aliorum conmendationi et praedicationi tribunatum militarem deberet? Et qua tandem arte qui de eius facinoribus et virtutibus narrabant, ut facile nosceretur effecere? Scilicet notus fuit, ante quam peteret, facinoribus eius fama evolgatis. Qua re palmam meruit Palmerius, cum *factis* scribundum esse docuit.

Ut de loco Iug. 64, 2 recte iudicetur, primum quid discriminis inter *primo* et *primum* apud Sallustium intercedat dicendum est. *Primo* igitur significare semper *initio* conparatis omnibus locis, Cat.

1) Infra 60, 6 rursus *tela* (sudes et pila) ab igne et lapidibus separata sunt.

10, 3. 6. 11, 1. 17, 1. 24, 1. 3. 45, 4. 47, 1. 48, 1. 51, 29. Iug. 25, 6 (MM²T *primum*) 42, 1. 49, 5. 53, 1. 7. 60, 7. 61, 4. 69, 1. 71, 2. 5. 85, 1. 89, 2. 94, 5. 111, 2. Fr. I 53. II 5. 65. III 27. IV 60, 5, certo cognoscitur, ac Iug. 29, 3, quamquam *primum* multi boni libri exhibent, tamen in archetypo *primo* fuisse inde adparet, quod in P et P¹ id prima manu scriptum est, ab altera *primum* conrectum. *Primum* autem significat, semper quod aliud praecedat, qua re aut in enumeratione usurpatur (Cat. 3, 2. 37, 5. Iug. 6, 1. 13, 6. 14, 11. 45, 2. 64, 2. 85, 45. 102, 7. Fr. III 59, 14), aut eam rem significat, quae ante aliam inciderit, vel tempus quo primum aliquid factum sit; sic *iam primum* Cat. 7, 4. 15, 1 (libri nonnulli *pridem*). *ibi primum* Cat. 11, 6. *tunc primum* Iug. 5, 1. *ubi primum* Cat. 39, 3. 40, 2. Iug. 6, 1. 41, 10. 43, 2. 62, 1. 63, 3. 4. 64, 3. *cum primum* Iug, 7. *ut primum* Fr. IV 28. *quam primum* Cat. 57, 5. Iug. 25, 1. 97, 1. Quae vere disputata esse adparebit, si Fr. II 4 *Daedalus primum Sardiniam, post delatus est Cumas* conparaveris cum II 5 *Aristaeus* — *Cretam tenuit primo* — *postea* — *ad Sardiniam transitum fecit.* Ut iam ad eum locum, de quo dicturus sum, redeam, recte scribi *primo conmotus insolita re* facile adparet, quoniam conmotio animi postea constantiae negandi cessit, prorsus eodem modo quo Iug. 25, 6 scriptum est: *ubi accepit* — *primo conmotus metu ac lubidine divorsus agitabatur* — *vicit tamen* — *pravom consilium;* set non minus apertum est, *mirari primo eius consilium et quasi per amicitiam monere* parum recte scribi, cum is non sit animi adfectus qui alii cesserit, set quod ante alia fecit Metellus; ibi *primum* dicendum fuit. Iam vetustissumi libri paene omnes exhibent *primum conmotus insolita re mirari primum eius consilium.* Num igitur casu factum esse dicemus ut *primum* bis scriberetur, cum omnia plana et recta sint, modo priore loco *primo* emendetur?

Iug. 65, 3 cum *in inperatorem* archetypi scripturam fuisse inde adpareat, quod in recentiore primi generis familia sic scriptum est, nec divorsum quod in P et P¹ inventum *imperatorem*, quippe *in* omissum esse nemo infitiabitur, cumque id loquendi genus ab latinitate non alienum esse ostendant loci a Fabrio adlati Liv. I 23, 4: *magnumque deorum numen ab ipso capite orsum in omne nomen Albanum expetiturum poenas ob bellum impium* et Curt. IV 6, 29 *Achillem* — *se imitatum esse poena in hostem capienda*, nec desit caussa cur id Sallustius dicere maluisse quam *ab inperatore* videatur — etenim eas poenas ut peteret suasit Marius, quae non ab ipso inperatore solven-

dae essent, set eum laederent —, in illa scriptura mihi acquiescendum videtur, praesertim cum librarios miratos insolentiorem locutionem *imperatoris* restituisse indeque *imperatori*, obscurato quod supra adpictum erat *s*, factum esse non prorsus ab veri specie alienum sit. Dativus quo modo ferri possit non video, neque enim ullum eius generis exemplum novi, et, si rationem exploraveris, *poenas alicui petere* significat potius *pro aliquo* quam *ab aliquo petere*. Nolo tamen diffiteri, me non admodum aegre laturum esse, si quis ob eam ipsam scripturae diversitatem haec verba glossema esse iudicaverit. Nam neque desiderabuntur haec verba et eis eiectis Sallustius ambiguitatis vitio liberabitur.

Iug. 67, 2 plerique libri manu scripti exhibent: *id misericordiane hospitis an pactione aut casu ita evenerit parum conperimus*, alii *aut pactione aut casu*, alii *an pactione an casu*. Rem igitur si diligenter consideraveris, cum illud mirum esset unum intactum Turpilium profugisse, duo tantum quaeri potuisse intelleges, utrum casu effugiendi occasionem invenisset, an ea illi ab hostibus data esset: dari autem ab hostibus potuisse aut misericordia aut promissorum spe. Qua re scribundum mihi visum est: *misericordiane aut pactione an casu.*

Iug. 70, 2 speciosiora quam veriora argumenta, quibus olim *clarum acceptumque* advorsus Kritzium defendi, ea nunc prorsus abicio nec dubito contra omnis libros *carum* conrigere, cum id non solum consuetudinem latinorum scriptorum, set etiam rerum ordinem postulare intellexerim. Scilicet quod *clarus* exprimat, id sequentibus dici manufestum est.

Iug. 74, 3 recte Linkerus scripsit: *Nam ferme Numidis in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt;* eam enim scripturam archetypi fuisse atque *numidas* et *tutata* vel *tutati* conrecturas esse ex varietate, quae in codicibus est, adparet. Cum autem *tutus* apud Sall. semper adiectivum sit (vid. Ind.), adeo de coniectura dativus *Numidis* restituendus fuit. Num igitur illa scriptura apta est? Quoniam quae tuta sunt, eis confidi potest, factum est ut *tuta* dicerentur, quae tutum praestent; vid. Duk. ad Flor. IV 3, 22. Caes. B. G. II 28, 1 *victoribus nihil impeditum, victis nihil tutum.* Nec dissimile est Cat. 58, 9: *omnia nobis tuta erunt* i. e. omnia talia, quae nobis ne eripiantur, timendum non sit, ergo quae nos adiuvent. Sententia ergo est: in omnibus proeliis Numidae pedes quam arma tutiora praesidia habent. Quae sententia in universum pertinens an ab hoc loco aliena?

Nonne Sallustium, qui ipse advorsus Numidas bellum gesserat, id etiam postea cognovisse credes?

Iug. 75, 1 cum pro planissumo *ubi* multi libri *ibique* exhibeant, in P et P[1] autem primitus *ubique* fuerit, hoc scribendum esse, membrum relativum praedicatis ad *oppidum* adiunctis addi manufestum est.

Iug. 82, 2 vetustissumorum et optumorum librorum scripturam probavi *supra bonum aut honestum*, cum relicui omnes *atque honestum* retinuissent. Iam dudum enim intellectum est, *bonum* latius spectare et gravius esse, quam *honestum*, illud quod per se rectum esset significare, hoc quod deceret. Ergo scriptor alterum ita adiungere debebat, ut prius quasi conrigeret eo subiecto, quod minus quidem, set si illud inprobaretur, certe tenendum esset, in qua membrorum coniunctione *aut* locum habere ostendi olim ad Cat. 26, 2 p. 99. Cfr. Hand. Turs. I p. 540. Similiter 85, 13 ex optumis libris cum Linkero recepi *quae illi audire aut legere solent*, ubi *et legere* ceteri conprobavere. Etenim rectius Marius dicere videbatur alia illos legere alia audire, non eadem et audire et legere.

In eadem G. Mari oratione nonnulla ex Vaticano emendanda fuere. Levius est 12 *et acta maiorum et Graecorum militaria praecepta*, quoniam utrum hoc probes an cum relicuis libris, ex quibus tamen nonnulli vetustissumi ad 𝔙 accedunt, prius *et* omittendum censeas, ex codicum aestumatione pendet (vid. sup. p. 86). *Possit* autem 16 grammaticam si non flagitare, at rectius dictum ostendere qui eius periti sunt concedent. Diutius dubitavi, num 14 *obiciuntur* ei, quod relicui omnes libri tuentur, *obiectantur* praeferundum esset, set, cum cognovissem etiam aliis locis verba graviora a grammaticis restituta esse (cfr. Iug. 16, 3), etiam in hac re optumo libro obsequium praestandum duxi. 23 *ita se res habent* singulari anteponendum esse facile adparet, quoniam plurali exprimitur, rerum naturam et ordinem ita ferre. Set audacius fecisse videbor, cum paulo post *cuius rei ego inopiam fateor* scripsi, nec quod in P[1] *cuiusce* supra scripto *h* legitur idoneum eius suspicionis munimentum esse clamabitur. Neque ignorabam *hice* ab Sallustio de eis rebus dictum esse, de quibus tum agit (Cat. 17, 5 *huiusce consili* i. e. de quo h. l. dicam. Iug. 80, 4 *huiusce belli* i. e. quod hoc libro scribo), set utique mihi mirum videbatur quo tandem modo librarius ab *huiusce* ad *cuiusce* aberrare potuerit, nisi *cuius* in *huiusce* conrectum legisset, et quod *cuius rei* non tam ad *gloriam maiorum* quam ad conmemorationem eorum factorum fortium refertur, librarios ut *huiusce* scriberent, movisse mihi persuadebam. Tum 26

abunde illis facundiam et conpositam orationem fore non solum 𝔙, set etiam nonnulli ex relicuis libris praebent. Ac dixerit quispiam minus bene procedere ac quasi defluere orationem si non aliud adiectivum ad *orationem* referatur, set substantivum anteponatur. At *abunde* cum *facundiam* coniungendum esse adparet ut membrorum aequabilitas servata sit, Set quamquam non nescio Ovidium Metam. XIII 127 scripsisse *neque abest facundis gratia dictis*, tamen an in pedestri genere *facunda oratio* dici potuerit, vehementer dubito. Etenim cum *facundus* is sit qui fandi id e. verborum profundendorum copia polleat, homo recte ita dicitur (Iug. 95, 3. Fr. IV 25), recte dicitur *libertas* (Quintil. X 1, 55) quippe quae, cum fandi copiam faciat et animum addat, ipsa facunda videatur, oratio, quae ipsa profunditur, dici non potest. Nec vereor ne quis mihi obponat Ciceronem scripsisse d. or. I 54, 231 *sic illam orationem disertam sibi* (Socrati) *et oratoriam videri, fortem et virilem non videri* [1]). Nam cum disertus sit is qui perspicue, dilucide, ad persuadendum apte dicat (Cic. d. or. I 21, 94. Or. 5, 18), hanc virtutem ad orationem transferri posse facile adparet. Infra 27 volgo editur: *Nam me quidem ex animi sententia nulla oratio laedere potest; quippe vera necesse est bene praedicet, falsam vita moresque mei superant.* Quaeritur num praestet, quam antiquissumam scripturam esse non solum ex 𝔙, set etiam ex relicuis libris conpertum est: *praedicent* et *falsa.* Primum igitur adparet, si haec probentur, *vera* neutrum pluralis non posse subiectum haberi, set obiectum esse verbi *bene praedicent*, cuius subiectum sit indefinitum. Haec ergo sententia est: quae vera sunt, ea homines non laudare non possunt, quae falsa, per vitam meam et mores refelluntur et refutantur, vel quoniam vera ea sunt, quae Marius vere fecit: quae feci, non possunt non laudari, quae mihi adfinguntur, ea nullo negotio reiciuntur ac ne egent quidem refutatione. Tum facile intellegitur eum, qui cur se nulla oratio laedere possit exponat, graviore argumento usurum esse, cum in se nihil esse quod non laudari non possit, nihil sibi adfingi posse quod non statim falsum esse cognoscatur ostendat, quam cum orationis genera contraria discernat et altero sibi laudem addi, altero nihil detrahi dicat: ergo illo modo declarare Marium omnino nullam orationem inveniri posse, quae sibi noceat, hoc modo alterum genus sibi laudi fore, alterum non nociturum. Ad quae adcedit, quod qui se nulla oratione laedi posse neget, cum de oratione non vera,

1) *Litterae disertae* Cic. ad fam. III 11, 4. ad Att. VII 2. 8.

set malivola cogitare manufestum est, ergo de generibus orationis quaeri non posse, de eis tantum quaerendum esse, quae malivolorum oratio tangere possit. Quae cum ita sint, hic quoque locus mea quidem sententia quae in 𝔙 sit praestantia docet. — 28 formam *paenitundum* 𝔙 aliorumque scripturae *paenitendum* statim praeponam, cum eius ratio [illegible]enta aut usus exemplis conprobatus fuerit. — 31 *parvi id facio* non est quod defendam, cum iam omnes viri docti id verum esse concesserint. — Set quamquam Vaticani maxumam fidem atque auctoritatem esse agnosco, tamen 32 *quae ad virtutem doctoribus nihil profuerant*, non *profuerunt* probavi, quippe cum plusquamperfecto exprimi videretur: quae eis, qui docuerant, non eam utilitatem praebuerant, ut postea virtutem ostenderent, libertatem scilicet tuerentur ac servarent. Quae sententia confirmatur Plutarchi testimonio, qui Mar. c. 2 hunc locum ita expressit: *ὡς γελοῖον ὂν γράμματα μανθάνειν ὧν οἱ διδάσκαλοι δουλεύοιεν ἑτέροις*. — 39 𝔙 ne Linkerum quidem movit, ut *sordidum me et incultis moribus aiunt* recepto *incultum* mutaret. Et vereor ne multi clamaturi sint *moribus* ita supervacaneum esse. Set id prorsus nego, quoniam iam ab ignorantia litterarum ad novum genus obprobri, mores agrestes, orator transit, ergo docendum fuit, quo *incultus* pertineret. Nec credo defuturos, qui Sallustium variandae orationis studiosum ablativos et genetivos, quos qualitatis grammatici dicunt, cum adiectivis conponere amasse dictitent. At mihi quos finis scriptoris consuetudo habeat, ex librorum fide eo magis explorandum videtur, quo certius quam multa librarii vel errore vel consulto mutaverint, cognitum habeo.

Iug. 86, 3 *cara* vetustissumorum librorum scriptura est; ab ea *cura* profectum (quippe aperto illo *a*) dativum *curae* genuit. Ad sententiam aptissumum illud est. Quae enim cara habemus, ea magni facimus, ne amittamus providemus, retinere et conservare studemus. Cui igitur sua non cara sunt, is facile ac lubenter quoquo ducitur sequitur, ad audendum paratus promptusque est. Et similiter *carus* dictum est Cat. 25, 3 *cariora ei semper omnia quam decus atque pudicitia fuit*. Iug. 15, 3 *quibus bonum et aecum divitiis carius erat*. 16, 4 *paucis carior fides quam pecunia fuit*.

Iug. 88, 1 cum constet *accipere* de modo, quo aliquis adveniens tractetur, saepe dictum esse, de qua re satis est ad lexica relegare, non potui quin *accipitur* ex optumis libris pro eo, quod librariis notius esset, reciperem.

Iug. 89, 7 rationem emendandi putidi et inauditi illius *Africa, quae procul a mari incultius agebat*, quod minume defenditur eis, quae Kritzius ad Iug. 55, 2 contulit, recte vir sagacissumus Linkerus ostendit; a quo in eo tantum discessi, quod cum optumi libri *agebat* exhiberent, facilius et ad sententiam aptius *agebatur* quam *agebant* scribi existumavi. Ea autem emendatione recepta etiam facilius probabitur, quod supra p. 88 exposui *illis* pro glossemate habendum esse, cum sic ultumum membrum ad *ibique et in omni Africa* referatur.

Iug. 92, 5 quod difficilius set ab latinitate non alienum *flumine Muluchae* receperim, non vereor ne a peritis vehementer vituperer, nec magis quod paulo post ex eo, in quo vetustissumi libri consentiunt *omnia natura* scribendum conieci *omnis a natura*, quod recte dictum esse ostendunt, quae Handius Turs. I p. 28 sqq. et Peter. ad Cic. Or. 12, 37 p. 123 disputavere.

Iug. 93, 4 Linkerus et Kritzius Orellii coniecturam *castelli planitiem perrepsit* conprobavere, quam tantum abest ut reprehendam, ut laudem et ingeniosam iudicem. Set si librorum scripturas perlustraverimus, duo videmus antiquissuma esse: *in planitiem pervenit* et *planitiem perscribit*, *perscripsit* pauciorum et recentiorum esse. Quam scripturae divorsitatem quo alio modo natam esse censes, nisi in archetypo obscuratum fuisse verbum statuas? Utrum autem ei quod scriptum fuerat, proxumum ac simillumum videtur, *in planitiem pervenit*, quod glossematis speciem aperte prae se fert, an *perscribit*? Ab utro ergo emendatio repetenda est? His caussis adductus, quod iam antea conieceram, *perscrutatur* reposui. Quod si quis *perrepsit* in nonnullis libris servatum esse monuerit, eam librarii sagacis et acuti emendationem esse teneto.

De loco 94, 1 quoniam ipsi libri emendationem praebuere, nihil dicam, set paulo post 2, quamquam neque Linkerus neque Kritzius adsensi sunt, tamen etiamnum illud quod Obss. p. 7 dixi, tenendum puto, scribendum esse *vetustae radices*, confirmatus eo potissumum, quod in m conr. id inveni. Neque enim *vetustate eminere* recte sic dici puto radices, quae sua vetustate solum perfregerint, multoque minus cum Kritzio de saxis vetustate paulatim adesis, maceratis, solutis cogitari posse concedo. *Vetustae radices* sunt, quarum arbores iam diu caesae aut procellis subrutae. Inde quo modo *vetustate* nasci potuerit, qui quam saepe litterae ab oscitantibus librariis repetitae sint cognoverit, non admirabitur.

Emendati loci Iug. 97, 5 laus debetur Linkero, qui perspexit pervorse dici ab Romanis alios caesos, alios obtruncatos esse; dicendum esse quid Romani divorsi fecerint. Set miror emendationem ab viro doctissumo rectissume iustitutam non perfectam esse. Quo modo enim Romani hostes qui numero priores et undique circumfusi erant ab tergo circumvenire potuere? et cur Sallustius *advorsum hostes* scripsit, cum deberet *advorsum se*? Commodissume P et P^1 exhibuerunt *circumveniri*, unde etiam *multi* et *pugnantes* restituendum adparet.

Timide hanc propono sententiam, videndum esse annon Iug. 98, 1 scribundum sit *manu consulere ac significare militibus. Significare* enim quod solus m exhibet, tale est, quod ut sibi obponatur sequentia *quoniam inperare conturbatis omnibus non poterat* paene videantur efflagitare.

Iug. 100, 4 cum castra non unam portam habeant neque *porta* notio sit, quae collective vel generaliter dici possit, praesertim in re militari, summam diligentiam non solum ab inperatoribus et militibus set etiam ab scriptoribus exigente et postulante, utique probanda est Lipsii emendatio *in portas*, ut Marius diligenter omnes portas praesidiis munivisse dicatur. Paulo post num recte ex librorum vetustissumorum scripturis emendaverim *equites ex auxiliariis* aequi iudices videant. Quod tum *futura* conrigens Sallustium liberavi obprobrio usus ex obsoleta antiquitate repetiti, audacius factum esse multi clamabunt, quippe qui Sallustium omnia sibi indulsisse fingant. Consolor me interea, quod Halmius meus adeo contra A. Gelli N. A. I 7 testimonium ap. Cic. in Verr. V 65, 167 unum *futuram* probandum censuit. Ab Sallustio *futurum* scriptum esse nullus idoneus et locuples testis memoriae prodidit, nec mirum est librarios duritie offensos et *esse* omissum non ferentis participium ad substantivum adaptasse.

Iug. 102, 2 volgo edebatur *velle de suo et de populi romani commodo cum eis disserere.* Dubitavere viri docti num *suus* ad Bocchum relatum recte dictum sit, de qua re disputavi Obss. p. 20—22. Recte autem persensum erat, minus commode Bocchum cum de pace acturus esset, de suo commodo dicere, minus commode suum commodum ante Romanorum conmemorare. Quae omnia removentur, cum optumos libros secuti *de se et de po. ro. commodo disserere* scripserimus. In oratione Sullae quae sequitur 5, cum mihi veri dissimile videretur, librarios quod Sallustius ab *ut* pendere et de Boccho dictum

voluisset ad deos referre maluisse, contra facile quid eos ad conmutandum moverit perspici, quod P[1] exhibet et Naz. confirmat, *dempsere* recipiundum existumavi. Paulo post 6 *inopi* ferri non posse plerique intellexere nec Gerlachio concedi potest aptum esse ad sententiam, quoniam verba significant: cum iam ab principio inops fuerit atque etiamnunc sit, non cum inops esset. Illud solum quaerendum est, utrum cum recentiore primi generis familia eiciundum an emendandum sit. Cum vero non solum in 𝔅, set etiam in relicuis libris omnibus sit, nec caussa inveniatur, cur ab grammatico adiectum videatur, Sellingii coniectura *inperi* mihi conprobanda videtur. Aptissume is genetivus ab Sulla adicitur, quoniam nisi qui inperio potiatur, nemo de servis quaerendis statuere secum potest. Ceterum tenendum est, quod saepe iam monui, archetypi extremam partem neglegentius scriptum aut in ea multa obscurata fuisse, nec deesse exempla quae librarios, quod legere non possent, si ad sententiam non necessarium esset, prorsus omisisse doceant. — Eiusd. cap. 12 cum optumi libri exhibeant *se non hostili animo, set regnum tutandum arma cepisse*, cum per se veri simile est ab Sall. non *ob regnum tutandum*, set *regnum tutantem* scriptum fuisse, tum hoc multo rectius dici adparet. Nam qui arma ob regnum tutandum capit, nondum lacessitus set ne lacessatur bellum ultro inferre potest; at qui regnum tutans arma capit, bello sibi inlato suam terram defendit. At Bocchus hoc ipsum mentitur, caussam sibi belli fuisse, quod Marius eam partem Numidiae, quae sua esset, armis vastavisset (cfr. 110, 6).

Iug. 103, 1 in vetustissumis libris scriptum est: *Tum rursus Bocchus feliciter, seu reputando — seu admonitus — reliquerat, ex omni copia* cet. Recentiores *feliciter* illud omittunt, nec desideratur, at quo modo in libros inlatum sit, nemo dicet, nisi forte aliquis fingit grammaticum ardenti Romanorum vel Mari vel Sullae studio gaudium animi sui, quod sic evenisset, adscribundo illo adverbio profiteri voluisse. Idem igitur in hunc locum cadere adparet, quod supra de 102, 6 monitum est et probanda emendatio, quae in nonnullis libris manu scriptis inventa est, *flectitur* (cfr. 102, 15. Iug. 64, 3 *animus Mari flectitur; flectere animum* Iug. 9, 3. 62, 6. *ingenium* 102, 3). Set qui eam reiecerunt, ei rectissume persensere hiare orationem. Qua re equidem ante *ex omni copia* particulam *igitur* inserundam censui, quod eo minus audacter factum videri debet, quod ab hoc ipso loco ampla illa lacuna, quae in plerisque libris est, incipit. — Eod.

cap. §. 6 *ignorata* pro *ignota* ex optumis libris primus scripsi, quoniam illud, quod postulatur: usu nondum cognita, melius mihi illud exprimere videbatur.

Iug. 104, 3 *Rusone* probavi, quoniam id cognomen in Octavia gente fuisse constat ex Porphyr. ad Hor. Sat. I 3, 86.

GAI SALLVSTI CRISPI

LIBER

DE CATILINAE CONIVRATIONE.

---

1 Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti
2 pecora, quae natura prona atque ventri oboedientia finxit. Set

Testimonia scriptorum. 1. Charis. p. 149 K. *nam accusativus iuxta regulam manente i littera debet enuntiari, hos et has agilis, ut est* 'omnis homines'. p. 139 *Omnes Sallustius in Catilina* 'omnes P. C. qui de rebus dubiis consultant ab odio amicitia i. a. m. u. d.', *cum idem in eodem* 'omneis homines qui sese student praestare ceteris animalibus'; *quod ratione potius esse subnixum sub f et m littera poterit ostendi (cfr.* p. 104 *et* 111*), sed Asper, si genetivus, inquit, omnium i litteram natura retinet, et in accusativo esse servandam.* Priscian. VII p. 358 H. *Omnium quae tam nominativum quam genetivum similem habent, eorum accusativus raro in es, frequenter in is solet terminari ut hic et haec omnis, huius omnis, hos et has omnis. Sallustius in Catilinario:* omnis homines qui sese student. — Arus. p. 260 L. *Studeo me praestare illis. Sal. Cat.* qui sese student praestare caeteris animantibus. — Non. p. 253 R. *Praestare antecellere.* Verg. Aen. lib. VII *o praestans animi iuvenis. Sallustius in Catilinae bello* omnis homines qui sese student praestare. *Terentius Formione vir viro quid praestat?* Diomed. p. 313 K. *ante eo illi et praesto illi dativo casu dicimus, ut* — *Sallustius* praestare ceteris animalibus.

3. Sen. Ep. 60, 3: *Hos itaque, ut ait Sallustius* ventri obedientes, *animalium loco numeremus, non hominum, quosdam vero ne animalium quidem,*

Varietas scripturae. 1. Omnis PP^{2}P^{4}BFM^{2}pgg^{1}g^{3}g^{4}g^{5}g^{6}g^{7}l$\mu\gamma$𝔐𝔊 *margo* T. Omnes *e ras.* M. — se M^2 se^{se}μ. student sese P^{4}pp^{5}p^{6}s^{2}rg^{4}g^7. praestare student p^3. — animantibus P^{3}g^{1}g^{5}g$^7\gamma$. — 2. summa illos ope l. decet niti F. — vitam silentio ne transeant 𝔊. — transeat P. transeant *(supr. scr.* transigant) M^{2}mm^2. transe ant 𝔐. transigant M. veluti pecora transeant g^5. — prona et ventri p^3. ventri atque obedientia 𝔊. obediencia uentri g^{2}g^{4}s$^1\mu$. natura finxit prona atque ventri obedientia g^6. oboedientia PP^{1}MGTFM^{2}g^3. — 3. Set p^{1}s^2 *(semper)*. Omnis nostra

29 rem publicam saepe in maxumis periculis servavere. Non votis
neque subpliciis muliebribus auxilia deorum parantur: vigilando,
agendo, bene consulendo prospere omnia cedunt: ubi socordiae
te atque ignaviae tradideris, nequiquam deos inplores: irati infesti-
30 que sunt. Apud maiores nostros T. Manlius Torquatus bello
Gallico filium suum, quod is contra inperium in hostem pugna-
verat, necari iussit, atque ille egregius adulescens inmoderatae
31 fortitudinis morte poenas dedit: vos de crudelissumis paricidis quid
statuatis cunctamini? Videlicet cetera vita eorum huic sceleri
32 obstat. Verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si fa-

1. Don. ad Ter. V 4, 36: *nae nimis* — — *Sallustius:* nae ista nobis mansuetudo et misericordia.

5. Serv. ad Verg. Ge. III 456: *maiores expugnantes religionem, totum in experientia collocabant.* ' *Sallustius:* non votis neque suppliciis muliebribus deorum auxilia comparantur; vigilando, laborando prospere omnia cedunt: ubi socordiae tete [G. I te. G. II *om.*] atque [*L. aut*] ignaviae tradideris, nequicquam deos implores, irati [*om.* L. R.] infestique sunt.

10. Arus. p. 256: *Pugno in illum. Sal. Catil.* contra imperium in hostem pugnaverat. *Cfr.* Aug. de civ. Dei V 18.

P^3; *varie deteriores libri* timeo *vel* vereor *vel* cavete *adiciunt.* — 1. nobis M *(ex conr.)* M^1g. consuetudo (*sup. al. ma.* man) M. ceperint (*sup.* o) P. coeperint P^1g^4. cooperint (*conr.* coep.) P^3. ceperunt (*ma.* I) M. ceperint arma $P^1\mathfrak{G}$. — 2. convertat $\mathfrak{P}PP^1$. convertatur $P^2P^3P^4GBTM^2pp^1p^3p^5nm^1s^2g^4g^5g^6g^7hrl$. convertantur γ. conververtatur g^3. vertat E $m^2\mathfrak{G}$. vertatur $M^1Fgg^1g^2ss^1\sigma\mu\mathfrak{M}$. vestatur M. — 3. maxume PP^1P^3. maximae m. maxima M^2ET (*ma.* I) $m^1m^2\mathfrak{G}$. maxime timetis sed P^4s^2h. atque mollitia Tg^1. — 4. expectantes $\mathfrak{P}PP^3pp^3p^5g^4$. inmortalibus $\mathfrak{P}P$ (*conr.* imm.) $P^1P^2mgg^5g^7ss^2\sigma\mu\gamma\mathfrak{G}$. — 5. maxumis P^1P^2 *(ex conr.)* P^3M^1B. — 6. votis atque suppliciis P (*set conr.* neque) $MM^1TFp^6g^2\sigma$. supplicis $\mathfrak{P}$ *(Forchh.)*. muliebribus *om.* P^4. mulieribus (*sup.* b, *set al. ma.* mulierum *voluit*) M. auxilia parantur deorum M^1. vigilando (*sup.* sed) P^4M. sed vigilando h. — 7. *Qui libri* agundo *et* consulundo *exhibeant mihi non constat.* prospere omnia $\mathfrak{P}P^1m^1$. omnia prospere $MM^2Fg^1g^7h$. omnia prospera $M^1TEmm^2s^1\sigma\gamma\mathfrak{G}$. *vel.* prospera omnia. caedunt B. — 8. nequiquam $\mathfrak{P}P^3MM^1M^2GB$ (c *eras.*) $TEFg^3s$. nequit quam p. inplores $\mathfrak{G}$. — 9. *Omnes libri* aulus *praeter* g^5, *in quo* T, *et* g^1, *ubi* G *scriptum est*, *et* s^1, *qui praen. om.* mallius $Gp^1p^3p^6g^1g^6g^7r\mu\mathfrak{G}$. malius p^5g^5. — 11. adulescens PP^3gs^2. inmoderatae $\mathfrak{P}P^1Gmm^1m^2sg^7\mu\mathfrak{G}$. — 12. paricidis p^5p^6. patricidis g^7. parricidiis s^2. — 13. vita cetera $MM^1Fpg^6\sigma$. cetera eorum vita Gm^2. vita illorum s^1. vita quorum g^1. huhic (*conr.* huic) P. huic *sup. lin.* m^1. — 14. vero $\mathfrak{P}P$ (*sup.* certe) P^1 (*sup.* verum) P^4p (*sup.* certe). parcite vero h.

mae suae, si deis atque hominibus umquam ullis pepercit: igno- 33
scite Cethegi adulescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. Nam 34
quid ego de Gabinio Statilio Caepario loquar? quibus si quicquam
umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica habuissent.
Postremo, patres conscripti, si mehercules peccato locus esset, 35
facile paterer vos ipsa re conrigi, quoniam verba contemnitis:
set undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus
urguet, alii intra moenia atque in sinu [urbis] sunt hostes, neque
parari neque consuli quicquam occulte potest: quo magis prope-
randum est.

Quare ita censeo: cum nefario consilio sceleratorum civium 36
res publica in maxuma pericula venerit, eique indicio T. Volturci
et legatorum Allobrogum convicti confessique sint, caedem incendia
aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque para-
visse, de confessis, sicuti de manufestis rerum capitalium, more
maiorum supplicium sumundum.'

Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus 53

---

1. suae *om.* F, *sup. lin. al. ma.* M. atque hominibus 𝔅P *(ad marg.)* P^4 Bmg^4 *(ex conr.)*. aut hom. *relicui.* et hominibus s^1. ac hominibus p. — 2. adulescentiae $PP^1P^2P^3gs^2$. *Plerique libri* nisi iterum iam, *set* iam *om.* 𝔅 *(Forchh.)* $PP^3GBp^1p^3p^5p^6ss^2g^4g^5\mu\gamma$. alterum Epm^2s^1l𝔊, *sup.* T. facit (*sup.* fecit) T. — 3. Statilio gabinio 𝔅p^5p^6g. — 4. pensi unquam P^4 p^3l. pensi quicquam unquam r. unquam quicquam g^5. unquam *eras.* m, *om.* $m^2gg^1g^2g^3s^1\mu$, *ad marg.* g^4. quicquam *om.* σ. — 5. mehercules P (*m.* I) Emm^1m^2s𝔊. simile hercule (*conr.* si me hercule) P^1. mehercle P^3 $P^4p^3g^6l$𝔐ℜ. meercule pgg^1. mehercule *relic.* si me hercule p. c. peccato M^1. — 6. quoniam omnia verba P^2. verba (*sup.* mea) Tg^5. verba mea cont. $p^5g^1h\gamma$. contempnitis $PP^1P^3P^4MM^1GBpp^3p^6mm^1m^2g^2g^6ss^1s^2l\sigma\mu$. contenpnitis P^2g. negligitis 𝔊. — 7. urguet $M^1p^1g^7$ (*ma.* I), urget *omnes relic.* faucibus (*conr.* faucis) *Comm. Grut.* in faucibus p^5g^4(*m.* I)μ𝔊. catilina urget cum exercitu in faucibus p^6. in faucibus italiae urget p^1 $p^5g^6\gamma$. faucibus italiae urget g^5. faucibus italiae cum exercitu urget g^4. urget italiae g^1. italiae *sup. lin.* T, *ad marg.* s^2. in faucibus Etruriae agit *Linker Emend. in Sall. p.* 18. urget, alii in sinu sunt hostes *Hertz Philol.* XII 2 *p.* 378. — 8. urbis *om.* 𝔅, *set* in sinu urbis *omnes libri.* in senatu *Linker l. c.* hostes *sup. lin. m. Vid. Comm. p.* 69. — 9. quicquam *sup. lin.* G. potest occulte $PP^1P^2P^3P^4MM^1M^2Gpp^1p^6mm^1m^2g^3g^4g^5g^6g^7ss^1rl\sigma\mu$𝔊. quanto (*sup.* quo) T. — 11. ego ita censeo 𝔖$PP^3Bp^5g^5$r. ita censeo ego $P^1P^2MM^2G$ $TEFpp^1p^3p^6mm^1m^2g^1g^3g^6ss^1hl\mu\gamma$𝔐ℜ𝔊. censeo ita ego M^1. ego *om.* gg^2g^7, *del.* g^4, *uncis circumdedit Linker. Selling. em. p.* 32. nefario sceleratorum consilio civium M^1. — 12. maxuma M^1. summa 𝔖. T. *om.* EM^2gg^1, *sup. lin.* Tm. Volturci B. vulturcia 𝔖P. — 13. legatorumque T. — 14. sese foeda p. se *sup. lin.* s, *om.* $Ep^1p^3p^5mm^1m^2g^1g^2g^3g^4g^5g^6s^1s^2hrl\gamma$𝔊. civis PP^1P^2 (*conr.* es) M^2. in cives paravisse et patriam M^1. — 15. sicut $P^1M^1Bg^1$r. — 16. more malorum E. sumendum *optumi libri; in quibus* sumundum *scriptum sit, parum conperior.*

17. Postea Cato m. adsedit PP^3Bp^3l. senati *Link.*

magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum
ferunt: alii alios increpantes timidos vocant, Cato clarus atque
magnus habetur: senati decretum fit sicut ille censuerat.
2 Set mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Roma-
nus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit,
forte lubuit adtendere, quae res maxume tanta negotia sustinuisset.
3 Sciebam saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium
contendisse, cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis
regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia
4 Graecos gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. Ac mihi multa
agitanti constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta
patravisse, eoque factum uti divitias paupertas, multitudinem pau-
5 citas superaret. Set postquam luxu atque desidia civitas conrupta
est, rursus res publica magnitudine sua inperatorum atque ma-
gistratuum vitia sustentabat, ac, sicuti effeta *aetate* parentum, multis

3. Char. p. 143: *senati Sallustius* 'senati decretum fit'. Prisc. VI p. 258: *senati pro senatus Sallustius in Catilinario:* senati decretum fit, sicut ille censuerat.

4. August. de civ. Dei V 12: *sicut idem historicus dicit* multa sibi legenti et audienti, *quae po. Ro. domi militiaeque mari atque terra praeclara facinora fecerit, se [an forte?] libuisse attendere*, quae res maxime tanta negotia sustinuisset, *quoniam sciebat* saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse *Ro. cognoverat* parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, *sibique* multa agitanti *constare dixit*, paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse eoque factum ut divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. Sed postquam luxu atque desidia, *inquit*, civitas corrupta est, rursus res publica magnitudine sua imperatorum atque magistratuum vitia sustentabat.

7. Arus. p. 218: *contendo tecum. Sal. Cat.:* cum magnis legionibus hostium contendisse.

---

2. magnus atque clarus $P^{4}Tp^{3}p^{6}g^{2}s^{1}hl\sigma$. magnus et clarus m^{1}. magnus atque praeclarus g^{1}. claros (*sup.* v) M. — 3. senati P (*set* i *del.*) P^{1} (*corr.* us) $P^{4}Em$ (*m.* I *ut vid.*) g^{1} *(in quo ad marginem homo doctus monuit, omnes Sallusti libros hic mendosos esse. Prisciani auctoritate* senati *scribendum)* g^{6}. senatus *relic.* senatu p. decreto TF (*m.* II) $sg^{6}\sigma$. sicuti ille $M^{2}p^{6}mm^{2}g\ s^{1}$𝔐. uti ille 𝔊. consulerat P. consuluerat s^{1}. — 4. multa mihi $P^{3}B$. multaque aud. $P^{4}s^{2}g^{4}g^{5}g^{7}$ *(rec. ma.)* $\mu\gamma$. et multa $g^{6}l$. r. p. mm^{1} *(in ras.)* $ps^{1}\sigma$. — 6 adtendere $P^{1}P^{2}P^{3}\mu$. maximae P. maximae 𝔐. — 7. parva manu *sup. lin.* F. — 9. regebus (*corr.* -gibus) P. regionibus g^{4}. — 10. At mihi $Bp^{5}s^{1}g^{4}g^{7}l$. — 11. virtutem egregiam M^{1}. — 12. ut $Gp^{1}p^{3}r\mu$. — 13. superasset $TEM^{2}p^{6}$ (*ma.* I) g^{3}𝔐𝔊. superavisset g^{1}. superaret (*sup.* asset) m^{2}. — 15. sicuti $P^{1}P^{2}P^{3}MM^{1}M^{2}GBp^{1}p^{3}p^{5}p^{6}mm^{1}m^{2}g^{1}g^{2}g^{3}g^{4}g^{5}g^{6}g^{7}ss^{1}s^{2}\sigma\mu$𝔐𝔊. veluti (*sup.* vel sicuti) P^{4}. *Plerique libri:* effeta parentum. *Selling. lect. p.* 15. effeta $\overline{ca}$ parentum (ca *in ras.*) 𝔐. effeta parentum (*sup.* virtute) g. sicut effeta esset parentum h. effeta R. p. parentum σ. parento $l\gamma$ *(quod coni. adsecutus erat Badius)*. effeta parente in *Müller*. effeta parientium *Orell.* effeta aetate parentum *coniectura mea.*

tempestatibus haut sane quisquam Romae virtute magnus fuit.
Set memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, 6
M. Cato et G. Caesar. Quos quoniam res obtulerat, silentio prae-
terire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores,
quantum ingenio possem, aperirem.

Igitur eis genus aetas eloquentia prope aequalia fuere, magni- 54
tudo animi par, item gloria, set alia alii. Caesar benificiis ac mu- 2
nificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. Ille mansuetudine
et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat.
Caesar dando sublevando ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam 3
adeptus est. In altero miseris perfugium erat, in altero malis
pernities: illius facilitas, huius constantia laudabatur. Postremo 4
Caesar in animum induxerat laborare vigilare, negotiis amicorum
intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset:
sibi magnum inperium, exercitum, bellum novom exoptabat, ubi
virtus enitescere posset. At Catoni studium modestiae, decoris, set 5
maxume severitatis erat: non divitiis cum divite neque factione
cum factioso, set cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum

2. Aug. de civ. D. V 12: *Laudat idem Salustius — M. Catonem et G. Caesarem, dicens quam diu illa respublica non habuit (habuerit?)* quemquam virtute magnum, sed sua memoria fuisse *illos duos* ingenti virtute, diversis moribus.

8. Capitol. Max. et Balb. c. 8: *Denique nonnulli quemadmodum Catonem et Caesarem Sallustius comparat, ita hos quoque comparandos putant, ut alterum severum clementem alterum, bonum illum istum constantem, illum nihil largientem hunc affluentem copiis omnibus dicerent.*

15. Aug. l. c.: *In laudibus autem Caesaris posuit, quod* sibi magnum imperium, exercitum, bellum novum exoptabat, ubi virtus enitescere posset.

---

2. duo viri Gp^{1}m^{1}g^{6}σγ. — 3. G. cesar et m. cato P^{3}p^5. — 5. ingenium *m.* I Mg^5. possum PMM^{1}g^{2}sl.

6. iis PP^1 (*conr.* his) B (*sup.* h). aestas P. eloquentiae P^1. prope *om.* m. — 7. beneficis P^1. ac munif. PP^{3}MM^{1}M^{2}GBTEFpp^{3}p^{5}mm^{1}gg^{1}g^{2}g^{3}g^{6}g^{7}ss^{2}lσμγ𝔐. et mun. g^4. atque mun. *relic.* — 9. huhic P. — 10. *Omnes libri* largiendo. — 11. miseri's M^1. refugium pp^{5}p^{6}σμ. profugium p^{3}lg^{5}g^{6}g^{7}rγ. erat *sup. lin.* Fg^2, *del.* g^4, *om.* pp^{6}g^{5}σ. — 12. facultas M (*conr.* facilitas) M^2. — 14. neglegere PGp^{6}g^{3}𝔐. quod bono P^1 (*conr.* dono) EM^{2}mm^1 (*sup.* vel dono) g^{6}𝔊. quo dono p^1. quod dignum esset dono T *ex conr. et sup.* bono. quod bonum dignumque esset m^2. quod dignum donum esset M. — 15. bellum novum PP^{1}P^{2}P^{3}MM^{1}M^2 (belli) GBTEFpp^{1}p^{3}mm^{1}m^{2}gg^{1}g^{3}g^{4}g^{5}g^{6}ss^{1}s^{2}lhrσμγ𝔐𝔊. novum bellum *relic.* exobtabat P^{3}g^5. — 16. Cathoni P. Catonis (*sup.* Catoni) T. — 17. maxumae severitatis P. *Petores libri passim* de *addunt.*

innocente abstinentia certabat: esse quam videri bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illa sequebatur.

55 Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul, optumum factu ratus noctem quae instabat antecapere ne quid eo spatio novaretur, tresviros quae ad subplicium postulabat
2 parare iubet: ipse praesidiis dispositiis Lentulum in carcerem de-
3 ducit: idem fit ceteris per praetores. Est in carcere locus, quod Tullianum adpellatur, ubi paululum descenderis ad laevam, circiter
4 duodecim pedes humi depressus. Eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta, set incultu tene-
5 bris odore foeda atque terribilis eius facies est. In eum locum

2. Aug. de civ. D. V 12: *Melius laudatus est Cato. De illo quippe ait:* quo minus petebat gloriam, eo magis illum sequebatur.

7. Charis. p. 76: *quamvis quidam velint neutro genere Sallustium dixisse:* est in carcere locus quod Tullianum appellatur, *sed frustra; 'quod' enim a Sallustio absolute Tulliano coniunctum est.* Serv. ad Verg. Aen. I 159: *medium illud pronomen proprii nominis genus sequitur, ut Sallustius:* est in carcere locus quod Tullianum appellatur. *Ecce proprio coniunxit, non appellativo. Tullianum enim proprium est, carcer appellativum.* Id. ad XII 897.

9. Arus. p. 234: *humi nascuntur.* — *Sal. Cat.* humi depressus.

---

1. bonos (*sup.* u) P. — 2. gloriam petebat $P^4GFp^5lg^4$ (*m.* II). eo magis illum sequebatur Ehr. illum *om.* g^1. eo magis illum assequebatur P (*m.* I ads.) P^1 (ads. *set conr.* illam) P^4GF (*fortasse ex conr.*) pm (ads.) m^1m^2 g^3s (ads.) 𝔐ℜ𝔖 *Nazar. teste Grutero.* eo illum magis ass. p^1. eo magis illam assequebatur P^2 (ads.) P^3 (et magis) $MM^2BTp^3p^5$ (et magis) $gg^2g^4g^5$ $g^7s^1l\sigma\mu\gamma$. illam *ad marg.* s^2. eo magis eam assequebatur g^6. quo minus petebat gloria magis assequebatur h. ita quo minus gloriam petebat eo magis illam assequebatur *ad marg. al ma.* M^1. illa *Paris.* d *apud Burnouf, id quod ego iam antea conieceram scribendum esse. Vid. Comm. p.* 113.

3. in sententiam Catonis $MM^1M^2TEFp^1p^6mm^2g^1g^2h\sigma\gamma$𝔐ℜ𝔖. — 4. optumum PP^2 (*ex conr.*) P^4m^1. facturus (*conr.* factu ratus) P. optimum factum p^3g^4. antecapere |||.||||||| ne P. — 5. quae ad supplicium postulabat P (postolabat) P^1 (postulabant) $P^2P^4MM^1EFpp^1p^3p^5gg^1g^5$ (postulabant) $g^7slr\mu\gamma$𝔖, ad supplicium quae p^6. q. ad supplicia m^2. triumviros |—| quae ad suppl. g^4. quos ad suppl. *ex conr.* s^2. triumviros supplicium parare h. triumviros ad supplicium post. *Comm. m.* II *teste Grutero.* triumviros qui supplicium g^6. ad *eras.* Bmm^1g^2. ad *sup. lin.* TM^2 (*set in hoc* quod *est*). *Libri plerique* III viros. — 6. preparare p. ad carcerem (*conr.* in) P. ducit 𝔖 *Comm. testante Grutero.* — 7. ceteris fit M^1g^1. qui MM^1Fpm^1 (*ma.* I). — 8. Tullianus MM^1. apellatur P. descenderis $g^4\sigma$ *Comm. Grutero teste; relicui* ascenderis, *set in* F *aliquid erasum videtur;* escenderis *Palmer.* ad laevam ascenderis $p\mu$. — 9. duodecim circiter T. circiter *om.* MM^1p, *sup. lin.* 𝔐ℜ. — 10. iuncta *perspicue scriptum* $P^3MM^2mlg^4g^5$𝔐ℜ; *in relicuis vix discerni potest, utrum* vincta *an* iuncta *habeant.* incultu Pmm^2 (*conr.* —a) g^3s𝔖. *Naz. ac Comm., si Grutero fides;* inculta *relicui.* — 11. odere P. opere (*conr.* odore) P^1. eius species E. lo||||cum P.

postquam demissus est Lentulus, [vindices rerum capitalium] qui-
bus praeceptum erat laqueo gulam fregere. Ita ille patricius ex 6
gente clarissuma Corneliorum, qui consulare inperium Romae ha-
buerat, dignum moribus factisque suis exitium vitae invenit. De
Cethego Statilio Gabinio Caepario eodem modo supplicium sum-
ptum est.

Dum ea Romae geruntur, Catilina ex omni copia, quam et 56
ipse adduxerat et Manlius habuerat, duas legiones instituit, cohor-
tis pro numero militum conplet: deinde ut quisque voluntarius aut 2
ex sociis in castra venerat aequaliter distribuerat, ac brevi spatio
legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duo-
bus milibus habuisset. Set ex omni copia circiter pars quarta 3
erat militaribus armis instructa, ceteri ut quemque casus arma-
verat sparos aut lanceas, alii praeacutas sudis portabant. Set post- 4
quam Antonius cum exercitu adventabat, Catilina per montis iter

4. August. Ep. XLIII: *dignum moribus factisque suis exitum maculati repererunt.*
10. Non. p. 340: *Dativus pro accusativo.* — — *Sallustius Catilinae bello:* brevi spatio legiones numero hominum expleverat, cum initio non amplius duobus milibus habuisset.
11. Arus. p. 211: *Amplius illa re.* — *Sal. Catil.:* amplius duobus millibus.
12. Non. p. 381: *Lanceae tela sunt non bellica. Sallustius in Catilinae bello:* sed ex omni copia circiter pars quarta erat militaribus armis instructa; ceteri ut quemque casus armaverat, sparos aut lanceas, alii praeacutas sudes portabant. Serv. ad Verg. Aen. XI 682: *sparus est rusticum telum in modum pedi recurvum. Sallustius:* sparos et lanceas alii praeacutas sudes portare.

---

1. dimissus P (*conr.* de) P^3P^4B (*sup.* e) $M^2Ep^5p^6m^1m^2g^1g^3g^6g^7sl\sigma$𝔖. missus g (*m.* I). *Verba* vindices rerum capitalium *delevit Cortius (Conm. p. 71): tenent plerique libri, set* indices P^3P^4 (*sup.* vel demonstratores) $BETFp^3slg^7$ *(ex conr.)* $h\mu$. indicem r. iudices $pp^5\sigma$. Lentulus dices *m.* I, *conr.* Lentulus et per indices *Naz. secund. Grut.* Lentulus et indices Pmm^2. ei indices (*sup.* demonstratores) P^1 [ei vindices *Grut. coni.*]. Lentulus per indices $MM^1M^2Gm^1g^1g^2g^3$. por iudices 𝔐. per vindices s^1𝔖. capitalium rerum $Gp^3g^4g^6hr$. capitolium m. — 2. praeceptum *om.* B. — 3. gente clariss. $PP^1P^2P^3P^4MM^1M^2GBTEFpp^1p^3p^5p^6mm^1m^2g^3g^4g^5g^6g^7ss^1s^2l\sigma\mu$𝔐𝔖. *relicui* clarissima gente. cornelium (*conr.* orum) P. habuerat Romae M^1 habuerat (*sup.* n) M. — 4. exitum Ep^5g^4 *(ex conr.)* $g^5g^6g^7$. — 5. gabinio cepario *ad marg.* M.

7. Cum ea $M^1M^2TFg^1\sigma$. ū ea M. Dum hec $p^1mm^2\gamma$. dum rome hec p^3. Dum romae (*sup.* haec) P^3B. quam ipse $MM^1M^2EFp^5p^6mm^1m^2g^1g^2g^3g^5g^7hr\sigma\gamma$𝔐𝔖. et *sup. lin.* T. — 9. pro numero *ad marg. al. ma.* M. conplet m^1. complet militum M^2 *(set conr.)* m. ut quisque *plerique libri, pauci* uti. — 10. uenit MF. — 11. duobus non amplius P^4. — 13. ceteros P^4. ut quemque $PP^3P^4MM^1M^2BTEFpp^3p^6mm^1m^2gg^1g^4g^5g^6g^7ss^1s^2hr\sigma\mu\gamma$𝔐. uti quemque *al.*, ut quem casus P^2Gg^3𝔖. sicuti quemque g^2.

facere, modo ad urbem modo in Galliam vorsus castra movere,
hostibus occasionem pugnandi non dare: sperabat prope diem ma-
gnas copias sese habiturum, si Romae socii incepta patravissent.
5 Interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae
concurrebant, opibus coniurationis fretus, simul alienum suis ratio-
nibus existumans, videri caussam civium cum servis fugitivis con-
57 municavisse. Set postquam in castra nuntius pervenit Romae con-
iurationem patefactam, de Lentulo et Cethego ceterisque quos supra
memoravi subplicium sumptum, plerique, quos ad bellum spes ra-
pinarum aut novarum rerum studium inlexerat, dilabuntur, relicuos
Catilina per montis asperos magnis itineribus in agrum Pistorien-
sem abducit eo consilio, uti per tramites occulte perfugeret in
2 Galliam [Transalpinam]. At Q. Metellus Celer cum tribus legio-
nibus in agro Piceno praesidebat, ex difficultate rerum eadem illa
3 existumans, quae supra diximus, Catilinam agitare. Igitur ubi
iter eius ex perfugis cognovit, castra propere movit ac sub ipsis

1. Prisc. sup. 12 vers. Aen. p. 1283: *versus — adverbium esse invenitur — Sallustius tamen etiam praepositionem et anteposuit in Cat.* in Galliam versus.

4. Prisc. XVII p. 1090: *Sallustius in Catilinario:* interea servitia repudiabat, cuius initio ad eum magnae copiae concurrebant. '*Cuius*' *enim singulare ad rem retulit, i. e. cuius rei, servitiorum.*

---

1. in *om.* $PP^1P^2P^3P^4M^1M^2GBTpp^1p^3p^5p^6m^1gg^3g^7lh\gamma$𝔖, *eras.* m. modo uersus Galliam $g^2\mu$. modo urbem modo Galliam versus g^6. modo Galliam modo ad urbem versus σ. modo ad Galliam versus MFg^1r (gallias). ad *sup.* g^4. modo ad in galliam versus E. movere scilicet ut fatigarent Antonium cum suis P^3B. — 2. sperans MM^1M^2T (*sup.* sperabat) $Fp^6g^1g^2h\sigma$𝔖. *Selling. em. p.* 35. sperabat (*sup.* ans) m^2. — 4. interrea M. quorum F *(set in ras. ut videtur)* pp^3g^1l. cuius (*sup.* quorum) m^1. cuius rei $p^5p^6s^1s^2g^6g^7r$. magnae ad eum copiae $M^1\sigma$. magnae copiae ad eum $p^5\gamma$. — 5. simul *om.* Emg^3𝔖 *Naz. et Comm. teste Grutero, ad marg.* m^2, *sup. lin.* 𝔐. — 6. existumans M^1. videri *sup. lin.* P. — 7. comminicase (*sup.* vis) P^4. communicasse $pm^1m^2g^2g^6l\gamma\sigma$.

in crastinum, *conr.* in castra P^1. venit (*sup.* per) P^1. coniurationem Romae G. — 8. de | lentulo P. et *om.* $MFp^3p^5g^7s^1\sigma$. et ceterisque P^3. de lentulo cetego ceteris g. et ceteris p^6g^1. ceterisque *om.* σ. — 10. rapinarum spes P^2. — 11. at M. inlexerat P^1. delabuntur (*conr.* di –) Pg^3. dilabantur P^3G *(conr.)* m^1. — 11. pistorionsem P. pistoriosem P^1P^2. pistoriosen P^3B. — 12. abduxit P^3𝔐. adducit $P^4pp^1p^3p^5gg^1g^5g^6g^7s^2r\mu$ (*m.* I) γ. adduxit g^4. perfugeret B. perfugerat g^7. perfugerent P^4M $M^1M^2GFpss^1h\gamma$𝔐. profugerent l. — 13. in galliam transalpinam perfugeret s^2. fugeret r. *Ceterum* Transalpinam *omnes libri tenent.* Q. *del.* P^2𝔐, *om.* M^2. atque metellus $P^3mm^1m^2$ (*sup.* quintus) gs^2h. ad metellus g^1. — 14. residebat P^1 (*sup.* prae) h. — 14. existumans PP^1P^2 (*sup.* i) P^3M^1. — 16. profugis p^5lg^4(*m.* I)$g^5g^6\mu\gamma$. propre removet (*sup.* i) P^1. movit $PP^3M^1GBpp^1p^3p^5m^1gg^2g^3g^4g^5g^6g^7sl\sigma\mu\gamma$𝔐𝔖. movet *relicui.* movet (*sup.* it) m^2.

radicibus montium consedit, qua illi descensus erat in Galliam
properanti. Neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno 4
exercitu locis aequioribus expeditus *inpeditos* in fuga sequeretur.
Set Catilina postquam videt montibus atque copiis hostium sese 5
clausum, in urbe res advorsas, neque fugae neque praesidi ullam
spem, optumum factu ratus in tali re fortunam belli temptare statuit
cum Antonio quam primum confligere. Itaque contione advocata
huiuscemodi orationem habuit:

'Conpertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere, 58
neque ex ignavo strenuum neque fortem ex timido exercitum oratione
imperatoris fieri. Quanta cuiusque animo audacia natura aut 2
moribus inest, tanta in bello patere solet: quem neque gloria neque
pericula excitant, nequiquam hortere: timor animi auribus
obficit. Set ego vos quo pauca monerem advocavi, simul uti caus- 3
sam mei consili aperirem.

Scitis equidem, milites, socordia atque ignavia Lentuli quantam 4

2. Prisc. XVIII p. 1197: *Attici* παρεσκευάζοντο ὡς ποιήσοντες τόδε et ποιῆσαι τόδε. *Similiter nostri. Sallust. in Catilin.* neque tamen Antonius procul aberat, utpote qui magno exercitu locis aequioribus expeditos in fuga sequeretur.

---

1. ubi illi T. quia illi p. discessus Eg^3h𝔊. discensus M^2𝔐. — 3. expeditos $PP^1P^2P^3P^4MM^1M^2GBTEFp$ (in fuga expeditos) $p^1p^3p^5p^6mm^1gg^1g^2g^3g^4g^5g^6g^7ss^1s^2lhr\sigma\gamma$𝔐𝔊. expedito μ. *rel.* expeditus. in fugam $M^2p^3p^6m^1gg^1g^2g^4g^7sr\gamma$. *Cur* expeditus inpeditos *scribundum censeam vid. Comm. p.* 19. verteretur (*conr.* sequeretur) P^1. prosequeretur g^7. set *sup. lin.* P^1. — 4. videt montibus *sup. lin.* P. videt *Comm. omittere Grut. adnotavit.* esse se clausum (*conr.* sese) P^1. se esse clausum g^6. se clausum (*sup.* esse) T. se clausum $m^1g^2\mu$𝔊. clausum sese g^3. sese circumventum in urbe g^7. — 6. optumum PP^2 *(ex conr.)* M^1. factum p^3g^4(*m.* I)g^7𝔊. — 7. affligere (*sup.* confl.) E. conflictare p^1 *(ex conr.)* g^5. contione $PP^1P^2P^4MM^1M^2GBp^1p^3p^5g^3g^4sl$𝔐𝔊. constione E. ̄ctione g^3. condicione μ. concione *rel.*

9. Conpertum P (*conr.* comp.) $P^1P^2g^7$. ergo E. ego *om.* $P^4M^1p^6g^1g^6r$, *del.* g^4, *sup. lin.* G. habeo ego p^3. o milites P^3Bpp^3 *(po. ma.)* $hr\sigma$. verbo P^3B *(set* o *in ras.)* F. verba virtutem, *sup.* viris GTm. verba viris virtutem $m^1g^1g^3l\sigma$. virtutem viris non p^5p^6 *(ab rec. ma.)* $g^5g^6\gamma$. viris *del.* g^4. — 10. exercitum *om.* P^4. — 11. quanta cuique animo $MM^1M^2TEFp^3m\,g^7\sigma$𝔐. quanta cui animo g^3. quanta cumque animo g^2. quanta cuiuscumque an. p^5g^1. cuiusque audacia animo m^1. — 13. nequiquam 𝔙P *(ex conr.)* $P^3MM^1M^2Gg^3ss^2\mu$𝔐. nequicquam *rel.* hortere (*sup.* ris) M^2p^6. horteris p^1. hortare P^2 (*ex* hortere *conr.*) $pp^3p^5g^3s^2\mu$ (*dub. de* r). hortaris m^1 (*sup.* vel hortere) g^1. ortari g^7. — 14. obficit 𝔊. admonerem Emm^2 h𝔐𝔊. *Comm. teste Grut.* monerem, *sup.* ad m^1. praemonerem *ab ma. secunda Nazar. habere adfirmat Grut.* moverem p. — 15. aperire E. — 16. scitis quidem P^3. milites, *sup.* o B. o milites s^2hr. quantum P.

ipsi nobisque cladem adtulerit, quoque modo, dum ex urbe prae-
5 sidia obperior, in Galliam proficisci nequiverim. Nunc vero quŏ
6 [in] loco res nostrae sint, iuxta mecum omnes intellegitis. Exercitus hostium duo, unus ab urbe, alter a Gallia obstant: diutius in his locis esse, si maxume animus ferat, frumenti atque aliarum
7 rerum egestas prohibet: quocumque ire placet, ferro iter aperiun-
8 dum est. Qua propter vos moneo, uti forti atque parato animo sitis et cum proelium inibitis memineritis vos divitias decus gloriam,
9 praeterea libertatem atque patriam in dextris vostris portare. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt, conmeatus abunde, municipia atque coloniae patebunt: sin metu cesserimus, eadem illa advorsa
10 fient: neque locus, neque amicus quisquam teget, quem arma non
11 texerint. Praeterea, milites, non eadem nobis et illis necessitudo inpendet: nos pro patria pro libertate pro vita certamus, illis supervacaneum est pugnare pro potentia paucorum.

12 Quo audacius adgredimini, memores pristinae virtutis. Licuit
13 vobis cum summa turpitudine in exilio aetatem agere, potuistis
14 nonnulli Romae amissis bonis alienas opes expectare: quia illa

---

1. ipsis cladem nobisque G. sibi nobisque $m^{1}g^{7}$. illi nobisque g^{6}. que *om.* σ. vobis꜀ $\mathfrak{G}$. attulerit *plerique libri.* adtulerit $P^{2}p^{3}mm^{1}gg^{1}r$. atulerit P. attulerit (*sup.* rint) g^{3}. attulerint g^{5}. attulerat p^{5}. attulit p^{6}. intulerit g^{7}. quo modo P^{4} (*sup.* que) $s^{1}r$. modo quoque h. — 2. operior $P^{4}M^{1}p^{1}p^{3}p^{5}gg^{1}g^{2}g^{3}s^{1}l\mu$. nequiveram (*conr.* —im) P. — 3. quo in loco $P^{1}P^{2}MM^{1}M^{2}GTEFpp^{5}p^{6}mm^{1}m^{2}g^{2}g^{3}g^{7}\mathfrak{M}\mathfrak{G}$. in quo loco p^{1}. quo illo loco g^{1}. in *om. rel.* omnis $\mathfrak{B}$. intellegitis $\mathfrak{B}P^{1}M^{1}Tg^{3}\mathfrak{M}$. — 5. in hoc loco $\mathfrak{G}$. in his | locis (esse *ad marg.*) M. in his esse locis $M^{1}l$. esse in his locis $\mathfrak{G}$. esse *om.* F, *sup. lin.* g^{7}. atque *om.* E. — 6. aegestas P. quocumque $\mathfrak{B}P$. apperiundum P. aperiundum $P^{3}M^{1}M^{2}Gsg^{4}\mathfrak{M}$. — 7. est *om.* mm^{1}, *a po. ma.* p^{6}. est aperiendum g^{1}. ut forti $P^{2}\gamma$. — 8. praelium $\mathfrak{B}Pp^{5}g^{1}$. inhibitis $Pp^{5}g^{1}$. in|||tis r. — 9. dextris $\mathfrak{B}PP^{1}P^{2}P^{3}P^{4}MM^{1}M^{2}Gpp^{3}p^{5}p^{6}mm^{1}m^{2}gg^{1}g^{2}g^{3}g^{4}g^{5}g^{6}g^{7}ss^{1}s^{2}\sigma\mu\gamma\mathfrak{M}\mathfrak{G}$. dexteris *relicui.* — 10. commeantus P (*conr.* —atus). conmeatus P^{2}. comeatus $M^{2}r\gamma$. municipiae mm^{2} (*sup.* a). — 11. si metu *quod sciam omnes libri.* sin *Link. Kritz.* — 12. fiunt F. tegit $\mathfrak{B}P^{4}$. quem non texerint arma T. — 13. texerunt $pgh\sigma$. — 14. inpendet $P^{1}s\mathfrak{G}$. impendit $\mathfrak{B}$ (*ma.* I *ut visum Forchhammero*) M^{2}. pro patria libertate pro vita MFg. pro vita *om.* p. — 15. supervacuaneum Pm^{1} (*sup. scr.*). supervacuum Gl. illis — pro potentia *om.* σ. pugnare pro potentia paucorum $\mathfrak{B}P^{1}P^{2}M^{2}p^{1}mm^{1}m^{2}gg^{1}g^{3}g^{7}h\sigma\mathfrak{M}\mathfrak{G}$. pugnare pro paucorum potentia P^{4}. pro potentia paucorum pugnare *rel.* potentia *sup. lin. al. ma.* M^{1}. — 16. adgrediamini P (*conr.* aggr —) $P^{1}BTEm^{1}sr\mathfrak{G}$. aggrediamini $MM^{1}M^{2}Fpp^{5}mm^{2}gg^{1}g^{2}g^{3}g^{5}g^{6}s^{1}\mu\gamma\mathfrak{M}$. agrediamini $p^{3}g^{7}$. egrediamini g^{4}. aggredimini (*sup.* a) G. *relicui* aggredimini, *et* adgr. *quidem* $\mathfrak{B}P^{2}P^{3}Bs^{3}$. egredimini σ. libuit $P^{3}B$. licuit (*sup.* libuit) P^{2}. — 17. vobis $\mathfrak{B}P^{3}Gg^{3}g^{5}s$. nobis *in* vobis *conr.* $PM^{1}m^{1}$. nobis (*sup.* vel vobis) P^{2}. vobis licuit P^{4}. nobis *relicui, set in multis parum perspicue scriptum.* vitam agere $MTFm^{1}g^{1}g^{2}g^{6}g^{7}s^{1}\mathfrak{M}$. vitam in exilio agere M^{1}. aetatem in exilio agere M^{1}. — 18. expectare $\mathfrak{B}PP^{3}P^{4}Gpp^{1}p^{3}p^{5}p^{6}g^{3}lr\mu\gamma$.

foeda atque intoleranda viris videbantur, haec sequi decrevistis.
Si haec relinquere voltis, audacia opus est: nemo nisi victor pace 15
bellum mutavit. Nam in fuga salutem sperare, cum arma, quibus 16
corpus tegitur, ab hostibus averteris, ea vero dementia est. Sem- 17
per in proelio eis maxumum est periculum qui maxume timent,
audacia pro muro habetur.

Cum vos considero, milites, et cum facta vostra aestumo, 18
magna me spes victoriae tenet. Animus aetas virtus vostra me 19
hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit.
Nam multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae 20
loci. Quod si virtuti vostrae fortuna inviderit, cavete, inulti ani- 21
mam amittatis, neu capti potius sicuti pecora trucidemini, quam
virorum more pugnantes cruentam atque luctuosam victoriam hostibus relinquatis.'

Haec ubi dixit, paululum conmoratus signa canere iubet at- 59
que instructos ordines in locum aecum deducit. Dein remotis
omnium equis, quo militibus exaequato periculo animus amplior
esset, ipse pedes exercitum pro loco atque copiis instruit. Nam, 2

6. Non. p. 195: *audacia consuetudine temeritas dicitur. Sallustius Catilinae bello:* audacia pro muro habetur. *Cfr. eund.* p. 292 *et* p. 300.

9. Non. p. 241: *necessitudo est affinitas. Sallustius in Iugurthae bello: etiam antea Iugurthae filia Boccho nupserat; verum ea necessitudo* ***** quae etiam timidos fortis facit.

---

1. foeda illa P^4. — 2. voltis 𝔅$PP^3\sigma$. — 3. sperare salutem P^3 *(set conr.)* GBg^6. quibus 𝔅 $PP^1P^2P^4MM^2BTEFp^5mm^1m^2s^2gg^1g^2g^3g^4g^5g^6lhr\sigma\mu\gamma$ 𝔐𝔊. quis *rel.* — 4. ea vera dem. $Emm^2g^2g^3$ *(ex conr.)* 𝔐𝔊. vero *sup. lin.* g^4. — 5. in proelio *om.* mm^2 *Naz. testante Grutero. sup. lin.* 𝔐. is 𝔅. illis g^4. *set pron. om.* M (*sup. al. ma.* his) M^1 (*sup. al. ma.* illis) $BFGp^3g^1g^2ss^1lr\mu$. his *post* max. *po. ma.* P^3. maxumum P (*m.* I) P^1 (*m.* I) P^3. est maximum M^2 TEp^6mm^1h𝔊𝔐. est periculum maximum m^2. his in praelio maximum est g^3. maximum periculum est his γ. esse *ex conr.* P. periculum est $P^4p^5s^1$. maxume P^3M^1. timet s^1l. — 7. vestri MM^1. aestumo 𝔅PP^3. extimo $p^1p^3p^6s^2g^5$. existimo $p^5g^4g^6g^7r\sigma\gamma$. — 8. tenet victoriae G *(set conr.)*. nostra P^3. — 9. quae — multitudo *ad marg.* P^1. fortis P. — 10. circumveniri m. — 11. virtute 𝔅 (*conr.* —i) Pg^3. nostrae m. *Plerique libri* cavete inulti, *ut in Naz. ac Comm. esse testatur Grut.* ne *sup. lin.* $P^1P^4m^2$. cavete ne inulti 𝔅$MM^1M^2TFpp^1p^3p^5p^6g^1g^2g^4g^6slhr\mu\gamma$𝔐. inviderit ne inulti (*sup.* cavete) m^1. inulti animam ne amittatis s^2. inulti ne animam g^1.

15. paulolum P (*sup.* u) EM^2. palulum 𝔐. paulatim γ. conmoratus P^4. moratus m^1. — 16. in equum locum $G\gamma$. dehinc P^2m (*ma.* I, *ut videtur*). deinde $p^3m^1g^2g^4g^5g^6g^7s^1s^2l\gamma$. — 17. omnibus equis MM^1TFr. amplius *an* amplior *exhibeat* P^1, *incertum.* amplius p. amplior animus T. — 18. esset *om.* G. esset et ipse T.

uti planities erat inter sinistros montis et ab dextra rupe aspera, octo cohortis in fronte constituit, relicuarum signa in subsidio
3 artius conlocat: ab eis centuriones omnis lectos et evocatos, praeterea ex gregariis militibus optumum quemque armatum in primam aciem subducit. G. Manlium in dextra, Faesulanum quendam in sinistra parte curare iubet: ipse cum libertis et calonibus propter aquilam adsistit, quam bello Cimbrico G. Marius in exercitu habuisse dicebatur.

4 At ex altera parte G. Antonius, pedibus aeger, quod proelio
5 adesse nequibat, M. Petreio legato exercitum permittit. Ille cohortis veteranas, quas tumulti caussa conscripserat, in fronte, post eas ceterum exercitum in subsidiis locat: ipse equo circumiens unumquemque nominans adpellat hortatur rogat, ut meminerint

3. Serv. ad Verg. Aen. II 157: *plerumque enim evocati dicuntur et non sunt milites, sed pro milite. Unde Sallustius: neu quis miles neve pro milite. Idem:* ab his omnes evocatos et (*al.* in) centuriones.

4. Agroet. de orthogr. p. 2270: *Subducimus et quae retro subtrahimus et quae in promtu offerimus bello. Sallustius Catilina:* optimum quemque in primam aciem subduxit.

9. Arus. p. 212: *Aeger illo. Idem Bello Catil.:* pedibus aeger.

10. Non. p. 333: *Tumulti — Sallustius in Catilinae bello:* ille cohortis veteranas, quas tumulti causa conscripserat, in frontem, post eas ceterum exercitum in subsidio locat.

13. Prisc. XVIII p. 1178: *Plato πολιτεί. γ. ὅτι εἷς ἕκαστος ἓν μὲν ἂν ἐπιτήδευμα καλῶς ἐπιτηδεύει, πολλὰ δ' οὔ. Sallustius in Catilinario:* unumquemque nominans laudare.

---

1. montis P (*ex conr.*) P^1 (*conr.* —es). montes *om.* g (*set sup. al. ma.*) g^1. et *om.* M^{2}pg. a P^{3}B (*set post* a *ras.*) s^{2}g^{5}p^{1}p^{5}g^{6}g^7. addextera P^2. *sup. lin.* g^4, *om.* μ. dextra P^1 (*ex conr.*) P^{3}M^{1}GBs^{1}s^{2}g^5. destra p^{3}g^7. dextris l. ab *omitti posse censuit Selling. lect. p.* 16 *sq.* rupe aspera *plerique libri* (ruppe P^3), *set in* B *post* rupe *ras.* rupes pg^{3}lμ. rupes asperas *ex conr.* p^{6}g^{1}g^2. rupem asperam p^1. ru aspera s^1. aspera rupe g^5. — 2. cohortis PP^{1}P^{2}Emg (*m.* I). reliquorum G (*ex conr.*) BTEpp^{1}p^{5}mm^{2}gg^{2}g^{3}g^{5}srμγ. *pro var. scriptura* m^1. — 3. arcius Gp^{6}m^{1}m^{2}gg^{1}s^{1}μγ. arctius g^{4}s^{2}l. conlocat P^1. omnis P^1 (*conr.* —es). lectos *sup. lin.* P^1. electos P^{1}T (*in ras.*) p^{1}p^{5}p^6 (*ex conr.*) m^{1}g^{1}σγ. lectulos M^2. et *om.* Ts^2. vocatos Gp^{1}p^{3}p^6 (*m.* I). atque vocatos μ. et omnes electos evocat r. — 4. optumum P P^{1}P^{2}P^{3}s. obtimum P^4. — 5. in prima acie *ex conr.* F. dextera P^{4}MM^2 pp^{5}p^{6}m^{1}m^{2}g^{6}slσγ𝔖. — 6. calonibus *Putsch. ex Cuiacii cod.* colonibus P P^1 (*conr.* coloniis) *Naz. testante Grutero.* coloniis P^{3}P^{4}BG (*ma.* I) p^{1}p^6 (*ma.* I) gg^{1}g^2 (*ma.* I) g^{7}s^{2}r. — 7. adsistit P (*conr.* adstitit) P^{1}P^{2}P^{3}mm^{2}s^{2}g^1 (*set ras. int.* d *et* s). *Comm. cont. Grut.* asistit M. astitit p^{5}m^{1}μg^7 (*sup.* d). cymbrico P^{4}MM^{1}p^{5}g^{1}s^{2}μ. cimbrio s^{1}g^7 (*ma.* I). G. *eras.* T, *om.* g^2. — 8. habuisse in exercitu MM^{1}F. habuisse dicebatur in exercitu g^2. in exercitu *om.* rγ, *ad marg.* μ. — 9. at in Tpσ. ac ex P^3. *praep. om.* P^2. — 10. nequierat *in Naz. scriptum esse ait Grut.* — 11. cohortis *ma.* I, *ut vid.* P^1. tumultus *omnes quos novi, set in* T tumulti *videtur fuisse.* causas P^3. scripserat T. post has T. — 12. circuiens P^{4}GTEFM^{2}mm^{1}m^{2}s^{1}lg^{5}g^{7}σ𝔖. circuens g^4. circumveniens g^6. appellabat P^1 (*conr.* lat) P^2.

se contra latrones inermis, pro patria pro liberis, pro aris atque
focis suis certare. Homo militaris, quod amplius annos triginta 6
tribunus aut praefectus aut legatus aut praetor cum magna gloria
in exercitu fuerat, plerosque ipsos factaque eorum fortia noverat:
ea conmemorando militum animos adcendebat.

Set ubi omnibus rebus exploratis Petreius tuba signum dat, 60
cohortis paulatim incedere iubet, idem facit hostium exercitus.
Postquam eo ventum est, unde [a] ferentariis proelium conmitti 2
posset, maxumo clamore cum infestis signis concurrunt, pila omit-
tunt, gladiis res geritur. Veterani, pristinae virtutis memores, 3
comminus acriter instare, illi haut timidi resistunt: maxuma vi
certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari, la- 4
borantibus succurrere, integros pro sauciis accersere, omnia pro-
videre, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire: strenui militis
et boni inperatoris officia simul exequebatur. Petreius ubi videt 5
Catilinam, contra ac ratus erat, magna vi tendere, cohortem prae-
toriam in medios hostis inducit eosque perturbatos atque alios
alibi resisténtis interficit: deinde utrimque ex lateribus ceteros

1. Arus. p. 218: *Certo contra te. Sal. Catil.:* contra latrones inermes pro patria certare.

2. Arus. p. 211: *Amplius illam rem. Idem in eodem* amplius annos triginta cum magna gloria fuerat.

8. Non. p. 381: *Ferentari levis armatura, quicquid opus esset auxilio ferrent excursu levi, armis gravibus non inpediti — — Sallustius in Catilinae bello:* postquam eo ventum est, unde a ferentariis praelia conmitti possent *[praelio committim W. praeliam c. posset ante A. mg I. M.].*

18. *Vid. ad* c. 61.

---

1. conitra P^1 (*ma.* I). inermis M^1. inhermos P. inermφs m. — 2. cer|||re F. amplius *om.* P^4. annis $P^4Gpp^1p^5m^2g^1g^6g^7lr\gamma$. — 3. atque praefectus P^3B. — 4. animos militum F.

5. ubi *ab corrector in Comm. expunctum esse contestatur Grut. om.* h, *sup. lin.* m^1. rebus *om.* p^1g. rebus *sup. lin.* 𝔊. rebus omnibus F. omnibus locis s^1. rebus *uncis inclusit Link. Selling. em. p.* 35 *sq.* — 6. fecit G. — 7. a *om.* PP^2P^3Bl, *sup. lin.* P^1m^2. afferentariis $Gpp^3\mu$. ab efferentariis p^1. a lr ferentariis g^6. a signiferis ferentariis E. est ferentariis unde praelium mm^2. — 8. possit P (*conr.* set) P^1P^2 (*conr.* set) $l\sigma$. maxumo P^1P^2. insertis F. — 9. res agitur $M^2TEmm^1m^2g^3g^6s^2h\mu\mathfrak{M}\mathfrak{G}$. agitur res MM^1Fg^2. geritur bellum r. — 10. comminus $PP^1MM^2GBpg^3s\gamma$. aut (*conr.* haut) P. maxuma P^1P^2 (*sup.* i) P^3M. maxima virtute (*conr.* vi certatur) P. — 13. succurrebat P^4. succerre^{re} M. arcessere $PMM^1M^2TEFp^3p^5mgg^3g^1\gamma\mathfrak{M}$. accersire P^1g^6h. accessere p^1. arcersere p^6. arce^{r}ssere g^2. arcessire s^2. — 14. pugnare ipse P^3B. — 15. simul *sup. lin.* M^1. exequebatur $P^3P^4Gp^6g^3s$. — 16. magna ut tendere P. magna vi contendere $MM^1M^2Fp^3p^5p^6m^1gg^4$ (*ma.* I) $g^5g^6g^7s^1hr\gamma\mathfrak{M}$. vi intendere s. — 17. hostis P *(ex conr.)* P^1P^2 (*conr.* —es). atque *om.* M^1. alios alii $MM^1\mathfrak{M}$. alios aliis F. alios ibi g^6. interfecit Tp^3 *(conr.)* $p^6mm^1m^2g^1g^7$ *(conr.)* $\mu\gamma$, *idque videtur fuisse in* B *et* g^4.

6 adgreditur. Manlius et Faesulanus in primis pugnantes cadunt.
7 Catilina postquam fusas copias seque cum paucis relictum videt,
memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissumos
hostis incurrit ibique pugnans confoditur.

61 Set confecto proelio tum vero cerneres, quanta audacia quanta-
2 que animi vis fuisset in exercitu Catilinae. Nam fere quem quis-
que vivus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore
3 tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disiecerat,
paulo divorsius *alis alibi stantes*, set omnes tamen advorsis volne-
4 ribus conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cada-
vera repertus est, paululum etiam spirans ferociamque animi, quam

5. Flor. II 12, 12: *quam atrociter dimicatum sit, exitus docuit. nemo hostium bello superfuit; quem quis in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat. Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est, pulcherrima morte, si pro patria sic concidisset.*

9. Diom. p. 333: *cuius nominativum veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, sicut* et *Sallustius ait:* alis alibi stantes ceciderunt, omnes tamen adversis vulneribus conciderunt. Charis. p. 159: *cuius nominativum veteres non tantum alius dixerunt, sed etiam alis, sicut et Sallustius:* alis alibi stantes, ceciderunt, sed omnes tamen adversis vulneribus conciderunt.

10. Serv. ad Verg. Aen. I 488: *Nimiae enim fortitudinis est inter hostium tela versari: ut Sallustius:* Catilina longe a suis inter hostium cadavera repertus est.

---

1. adgreditur (*conr.* aggr.) P^1P^3s. cadunt Catilina postquam p^5. cadunt at Catilina postquam g^2. — 2. Catilina ubi fusas r. Postquam Catilina fusas $P^3p^1lg^5\sigma\gamma p^3$. Catilina *sup. lin. aut ad marg. inter* Postquam *et* fusas *exhibent* $MBmm^2g^4s^2$𝔐. copias catilina seque μ. *Supra* videt *scriptum* in P^2P^4Es. paucis catilina esse relictum videt p. videt Catilina $P^1p^6m^1$, *om. in relicuis. Vid. Comm. p.* 72. reliqum P (*conr.* relictum). — 3. suáe priscae dignitatis MM^1F. suae pristinae dign. Gg^6r. suae priscae (*conr.* tinae) dignitatis virtutis (*sup.* et) in g^2. suae virtutis in p^5. dignitatis suae p^6. — 4. hostis PP^1.

6. que *om.* Bg^6r. animi vis $PP^1P^2MM^1Gpp^1gg^1g^3g^5g^6s^1l\sigma$. vis animi *alii*, animi fuisset vis $M^2TEmm^1m^2h\mu$𝔐𝔊. animi *sup. lin.* Fg^4. animi virtus g^7. fuisset *om.* s^1. fere *sup. lin.* P^1. — 7. locum *sup. lin.* m. vivus locum pugnando p^5p^6l. fere pugnando quem quisque vivus ceperat m. pugnando locum vivus MM^2TEFm^1𝔐. locum pugnando vivus P^4M^1gh. pugnando locum vivus 𝔊μ. locum vivus pugnando γ. pugnando locum ceperat vivus g^7. vivus *om.* r. caeperat P (*conr.* coeperat). coeperat P^1P^4 (*sup.* vel acceperat) g^3 *(ex conr.)* g^5. acceperat M^1. anima amissa P^3B. — 8. medio P^1. (*conr.* os) g^5. media l. cohors praetoria medios M^2. cohors praeteria P. praetoria cohors g. cohors disiecerat praetoria E. — 9. *Verba* alis alibi stantes *nullus liber habet; set in* g^4 *ras. post* diversius. *Comm. p.* 20. paulo diversi a suis sed s^2. diversi a suis iacebant sed γ. divorsius iacebant sed p^5g^7. paulo occubuerant diversius p^6. diversius occubuerant h. occubuerant *in Comm. esse testatus est Grut.* volneribus σ. — 10. cadavera hostium Fg^6s. repertus est inter hostium cadavera P^4. — 11. paulum $M^2TEmm^1g^2g^3g^6$. etiam adhuc spirans P^4.

5 habuerat vivus, in voltu retinens. Postremo ex omni copia neque
6 in proelio neque in fuga quisquam civis ingenuus captus est: ita
7 cuncti suae hostiumque vitae iuxta pepercerant. Neque tamen ex-
ercitus populi Romani laetam aut incruentam victoriam adeptus
erat: nam strenuissumus quisque aut occiderat in proelio, aut
8 graviter volneratus discesserat. Multi autem, qui e castris visundi
aut spoliandi gratia processerant, volventes hostilia cadavera ami-
cum alii, pars hospitem aut cognatum reperiebant, fuere item qui
9 inimicos suos cognoscerent. Ita varie per omnem exercitum lae-
titia maeror, luctus atque gaudia agitabantur.

---

1. vivens P^1. vivus habuerat $Gp^5\gamma$. voltu P^1 (*conr.* vultu) σ. — 3. iuxta *om.* $P\sigma$. perpercerant iuxta M^1. — 4. laetam atque incruentam T. adeptus est $Tpgg^5s^1r\gamma$. — 5. strenuissimis (*conr.* —us) P. — 6. volneratus σ. e castris $PP^1P^2P^3P^4GBg^1g^4g^7s^2l\sigma$. ex castris $p^1p^5p^6gg^2g^5g^6$. de castris *relic. praecp. om.* m^2. qui ad ea castra visendi m. — 8. pars *om.* P^3B. repperiebant $P^2P^4MM^2GTFs\mu$☉. — 9. recognoscerent P^1 *(ex conr.)* Bm^2g^2. — 10. meror PP^1MM^1Gs. gaudium $P^4p^1g^4$ *(ex conr.)* σ.

GAI SALLVSTI CRISPI

LIBER

DE BELLO IVGVRTHINO.

---

1 Falso queritur de natura sua genus humanum, quod inbe-
2 cilla atque aevi brevis forte potius quam virtute regatur. Nam
contra reputando neque maius aliud neque praestabilius invenias
magisque naturae industriam hominum quam vim aut tempus de-
3 esse. Set dux atque imperator vitae mortalium animus est: qui

1. Conferendus est Senec. dial. X, de brev. vitae c. 1. Quint. Inst. or. IX 4, 77: *non minore autem cura vitandum est quidquid est ἔνρυθμον, quale apud Sallustium* falso queritur de natura sua *(Eum* I 1, 1 *hunc locum Sallusti imitatum esse nemo infitias ibit).* Diom. p. 468: *Sallustium quoque in principio Iugurthae a rhythmo coepisse.* — Charis. p. 199: *Falso — si subauditur iudicio, nomen est. Sallustius tamen adverbialiter dixit:* falso queritur de natura sua genus humanum. — Donat. ad Ter. Andr. III 2, 25: *potest et εἰρωνικῶς falso pronuntiari, potest et falso loqueris dici, ut Sallustius* falso queritur de natura sua humanum genus. — Serv. ad Verg. Aen. IV 415: *et frustra ex iudicio poëtae dictum est. Sic Sallustius:* falso queritur de natura sua genus humanum. Id. ad XI 581: *multae illam frustra] antequam rem diceret, praeiudicavit. Sic Sallustius:* falso queritur de natura sua genus humanum. *Nam antequam diceret* queritur, falso *dixit.* — Cledon. p. 1921: *O quae producuntur a masculinis veniunt, et melius iuxta regulam in e caderent, ut false, sicut docte; sed auctoritas in o mutavit, ut* falso queritur de natura sua genus humanum, *et ista ipsa producenda sunt.* — August. de gramm. p. 2011: *Sunt adverbia communia cum aliis partibus orationis. Nominibus sunt communia, ut ait Sallustius* falso queritur de natura sua genus humanum *pro false.* — Vindic. ad imp. Valentin. Ep.: *cum saepe — humani generis fragilitas falso de natura sua queratur.*

---

1. sua *om.* E𝔖, *Comm. testante Grutèro, sup. lin.* m^1. de sua natura $p^3p^5g^1g^5$. genus hominum MM^1F. humanum genus p^5g^4r. inbecilla $PP^1P^2P^3P^4mm^1$ (*sup.* vel um) $m^2g^2g^3g^7ss^2$lrσμ𝔖. — 2. forte (*sup.* vel fortuna) s. fortuna potius G. sorte P^4g^6 *(ex conr.)* l *(ex conr.).* natura (*sup.* forte) E. — 3. aliud (*sup.* aliquid) P^1s. aliud, *sup.* vel aliquid vel quicquam P^4. aliquid g^1g^2. aliud maius p^3. invenies $pp^1p^3p^5p^6m^1$ (e *in ras.*) $gg^1g^4g^5g^6g^7$s *(in ras.)* s^1s^2lrhγ. — 5. mortalium vitae P^3.

ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque
et clarus est neque fortuna eget — quippe probitatem industriam
aliasque artis bonas neque dare neque eripere cuiquam potest —: 4
sin captus pravis cupidinibus ad inertiam et voluptates corporis
pessum datus est, perniciosa lubidine paulisper usus, ubi per socordiam vires tempus ingenium diffluxere, naturae infirmitas accusatur:, suam quisque culpam actores ad negotia transferunt. Quod 5
si hominibus bonarum rerum tanta cura esset, quanto studio aliena ac nihil profutura multaque etiam periculosa *ac perniciosa* petunt, neque regerentur magis quam regerent casus et eo magnitudinis procederent, ubi pro mortalibus gloria aeterni fierent. Nam uti 2

1. Non. p. 216: *grassari etiam dicimus ambulare — — Sallustius in Iugurtha:* qui ubi ad gloriam virtutis via grassatur.

2. Donat. ad Ter. Eun. II 2, 10: *et Sallustius:* neque fortuna eget: quippe quae probitatem industriam aliasque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam potest.

4. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 55: *captus est] tenetur et irretitur ex translatione ferarum et venatus. Sallustius* sin captus pravis cupidinibus [*Eadem idem adfert* ad Eun. I 1, 29].

8. Aug. Ep. LIV Tom II p. 161: *neque apud ipsos qui magno studio aliena ac nihil profutura multoque etiam periculosa ac perniciosa petunt.*

---

Priscian. XVII p. 1101 P. vol. II p. 188 H. *Idem historiarum* I nam a primordio urbis ad bellum Persi Macedonicum *pro Persis.* XIV p. 980 P. p. 30 H. *(ad) tempori (adiungitur), ut* Sallustius in I hist. ad bellum Persi Macedonicum. — Serv. ad Verg. Aen. I 30 *Achilli — ut Sallustius* a principio urbis ad bellum Persi Macedonicum. *Detrahitur autem s tertiae declinationis genitivis.* Id. ad VIII 383 *Hinc est filia Neri, immitis Achilli: Item in Sallustio* ad bellum Persi Macedonicum. *Sic Asper.* — Charis. p. 37 L. p. 68 K. *Inveniuntur autem apud veteres quae sine ratione genetivum faciunt per i, ut apud Sallustium in prima historia* bellum Persi Macedonicum. — Prob. inst. p. 126 L. *et antiqua est ratio declinationis dativo uti pro genitivo: Infelicis Ulixi pro Ulixis, Achilli pro Achillis,* Ad bellum Persi Macedonicum *pro Persis.* — M. Claud. Sacerd. de art. gr. p. 56 ed. Endl.

Pertinuisse haec verba ad statum civitatis Romanae recte Kr. perspexit. Quanti momenti bellum cum Perse gestum ad res Romanas fuerit, ostendit Th. Momms. H. R.

7 [Kr. et G. I 8]. Nobis primae dissensiones vitio humani ingeni evenere, quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis agit.

Prisc. V p. 158 ed. Hertz. *neutris quoque coniuncta haec (i. e. in 'es' communia) inveniuntur, ut* — Sallustius in I historiarum: nobis [nuper (*sup.* vel nobis) Dd. nuper A] primae dissensionis [*Sic Hertz.* dissensiones RH. discessionis r. disensionis L. desensiones K.] vitio humani ingenii evenere [r. evenire RK. retinere A], quod inquies atque indomitum semper in certamine libertatis aut gloriae aut dominationis agit. — Serv. ad Verg. Aen. IV 245: *An agit in actu est?* Sallustius: inter certamina donationis aut libertatis agit.

8 [Kr. I 9. G. I 10]. Res Romana plurumum inperio valuit Ser. Sulpicio [et] M. Marcello consulibus omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi qua [a] paludibus invia fuit, perdomita. Optumis autem moribus et maxuma concordia egit populus Romanus inter secundum ac postremum bellum Carthaginiense.

Victor. ad Cic. Rhet. p. 5 ed. Orell. *Hoc et Sallustius tenuit, cum de rebus Romanis loqueretur. Dixit enim prius bella gesta, post pacem esse fundatam.* Res *inquit* Romana plurimum imperio valuit Servio Sulpicio et M. Marcello consulibus omni Gallia cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi quae a paludibus invia fuit [*Sic cod. Bas. al.* fuit invia], perdomita. *Hic bellum geritur: deinde pacem memorat consecutam.* Optimis autem moribus et maxima concordia egit res publica inter secundum ac postremum bellum Carthaginiense. — Non. p. 64 Roth. *Cis positum pro ultra.* Sallustius: cis Rhenum atque inter mare nostrum et Oceanum, nisi qua paludibus invia fuit, perdomita [nisi quia *codd. Dübn.* αδ; invia fuit A, fuerit αδ]. — Ammian. Marc. XV 12 extr. Nam omnes Galliae nisi qua paludibus inviae fuere, ut Salustio docetur auctore, post decennalis belli mutuas clades subegit Caesar societatique nostrae foederibus iunxit aeternis. — Serv. ad Verg. Aen. VI 539: *Findit in ambas, compendiosius quam si duas diceret. Poteramus enim etiam tertiam sperare. Sic Sallustius:* inter secundum atque [*Guelf.* et] ultimum bellum Carthaginiense, *non ait tertium.* — Augustin. de civ. D. III 21: Porro inter secundum et postremum bellum Carthaginiense, quando Sallustius optimis moribus et maxima concordia dixit egisse Romanos *cet.* II 18 *conmemorato loco Cat.* 6—10 *sic pergit:* Idem tamen in primo historiae suae libro atque eius exordio fatetur etiam tunc cum ad consules a regibus esset translata res publica, post parvum intervallum iniurias validiorum et ob eas discessionem plebis [et] a patribus aliasque in urbe discessiones fuisse. Nam cum optimis moribus et maxima concordia populum Romanum inter secundum et postremum bellum Carthaginiense commemorasset egisse causamque huius boni non amorem iustitiae, set stante Carthagine metum pacis infidae fuisse dixisset — continuo subiecit idem Sallustius et ait: At (Fr. 9).

1. et *cur delendum censeam vid. Conm. vol.* I *p.* 50. — 3. et] atque *Kr. et Gerl.* a *cum Gerl. delend.* — 5. populus Romanus *ex Aug. scripsi pro* res publica. ac; et *rel.*

9 [I 10 Kr. 11 G.] At discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus oriri sueta mala post Carthaginis ex-

Verba exstant ap. Aug. de civ. D. II 18 (vid. ad 8), *inter* aucta sunt *et* Nam iniuriae *interpositis hisce: ut intelligeremus etiam antea et oriri solere et augeri. Unde subnectens cur haec dixerit [vides]* Nam iniuriae — agitatum. *Vides, quemadmodum etiam illo brevi tempore ut regibus exactis i. e. eiectis aliquantulum aequo et modesto iure ageretur. Metum dixit fuisse causam, quoniam metuebatur bellum, quod rex Tarquinius regno atque urbe pulsus Etruscis sociatus contra Romanos gerebat. Attende quid deinde contexat:* Dein *inquit* servili — bellum Punicum. *Cernis ex quo tempore i. e. parvo intervallo post reges exactos quales Romani fuerint.* [In ed. Erasm. 8 *agitata* om. deinde *maxime fenore oppressa* script.]. Id. III 16: *Huic tempori adiiciamus etiam tempus illud quousque dicit Sallustius* aequo et modesto iure agitatum dum metus a Tarquinio et grave bellum cum Etruria positum est. *Quamdiu enim Etrusci Tarquinio redire in regnum*

...cidium maxume aucta sunt. Nam iniuriae validiorum et ob eas discessio plebei a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. Dein servili inperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in inperio agere. Quibus agitata saevitiis et maxume fenoris onere obpressa plebes cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit, tumque tribunos plebei et alia sibi iura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.

---

conanti opitulati sunt, *gravi bello Roma concussa est. Ideo dicit* aequo et modesto iure *gestam remp. metu premente, non persuadente iustitia.* Tum extr. cap. *Finito scilicet tempore quo* aequo et modesto iure agitatum est, *secuta sunt quae idem Sallustius breviter explicat:* deinde servili — soli imperio — Quibus agitata saevitiis — maxime fenore oppr. — tributum et militiam simul — tumque [Erasm. al. *tuncque*] — certaminis utrinsque — Punicum. Id. V 12: *Qui audit haec Catonis verba sive Sallustii* [Cat. 52, 19—22], *putat quales laudantur Romani veteres omnes tales tunc fuisse vel plures. Non ita est; alioquin vera non essent, quae ipse idem scribit, ea quae commemoravi in secundo libro huius operis, ubi dicit* iniurias validiorum et ob eas discessionem plebis a patribus aliasque dissensiones domi fuisse iam inde a principio neque amplius aequo et modesto iure *actum*, quam expulsis regibus *quamdiu* metus a Tarquinio *fuit, donec* bellum grave, *quod propter ipsum* cum Etruria *susceptum fuerat, finiretur. Postea vero* servili imperio patres exercuisse plebem, regio more *verberasse*, agro pepulisse, et ceteris expertibus solos egisse in imperio. Quarum discordiarum, *dum illi dominari vellent, isti servire nollent*, finem fuisse bellum Punicum secundum, *quia rursus gravis metus coepit urgere atque ab illis perturbationibus alia maiore cura cohibere animos inquietos et ad concordiam revocare civilem.* — 1. Serv. ad Verg. Ge. IV 238: *Sallustius:* iniuria validiorum, *scilicet quam inferebant validiores.* — 5. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 9: *Mire servitutem pro dominatu posuit. Sic Sallustius* dein servili imperio. — 9. Arus. p. 236 L. *insido illos.* — Sall. Hist. I armata montem sacrum atque Aventinum insedit. Serv. ad Verg. Aen. VIII 479: insedit *autem secundum Sallustium:* montem sacrum atque Aventinum insedit. Diomed. p. 443 sq. K. *et aliter de prolepsi disputatur, cum id quod posterius accidit ante tempus ascribitur, velut* Laviniaque venit litora. *Lavinium enim nondum erat, cum ad Italiam venit Aeneas. Et apud Sallustium* montem sacrum atque Aventinum insedit; *qui mons ab hoc, quia illum plebs insederat, postea sacer dictus est.*

Quid inter hoc et sequens fragmentum intercesserit, ex Augustini locis adparet.

10 [Kr. II, G. 12]. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuom fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postre-

---

Gell. N. A. IX 14: *metus hostium recte dicitur et cum timent hostes et cum timentur. Itaque Sallustius — item alio in loco:* postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. — Quibus verbis non du-

mum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebei nomine dominationes adfectabant: bonique et mali cives adpellati non ob merita in rem publicam omnibus pariter conruptis, set uti quisque locupletissumus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur.

---

bium est quin continuata fuerint, quae Aug. de civ. Dei III 17 rettulit. — 1. Arus. p. 220: *Concedo in gratiam. Sal. Hist.* I: quorum in gratiam plerique concesserant. — 5. Quoniam non qua ratione optumates bonos adpellaverint dicitur, sed quo modo et factio nobilium et partes populares boni et mali vocabula usurpaverint, adparet *quia praesentia defendebat* sententiae repugnare. Malim *placentia*, ut qui ea, quae plerisque placerent, defenderit, bonus adpellatus esse dicatur.

11 [Kr. 14. G. 13]. A Ti. Graccho seditiones graves coepere.

Aug. de civ. D. II 21: *Inducit enim [Cicero] Scipionem, eum ipsum qui Carthaginem extinxerat, de re publica disputantem quando praesciebatur corruptione ea, quam describit Sallustius, eam* [illam?] *iam iamque perituram. Eo quippe tempore disputatur, quo iam unus Gracchorum occisus fuit,* a quo *scribit* seditiones graves coepisse *Sallustius.*

12 [Kr. et G. 12]. Ex quo tempore maiorum mores non paulatim, ut antea, set torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia conrupta est, uti merito dicatur genitos esse qui neque ipsi habere possent res familiaris neque alios pati.

Aug. de civ. D. II 18: ex pulcherrima atque optima pessima ac flagitiosissima facta est, *post Carthaginis videlicet, ut ipse commemoravit, excidium. Quae tempora ipse Sallustius quem ad modum breviter recolat et describat, in eius historia legi potest, quantis malis morum, quae secundis rebus exorta sunt, usque ad bella civilia demonstret esse perventum.* Ex quo tempore, *ut ait*, maiorum mores non paulatim, ut antea, set torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est, ut merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares neque alios pati. *Dicit deinde plura Sallustius de Sullae vitiis ceteraque foeditate rei publicae* [ex eis verbis nonne perspicitur haec verba non cum fr. 10 continuata fuisse, set ei loco proxuma, ubi ad Sullae res conmemorandas scriptor transgressus est?]. Id. ibid. II 19: *Ecce ante Christi adventum post deletam Carthaginem* maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est. II 22: *Nunc ago de labe morum, quibus primum paulatim decoloratis, deinde* torrentis modo praecipitatis.

13 [Kr. 13. G. 32]. Omnium partium decus in mercedem conruptum erat.

Arus. p. 240: *In illam rem pro causa illius rei.* — Sal. Hist. I: omnium partium decus in mercedem corruptum erat.

* 14 [Kr. 15. G. 16]. Tantum antiquitatis curaeque pro Italica gente maioribus fuit.

Front. de oratt. ed. Mai II p. 271 ed. Med. p. 250 ed. Rom. *Verbum aliquod adquiras non fictum a te, nam id quidem absurdum est, sed*

cidium maxume aucta sunt. Nam iniuriae validiorum et ob eas discessio plebei a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. Dein servili inperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere et ceteris expertibus soli in inperio agere. Quibus agitata saevitiis et maxume fenoris onere obpressa plebes cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit, tumque tribunos plebei et alia sibi iura paravit. Discordiarum et certaminis utrimque finis fuit secundum bellum Punicum.

---

conanti opitulati sunt, gravi bello Roma concussa est. Ideo dicit aequo et modesto iure *gestam remp. metu premente, non persuadente iustitia.* Tum extr. cap. *Finito scilicet tempore quo* aequo et modesto iure agitatum est, *secuta sunt quae idem Sallustius breviter explicat:* deinde servili — soli imperio — Quibus agitata saevitiis — maxime fenore oppr. — tributum et militiam simul — tumque [Erasm. al. *tuncque*] — certaminis utriusque — Punicum. Id. V 12: *Qui audit haec Catonis verba sive Sallustii* [Cat. 52, 19—22], *putat quales laudantur Romani veteres omnes tales tunc fuisse vel plures. Non ita est; alioquin vera non essent, quae ipse idem scribit, ea quae commemoravi in secundo libro huius operis, ubi dicit* iniurias validiorum et ob eas discessionem plebis a patribus aliasque dissensiones domi fuisse iam inde a principio neque amplius aequo et modesto iure *actum,* quam expulsis regibus *quamdiu* metus a Tarquinio *fuit, donec* bellum grave, *quod propter ipsum* cum Etruria *susceptum fuerat, finiretur. Postea vero* servili imperio patres exercuisse plebem, regio more *verberasse*, agro pepulisse, et ceteris expertibus solos egisse in imperio. Quarum discordiarum, *dum illi dominari vellent, isti servire nollent*, finem fuisse bellum Punicum secundum, *quia rursus gravis metus coepit urgere atque ab illis perturbationibus alia maiore cura cohibere animos inquietos et ad concordiam revocare civilem.* — 1. Serv. ad Verg. Ge. IV 238: *Sallustius:* iniuria validiorum, *scilicet quam inferebant validiores.* — 5. Donat. ad Ter. Andr. I 1, 9: *Mire servitutem pro dominatu posuit. Sic Sallustius* dein servili imperio. — 9. Arus. p. 236 L. *insido illos.* — Sall. Hist. I armata montem sacrum atque Aventinum insedit. Serv. ad Verg. Aen. VIII 479: insedit *autem secundum Sallustium:* montem sacrum atque Aventinum insedit. Diomed. p. 443 sq. K. *et aliter de prolepsi disputatur, cum id quod posterius accidit ante tempus ascribitur, velut* Laviniaque venit litora. *Lavinium enim nondum erat, cum ad Italiam venit Aeneas. Et apud Sallustium* montem sacrum atque Aventinum insedit; *qui mons ab hoc, quia illum plebs insederat, postea sacer dictus est.*

Quid inter hoc et sequens fragmentum intercesserit, ex Augustini locis adparet.

10 [Kr. 11. G. 12]. Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuom fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postre-

---

Gell. N. A. IX 14: *metus hostium recte dicitur et cum timent hostes et cum timentur. Itaque Sallustius — item alio in loco:* postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit. — Quibus verbis non du-

mum bella civilia orta sunt, dum pauci potentes, quorum in gratiam plerique concesserant, sub honesto patrum aut plebei nomine dominationes adfectabant: bonique et mali cives adpellati non ob merita in rem publicam omnibus pariter conruptis, set uti quisque locupletissumus et iniuria validior, quia praesentia defendebat, pro bono ducebatur.

bium est quin continuata fuerint, quae Aug. de civ. Dei III 17 rettulit. — 1. Arus. p. 220: *Concedo in gratiam. Sal. Hist.* I: quorum in gratiam plerique concesserant. — 5. Quoniam non qua ratione optumates bonos adpellaverint dicitur, sed quo modo et factio nobilium et partes populares boni et mali vocabula usurpaverint, adparet *quia praesentia defendebat* sententiae repugnare. Malim *placentia*, ut qui ea, quae plerisque placerent, defenderit, bonus adpellatus esse dicatur.

11 [Kr. 14. G. 13]. A Ti. Graccho seditiones graves coepere.

Aug. de civ. D. II 21: *Inducit enim [Cicero] Scipionem, eum ipsum qui Carthaginem exstinxerat, de re publica disputantem quando praesciebatur corruptione ea, quam describit Sallustius, eam* [illam?] *iam iamque perituram. Eo quippe tempore disputatur, quo iam unus Gracchorum occisus fuit,* a quo *scribit* seditiones graves coepisse *Sallustius.*

12 [Kr. et G. 12]. Ex quo tempore maiorum mores non paulatim, ut antea, set torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia conrupta est, uti merito dicatur genitos esse qui neque ipsi habere possent res familiaris neque alios pati.

Aug. de civ. D. II 18: ex pulcherrima atque optima pessima ac flagitiosissima facta est, *post Carthaginis videlicet, ut ipse commemoravit, excidium. Quae tempora ipse Sallustius quem ad modum breviter recolat et describat, in eius historia legi potest, quantis malis morum, quae secundis rebus exorta sunt, usque ad bella civilia demonstret esse perventum.* Ex quo tempore, *ut ait*, maiorum mores non paulatim, ut antea, set torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est, ut merito dicatur genitos esse, qui neque ipsi habere possent res familiares neque alios pati. *Dicit deinde plura Sallustius de Sullae vitiis ceteraque foeditate rei publicae* [ex eis verbis nonne perspicitur haec verba non cum fr. 10 continuata fuisse, set ei loco proxuma, ubi ad Sullae res conmemorandas scriptor transgressus est?]. Id. ibid. II 19: *Ecce ante Christi adventum post deletam Carthaginem* maiorum mores non paulatim, ut antea, sed torrentis modo praecipitati: adeo iuventus luxu atque avaritia corrupta est. II 22: *Nunc ago de labe morum, quibus primum paulatim decoloratis, deinde* torrentis modo praecipitatis.

13 [Kr. 13. G. 32]. Omnium partium decus in mercedem conruptum erat.

Arus. p. 240: *In illam rem pro causa illius rei.* — Sal. Hist. I: omnium partium decus in mercedem corruptum erat.

* 14 [Kr. 15. G. 16]. Tantum antiquitatis curaeque pro Italica gente maioribus fuit.

Front. de oratt. ed. Mai II p. 271 ed. Med. p. 250 ed. Rom. *Verbum aliquod adquiras non fictum a te, nam id quidem absurdum est, sed*

usurpatum concinnius aut congruentius. Tantum antiquitatis cura e . pro Italica gente maioribus *Sallustius ait. Antiquitatis verbum usitatum, sed nusquam [eo] sensu usurpatum* [*neque?* Malim *at*] *probe adscitum. Nam volgo dicitur quod potius sit antiquius esse. Inde ipsa Sallustio derivato* [Sequentibus verbis Fronto hoc dixisse videtur, ipsum Sall. quod inusitatum vocabulum esset, sequenti verbo explicasse]. — Serv. ad Verg. Ge. II 209: *Antiquasque domos, aut revera antiquas aut caras. Sallustius:* Tantum antiquitatis curaeque maioribus pro Italica gente fuit. Id. ad Aen. II 635: *antiquasque domos, caras (Sallustius* antiquitatis curaeque pro Italica gente).

De loco, quem haec verba tenuerint, adsentior Linkero de Sall. hist. prooem. p. 57.

* 15 [Kr. III 81, I 17 ed. noviss. G. inc. 67]. Citra Padum omnibus lex Licinia taetra fuit.

Haec verba ab Cledonio p. 1934 P. ob praepositionem *citra* conmemorata conrupte ibi leguntur: — *lex Lucania fratra fuit.* Primus eis lucem adtulit Casselius (ap. Kritz. p. 273), cum acutissume perspexisset in *Lucania* latere *Licinia* et dici de lege Licinia Mucia, a. 659 (85) ab coss. L. Licinio Crasso Q. Mucio Scaevola perlata (cfr. Göttling. Gesch. d. r. Staatsverf. p. 449). Iam ex verbis *Omnibus citra Padum* apertissumum est scripsisse Sallustium de vi, quam illa lex ad Italicos habuisset. Igitur Casselius scribendum existumavit *fraudi fuit*, hoc dici arbitratus: legem illam omnibus Italicis pergravem fuisse magnamque eis adtulisse molestiam atque incommodum. Set cum *fraus* vere ac proprie dicatur de calamitate per iniuriam inlata, illam autem legem ut inprudentem, ita iustissumam fuisse constet (Momms. H.R. II p. 214), minus id probabile videtur. Quod sentiens Mähly Nov. Ann. LXXVII p. 80 coniecit *frustra fuit*, in quod iam ante eum inciderat Wagner Act. gymn. IX p. 193. Set quid id est? Num illi legem eam non observasse dicuntur? An in illorum animos non eam vim habuit, quam consules expectaverant? Neutrum dici potuit; nam qui contra legem ius civitatis sibi adrogassent, eis poenae constitutae erant, et num consules tam stolidi fuere, ut sperarent legem suam Italicis gratam fore? Quare existumavi scribundum esse *taetra;* terrorem quippe et summam indignationem sociis iniecisse, ergo taetram visam esse constat (Asc. in Cornel. p. 67 ed. *Or. ea lege ita alienati animi sunt principum Italicorum populorum, ut eā vel maxuma caussa belli Italici fuerit).*

16 [Kr. 18. G. 49]. Tum vero Etrusci cum ceteris eiusdem caussae ducem se nanctos rati maxumo gaudio bellum inritare.

Non. p. 21 R. *Inritare dictum est proprie provocare, tractum a canibus, qui cum provocantur inruunt.* — Sallustius Hist. lib. I: Tunc vero et posci cum ceteris eiusdem causae ducem se nactus rati maximo gaudio bellum inritare [em. Merc.]. — Arus. p. 241: *Inritat bellum.* Sal. Hist. I: maximo gaudio bellum inritare.

De re cfr. Appian. b. c. I 49 sq.

* 17 [Kr. 17. G. 69]. Post defectionem sociorum et Lati.

Donat. ad Ter. Ad. III 4, 12: *socius deficit, parens prodit, patronus deserit. Sic Sallustius* post defectionem sociorum et Latii.

Lati intellegas *sociorum nominis latini.*

18 [Kr. 20. G. 19]. Quis rebus Sulla suspectis maxumeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.

Arus. p. 241: *In tempore i. e. oportune. Sal. Hist.* I: Quis rebus

Sylla suspectis maximeque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi. — Donat. ad Ter. Phorm. II 4, 24: *In tempore, huc se recipere, εὐκαίρως. Sallust.* maximeque ferocia regis in tempore bellaturi.
Pertinere haec verba ad res a. 88 actas in propatulo est.

19 [Kr. 21. G. 55]. **Postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare.**

Serv. ad Verg. Aen. X 45 postquam dixit de *rogo te per miserias*, adiungit haece: *Sallustius in primo:* postremo ipsos colonos per miserias et incerta humani generis orare.
Non sine magna veri specie Kritzius haec verba ad G. Mari fugam spectasse coniecit; fortasse de filio illius fuere dicta quem ab vilico servatum esse narravit Plut. Mar. c. 35 extr.

20 [Kr. 22. G. 30]. **Nihil esse de re publica neque [de] libertate populi pactum.**

Arus. p. 251: *Paciscor de illa re. Salust. Hist.* I: nihil esse de Rep. neque libertati populi Rom. pactum.
Acute Kr. docuit, verba esse L. Cinnae, quod iusiurandum Sullae datum (Plut. Sull. c. 10. Cass. Dio fr. 117) violasset, ita excusantis, ut illud ad rem publicam et libertatem populi Romani pertinuisse negaret. *Libertate* em. Lindem. *de* repetendum ego conieci.

21 [Kr. 23. G. 101]. **Nexuit catenae modo.**

Prisc. X p. 536 H. *similiter 'necto nexui' et 'nexi.' — Sallustius in historiarum* I: nexuit catenae modo.
Cum App. b. c. I 67 p. 498 Bekk. Sertorium et Marium narret Tiberim pontibus iunxisse, quo urbem conmeatu intercluderent, probabilius haec verba cum Kr. ad eam rem referri puto quam cum G. ad ignotam quandam rem bello Sertoriano institutam.

22 [Kr. 26. G. 15]. **Cum arae et alia deis sacrata subplicum sanguine foedarentur.**

Serv. ad Verg. Aen. II 503 sec. cod. Cass. [Bergk part. V p. 24]: *Foedantem; cruentantem. Sallustius in* I: Cum arae et alia diis sacrata supplicum sanguine foedarentur. Sacra *volg.*
Haut inprobabiliter Kritzius ad crudelitatem rettulit, qua Marius et Cinna in urbem ingressi saevierunt, quamquam nihil obstat, quo minus de foedis facinoribus, quae Sullani in urbe commiserunt, dicta statuamus (cfr. Drum. II p. 171).

* 23 [Kr. 27. G. V 9]. **Inde ortus sermo percunctantibus utrimque: satin' salve? quam grati ducibus suis? quantis familiaribus copiis agerent?**

Donat. ad Terent. Eun. V 6, 8: *Satine salve] Nunc adverbium est: producta est e littera. Sallustius:* Inde natus sermo percontantibus utrimque, satin' salve, quam grati ducibus suis, quantis familiaribus copiis agerentur. — *agerent* Douza; *augerentur* cum aliis Gerl. — Spectasse haec ad conloquia inter L. Sullae et L. Scipionis exercitus apud Teanum agitata (cfr. Drum. II p. 459 extr.), recte perspexerunt Kr. et Link. em. Sall. p. 24 sq. Vid. infra ad fr. 54.

24 [Kr. 29. G. om.]. **Schol. ad Luc. Phars. II 134: Marius in-**

vita matre Iulia adeptus est consulatum, *de quo Sallustius meminit.* Cfr. Aur. Vict. d. vir. ill. 68, 1. Link. de prooem. p. 63.

*25 [Kr. 30. G. 22]. Apud Praeneste locatus.

Ex Sall. hist. adfert Prisc. XV p. 1008 P. p. 67 H. Spectasse ad Sullae exercitum, Marium in oppido Praeneste obsidentem (cfr. Drum. II p. 462 sqq.), in aperto est.

*26 [Kr. 31. G. 23]. Et Marius victus duplicaverat bellum.

Serv. ad Verg. Ecl. II 67: *Duplicat autem auget. Sallustius (Lib. VI Hist.):* et Marius victus duplicaverat bellum. — Imitatum esse Tacitum Hist. IV 54 iam alii monuere.

27 [Kr. 33. G. 121]. Ut Sullani fugam [innocentem] in noctem conponerent.

Arus. p. 239: *In noctem siletur. Verg. Ge.* IIII: *siletur in noctem. Salust. Hist.* I: ut si illam fugam innocentem in noctem componerent. — *Sullani* em. van der Hoeven spec. litter. de nonn. loc. vet. scr. p. 45; *innocentem* del. Linker. de prooem. p. 66 sq. Probabilius autem cum hoc viro docto verba illa ad pugnam ante urbis portas advorsum Samnites conmissam referuntur, quam cum Gerl. ad Q. Metelli milites in Hispania contra Sertorium bellantes.

*28 [Kr. 32. G. 26]. Carbo turpi formidine Italiam atque exercitus deseruit.

Serv. ad Verg. Aen. II 400: *formidine turpi, epitheton timoris est. Sic Sallustius:* Carbo turpi formidine Italiam atque exercitus deseruit. — *exercitus* cod. Cass. Bergk. part. V p. 7; exercitum *volg.*

*29 [Kr. 34. G. 41]. Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.

Schol. Gronov. in Cic. pr. S. Rosc. p. 434 ed. Or. *Scimus Sullam in pueritia turpissimum fuisse, unde Sallustius dixit:* Mox tanta flagitia in tali viro pudet dicere.

*30 [Kr. 35. G. 25]. M. Marius, cui fracta prius crura brachia et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus expiraret

Schol. ad Lucan. Phars. II 173: *postea Catuli filius, regressus victor ex Asia, petivit a Sulla ut sibi Marius daretur ad poenam, quem datum per singula membra cruciavit, ut ait Sallustius in Iugurthino:* Marius cui fracta prius crura, brachia, et oculi effossi, scilicet ut per singula membra expiraret. — Rufinian. de schem. dianoeas 11 p. 52 Cap. p. 273 Frotsch. *Sarcasmos chleuasmo proxima est et similis figura, qua adversariorum facta cum exacerbatione admissi eorum lacessimus, ut apud Sallustium de Syllae crudelitate:* ut in M. Mario, cui fracta prius crura artus expiraret. *Latine dicitur exacerbatio.* [Malim equidem *ut* deleri et *in M. Mario* coniungi cum *crudelitate*].

31 [Kr. 36. G. 34]. Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis.

Prisc. VIII p. 392 H. *'horto' quoque pro 'hortor' et 'largio' pro 'largior' dicebant, quae sunt communia. unde Sallustius in* I *historiarum:* igitur

venditis proscriptorum bonis aut dilargitis. — A. Gell. XV 13, 8: *Sallustius quoque eodem modo:* dilargitis proscriptorum bonis *dicit, tamquam verbum 'largior' sit ex verbis communibus.*

32 [Kr. 37. G. 73]. Nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

Arus. p. 210. *Abnuo tibi hoc. Idem Hist.* I: nihil ob tantam mercedem sibi abnuituros.

Kritzius hoc fragmentum ita interpretatus est: Sullam servos civitate donatos et veteranos praediis auctos sibi semper ad obsequium paratos et promptos futuros speravisse; rectius mihi referri videtur ad mercedem, qua promissa aut ostenta milites in Asia fidos sibi facere studuit (cfr. Cat. 11, 5).

*33 [Kr. 38. G. 33]. Et relatus inconditae olim vitae mos, ut omne ius in viribus esset.

Vacca ad Lucan. Phars. I 175. — Front. de oratt. III p. 266 ed. Med. p. 248 ed. Rom. *usque datum sceleri — Q. Annaeus ait. Contra Sallustius* omne ius in validioribus esse. — De rapinis ab Sullanis perpetratis dici in aperto est.

*34 [G. inc. 78]. Qui *plus* poterat, plus iuris habere videbatur.

Verba haec Sallusti esse dicit Schol. ad Lucan. Phars. I 175, om. tamen priore *plus*, quod inseruit Rothius; commemoravit Kr. in adn. ad fr. 32. Quo iure veri simile iudicem, haec verba pertinuisse ad explicanda quae fr. 33 dicta sunt, alii existument.

35 [Kr. 39. G. 31]. Quo patefactum est rem publicam praedae, non libertati repetitam.

Arus. p. 259: *Repetitum praedae pro ad praedam. Sal. Hist.* I (cod. *Pirim.* i. e. Primo): quo patefactum est, Remp. praedae non libertati repetitam.

*36 [Kr. 19. G. 75]. Quippe vasta Italia rapinis fuga caedibus.

Serv. ad Verg. Aen. VIII 8: *Vastant cultoribus; abducendo cultores vastos et desertos efficiunt. Sallustius* — — — [Iug. 48] — *alibi:* Quippe vasta Italia rapinis, fuga, caedibus. — Quae verba rectius mihi videor ad vastitatem Italiae bello civili effectam (cfr. Iug. 5, 2) referre, quam Kritzius ad vastationes belli socialis, quamquam de his dixere, qui alias multa ex Sall. hausere, Aug. de civ. Dei III 26. Flor. II 6, 10.

37 [Kr. 40. G. 54]. Insanum aliter sua sententia atque adulterarum mulierum —.

Charis. p. 194 K. *Aliter pro alias Sallustius historia* I: sanctus alias et ingenio validus, *item in eadem:* insanum aliter sua sententia atque aliarum mulierum. — Probari non potest, quod Mähly coniecit (N. A. LXXVII p. 78) *atque altorum multorum*, nec magis artificiosa Kritzii interpretatio *aliarum mulierum* exprimere notionem moechi; recte Keilius excidisse, unde genetivus *mulierum* penderet, statuit. Si haec verba iudicium de Sulla continuere — de qua re dubitari vix potest — non pudet audacius suspicari *atque adulterarum mulierum*, post quae exciderit *amore* vel simile aliquid, ut sententia sit: quem cum aliis in rebus, tum in adulteras insanivisse censeat. De Sullae autem adulteriis Sallustium dixisse testatur Plut. comp. Lys. c. Sylla c. 3: ἀλλὰ τοὺς περὶ γάμων

καὶ σωφροσύνης εἰσηγεῖτο νόμους τοῖς πολίταις αὐτὸς ἐρῶν καὶ μοιχεύων, ὥς φησι Σαλούστιος, quae verba novom fragmentum (I 135) continere censuit Gerl.

*38 [Kr. 42. G. 27]. Simulans sibi alvum purgari.

Serv. ad Verg. Aen. II 19: *alvus est quo defluunt sordes, ut Sallustius:* simulans sibi alvum purgari. Quocum concinunt Glossar. Verg. p. 374 ed. Lion. Isidor. Or. p. 352 Ott. Lex. ap. Mai class. auct. VIII p. 34. De exitu Gn. Carbonis haec dicta fuisse, ex Plut. Pomp. 10. Valer. Max. IX 13, 2 apertissumum est.

39 [Kr. 44. G. 29]. Id bellum excitabat metus Pompei victoris Hiempsalem in regnum restituentis.

Gell. IX 12, 14: *Itaque Sallustius in historia prima 'metum Pompei' dixit, non quo Pompeius metueret, quod est usitatius, sed quod metueretur. Verba haec Sallusti sunt:* id bellum excitabat metus Pompei victoris, Hiempsalem in regnum restituentis. — Non. p. 96 ed. Roth. *Metus nove et eleganter positum Sallustius Historiarum lib.* I: id bellum excitabat metus Pompei victoris; *hoc est quod de Pompeio metueretur.* — De re cfr. Appian. de b. c. I 30 p. 502 Bekk. Plut. Pomp. 12.

40 [Kr. per errorem 90. G. 37]. De praefecto urbis quasi possessione rei publicae magna utrimque vi contendebatur.

Arus. p. 202: *Praefectus illius rei. Salust. Hist.* I: de praefecto urbis quasi possessio rei publicae magna utrimque vi contendebatur. — Acute Kr. perspexit haec dicta fuisse de coss. a. 78, M. Aemilio Lepido Q. Luctatio Catulo, de dicendo ob ferias latinas praefecto urbis inter se contendentibus. — *possessore* coni. Lind. probavit Kr. *possessione* ego, ut sententia sit: ita de pr. u. contendebant, quasi de possessione rei p. contenderetur.

41 [Kr. 45. G. p. 141].

M. Aemili Lepidi consulis ad populum Romanum oratio contra Sullam.

Clementia et probitas vostra, Quirites, quibus per ceteras 1
gentis maxumi et clari estis, plurumum timoris mihi faciunt advorsum tyrannidem L. Sullae, ne, quae ipsi nefanda existumatis, ea parum credendo de aliis circumveniamini, — praesertim cum illi spes omnis in scelere atque perfidia sit neque se aliter tutum putet, quam si peior atque intestabilior metu vostro fuerit, quo captis libertatis curam miseria eximat — aut, si provideritis, in vitandis periculis magis quam ulciscendo teneamini. Satellites qui- 2
dem eius, homines maxumi nominis, optumis maiorum exemplis,

Var. scr. 2. gentes 𝔅. maximi — plurimum 𝔅. adv̄sum 𝔅. advorsus *Cort.* — 3. ne quae ipsi nefanda 𝔅. ne ipsi nefanda quae *Cort.* aestimatis 𝔅 *rel.* existumatis *ego.* — 4. cum 𝔅. quom. *al.* — 7. captis 𝔅. captivis *Cort.* — 8. in vitandis 𝔅 *Ald.* in tutandis *Cort.* — 9. nominis optumis *(sic)* 𝔅. nominis non minus optimis *Cort.*

nequeo satis mirari, qui dominationis in vos servitium suum mer-
cedem dant et utrumque per iniuriam malunt quam optumo iure
3 liberi agere: praeclara Brutorum atque Aemiliorum et Lutatiorum
proles, geniti ad ea, quae maiores virtute peperere, subvortunda.
4 Nam quid a Pyrrho Hannibale, Philippoque et Antiocho defensum
est aliud quam libertas et suae cuique sedes, neu cui nisi legibus
5 pareremus? quae cuncta scaevus iste Romulus quasi ab externis
rapta tenet, non tot exercituum clade neque consulum et aliorum
principum, quos fortuna belli consumpserat, satiatus, set tum cru-
delior, cum plerosque secundae res in miserationem ex ira vor-
6 tunt. Quin solus omnium post memoriam humani generis sub-
plicia in post futuros conposuit, quis prius iniuria quam vita certa
esset; pravissumeque per sceleris inmanitatem adhuc tutus fuit,
dum vos metu gravioris serviti a repetunda libertate terremini.
7 Agundum atque obviam eundum est, Quirites, ne spolia vostra
penes illos sint; non prolatandum neque votis paranda auxilia:
nisi forte speratis taedium iam aut pudorem tyrannidis Sullae esse
8 et eum per scelus occupata periculosius dimissurum. At ille eo
processit, ut nihil gloriosum nisi tutum et omnia retinendae do-
9 minationis honesta existumet. Itaque illa quies et otium cum li-
bertate, quae multi probi potius quam laborem cum honoribus

Test. script. 5. Donat. ad Ter. Phorm. II 1, 13: *Superiora ἀσύνδετα sunt, inferiora intermistis coniunctionibus. Sallustius:* nam quidem [*conr.* quid] a Pyrrho Hannibale *et* aequore et terra. Ubi aperte prioris exempli extrema, alterius prima verba exciderunt, et ne illud quidem certum num alterum Sallusti fuerit (vid. var. lect.).

7. Serv. ad Verg. Ecl. III 13: *Perverse Menalca; aut converse ad turpitudinem, aut intelligamus fuisse quendam Menalcam nobilem, ut istum perversum Menalcam dixerit illius comparatione. Sic Sallustius:* saevus [*conr.* scaevus] iste Romulus.

15. Donat. ad Ter. Andr. I 5, 19: *Mire ducenda; semper hoc genus declinationis necessitatem ostendit, ut — Sallustius:* agendum atque obviam eundum est.

2. utcumque *Bothius praef. p.* IX *ci.* — 3. liberi 𝔙. libere *Cort.* — 4. subvertenda 𝔙. — 5. *Quamvis audacius id conici videatur, tamen non omni specie veri caret, apud Donatum* Philippoque et Antiocho, *set in Sallusti libris post ea verba* et aequore et terra *excidisse.* — 7. scaevus 𝔙. saevus *Cort.* — 8. consulum 𝔙. consulis *Cort.* — 11. post memoriam humani suplicia 𝔙. p. memoriam hominum suppl. *Cort.* generis *inserendum esse vidit Orell.* — 13. parvissimeque 𝔙. inmanitatem 𝔙. tutus fuit 𝔙. furit *Cort.* — 14. servitii 𝔙. repetenda 𝔙. — 15. agendum 𝔙. eundum 𝔙. — 16. illos 𝔙. illum *Cort.* — 17. speratis per taedium — — — tyrannidis esse eum per scelus *Cort.* — 19. ut 𝔙. uti *Cort.* — 20. aestimet 𝔙. extimet *Vat.* 2. existumet *Cort.*

capessebant, nulla sunt: hac tempestate serviundum aut inperi- 10
tandum, habendus metus est aut faciundus, Quirites. Nam quid 11
ultra? quaeve humana superant aut divina inpolluta sunt? Popu-
lus Romanus, paulo ante gentium moderator, exutus inperio gloria
iure, agitandi inops despectusque ne servilia quidem alimenta re-
licua habet. Sociorum et Lati magna vis civitate pro multis et 12
egregiis factis a vobis data per unum prohibentur, et plebei in-
noxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scele-
rum. Leges iudicia, aerarium, provinciae reges penes unum, de- 13
nique necis civium et vitae licentia. Simul humanas hostias vidistis 14
et sepulcra infecta sanguine civili. Estne viris relicui aliud quam 15
solvere iniuriam, aut mori per virtutem? quoniam quidem unum
omnibus finem natura vel ferro saeptis statuit, neque quisquam ex-
tremam necessitatem nihil ausus nisi muliebri ingenio expectat.
Verum ego seditiosus, uti Sulla ait, qui praemia turbarum queror, 16
et bellum cupiens, qui iura pacis repeto. Scilicet quia non aliter 17
salvi satisque tuti in inperio eritis, nisi Vettius Picens et scriba Cor-
nelius aliena bene parta prodegerint; nisi adprobaritis omnes pro-
scriptionem innoxiorum ob divitias, cruciatus virorum inlustrium,
vastam urbem fuga et caedibus, bona civium miserorum quasi
Cimbricam praedam vaenum aut dono datam. At obiectat mihi 18
possessiones ex bonis proscriptorum: quod quidem scelerum illius
vel maxumum est, non me neque quemquam omnium satis tutum
fuisse, si recte faceremus. Atque illa, quae tum formidine merca-
tus sum precio soluto iure dominis tamen restituo, neque pati con-
silium est ullam ex civibus praedam esse. Satis illa fuerint, quae 19
rabie contracta toleravimus, manus conserentis inter se Romanos
exercitus et arma ab externis in nosmet vorsa. Scelerum et con-
tumeliarum omnium finis sit. Quorum adeo Sullam non paenitet,
ut et facta in gloria numeret, et, si liceat, avidius fecerit.

5. Arus. p. 236: *Inops illius rei.* — *Salust. Histor.* I: agitandi inops. 12. solvere iniuriam Hegesipp. IV 2.

1. serviendum 𝔙. — 2. est *om. Cort.* faciendus 𝔙. — 3. inpolluta 𝔙. — 5. reliqua 𝔙. — 11. sepulchra 𝔙. — 13. saeptis 𝔙. — 14. expectat 𝔙. — 15. uti 𝔙. ut *al.* — 16. qui iura 𝔙. quia iura *Cort.* — 18. parata 𝔙. parta *Vatic. Bongarsianus.* adprobaritis 𝔙. approbaveritis *Cort.* proscriptionem 𝔙. proscriptiones *Cort.* — 19. inlustrium 𝔙. — 25. pretio soluto iure dominis tamen *libri* (praetio 𝔙). sum, pretio, soluto iure, dominis *Kr. Gerl.* precio soluto, iure tamen, dominis restituo *Link.* *Conicio scribundum* precio soluto iure dominus, tamen rest. i. e. *quamvis cum pretium solverim, iure dominus sim, tamen rest.* — 26. quaerabiae 𝔙. — 27. conserentis 𝔙. — 29. paenitet 𝔙.

20 Neque iam quid existumetis de illo, set quantum audeatis vereor: ne alius alium principem expectantes ante capiamini — non opibus eius, quae futiles et conruptae sunt, set vostra socordia, *per* quam captum ire licet et quam audeas tam videri felicem.
21 Nam praeter satellites conmaculatos quis eadem volt, aut quis non omnia mutata praeter victorem? Scilicet milites, quorum sanguine Tarulae Scirroque, pessumis servorum, divitiae partae sunt. An quibus praelatus in magistratibus capiundis Fufidius, ancilla turpis,
22 honorum omnium dehonestamentum? Itaque maxumam mihi fiduciam parit victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil
23 praeter tyrannum quaesitum est. Nisi forte tribuniciam potestatem evorsum profecti sunt, per arma conditam a maioribus suis, utique iura et iudicia sibimet extorquerent: egregia scilicet mercede, cum relegati in paludes et silvas contumeliam atque invidiam
24 suam, praemia penes paucos intellegerint. Qua re igitur tanto agmine atque animis incedit? Quia secundae res mire sunt vitiis optentui: quibus patefactis quam formidatus est tam contemnetur: nisi forte specie concordiae et pacis, quae sceleri et paricidio suo

14. Arus. p. 258: *Relegat in illum locum.* . *Sal. Histor.* I: relegat in paludes.

16. Senec. controv. VIII 13 p. 249 ed. Burs. *Tunc retulit aliquam Thucydidis* [debebat *Demosthenis* scribere] *sententiam δεινaὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα, deinde Salustianam:* res secundae mire sunt vitiis optentui. -- Porphyr. ad Hor. Ep. I 18, 29:

---

1. quantum audeatis 𝔙. quantum vos audeatis *Cort.* — 4. quam raptum iri licet et quam audeas tum videri felicem 𝔙. audeat *Vat. al.* audias *Vat.* 2. captum ire licet et quam audeat tam videri felicem *Cort.* quam raptum ire licet ei quem haud pudeat tam videri felicem *Or.* 1831. licet ei, quem pudeat vos tam videri felicem *vel* ei quem pudeat tam videri felicem *id.* 1835. sed vostra socordia conrepti. Scilicet quam audeas tam videri felicem *Link.* quam captum ire licet et quam audeatis tam videri felices *Mähly N. A.* LXXVII *p.* 78 *sq.* *Quoniam Lepidi haec est sententia: iam nunc Sullam capi posse, non licet coniungi* ante capiamini, quam captum ire licet: *unde adparet ultima verba ad socordiam pertinere. Qua re una vocula interposita — praesertim cum* 𝔙 *nonnullas tales lacunas habeat — paucisque leviter mutatis ita locus restitui posse videbatur, ut sententia communi, qua tamen Sullae mores tangerentur, quanta populi socordia esset, exprimeretur. Sequens* nam *pertinet ad explicandum, cur L. non vereatur, quid populus de Sulla existumet.* — 5. vult 𝔙. — 6. victoriam 𝔙. victorem *Kritz.* Scilicet milites *libri.* An [scilicet] milites *Link.* — 7. Tarulae Scirroque 𝔙.. Tarrulae Scyrroque *vel* Scyrtoque *al.* — 8. capiendis 𝔙. Fufidius 𝔙. Fusidius *Cort.* — 9. suis itaque iura 𝔙. utique *iamdudum em.* — 15. intellegerent 𝔙 *secund. Heysium. Utique emendand.* intellegerint. — 17. optenttui 𝔙. labefactis 𝔙. labefactatis *Cort.* patefactis *Mähly l. c. p.* 79.

nomina indidit: neque aliter rem publicam et belli finem ait, nisi maneat expulsa agris plebes, praeda civilis acerbissuma, ius iudiciumque omnium rerum penes se, quod populi Romani fuit. Quae 25
si vobis pax et conposita intelleguntur, maxuma turbamenta rei publicae atque exitia probate, adnuite legibus inpositis, accipite otium cum servitio, et tradite exemplum posteris ad rem publicam suimet sanguinis mercede circumveniundam. Mihi, quamquam per 26
hoc summum inperium satis quaesitum erat nomini maiorum, dignitati atque etiam praesidio, tamen non fuit consilium privatas opes facere, potiorque visa est periculosa libertas quieto servitio. Quae 27
si probatis, adeste, Quirites, et bene iuvantibus divis M. Aemilium consulem ducem et auctorem sequimini ad recipiundam libertatem.

---

1. aliter populo Romano esse belli finem *Cort.* finem esse *vel* emi ait *coni. Mähly l. c. p.* 79; *equidem malim* rem publicam firmam et belli finem ait, *quamvis ne tum quidem vehementer repugnem, si quis post* finem *excidisse* futurum *statuerit.* — 2. *Constructio verborum ita inpedita est, ut post* acerbissuma *excidisse credam, apud quos praeda civilis de Sullae sententia manere debeat.* — 4. pax et composita 𝔙. pax et concordia *Ald. Cort. Kr. quod esse in Vat.* 1 *et* 3 *dicitur. An* pax conposita et concordia? — 9. praedio 𝔙. — 11. Aemillium 𝔙.

42 [Kr. per err. inc. 52. G. I 17]. Tyrannumque et Cinnam maxuma voce adpellans.

Serv. ad Verg. Aen. IV 215: *Probrosis enim, non lenibus [verbis] veteres convicia dicebant, ut Sallustius:* tyrannumque excivitam maxima voce appellans. Id. ad I 5: *duas coniunctiones separatas naturaliter nemo coniungit — Sallustius:* tyrannumque et Cinnam. — Victor. ad Cic. de inv. p. 70: *interdum — ex libidine et quadam obtrectatione nomen imponitur, ut illud in Sallustio:* tyrannumque et Cinnam appellantes. — Convicium in M. Aemilium Lepidum iactum esse acute ostendit Link. de praef. urb. p. 7; set cum Serv. *adpellans*, Vict. *appellantes* tradat, in incerto relinquendum, utrum ab Q. Catulo conlega an ab optumatibus dictum fuerit, quamquam illud secundum App. de b. c. I 107 p. 524 Bekk. veri similius videtur.

43 [Kr. 46. G. 59]. Quin lenones et vinarii laniique, quorum praeterea volgus in dies usum habere solet, pretio conpositi.

Non. p. 180 ed. R. *Componere pro redimere. Sallustius lib.* I: Quin lenones et vinarii laniique, quorum praeterea vulgus in dies usum habet, pretio compositi. — Charis. p. 75 K. *Lanius dicitur, ut Terentius 'lani coci' et Sallustius:* quin vinarii laniique [laniique *recte add. Putsch.*], *ubi illud quoque notabimus vinarium dici* [recte ita conplevit Putsch.]. — Pertinere verba ad motum Lepidanum manifestissumum est.

44 [Kr. 47. G. 52]. Uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrume proficiscerentur.

Charis. p. 205: *Maturrime. — Sallustius historiarum* I: uti Lepidus et Catulus decretis exercitibus maturrime proficiscerentur.

45 [Kr. et G. 48]. **Etruria omnis cum Lepido suspecta in tumultum erat.**

Arus. p. 240: post locum fr. 13, praemisso *idem*, ubi fortasse excidit *in eodem*.

*46 [Kr. 49. G. 57]. Magna vis hominum convenerat agris pulsa aut civitate eiecta.

Serv. ad Verg. Aen. I 270: *Vis pro magna copia. — Sallustius:* magna *cet.* — Vix aliud quidquam reperies, quo aptius haec verba referantur, quam ad turbam hominum ab M. Aemilio Lepido conlectam.

*47 [Kr. 50. G. 60]. Qui aetate et consilio ceteros anteibat.

Serv. ad Verg. Aen. IX 246: *Annis gravis cet. Sallustius de Philippo:* qui aetate cet.

48 [Kr. 51. G. p. 144].

Oratio Philippi in sententia.

1 Maxume vellem, patres conscripti, rem publicam quietam esse aut in periculis a promptissumo quoque defendi, denique prava incepta consultoribus noxae esse. Set contra seditionibus omnia turbata sunt, et ab eis quos prohibere magis decebat, postremo quae pessumi et stultissumi decrevere, ea bonis et sapientibus
2 faciunda sunt. Nam bellum atque arma, quamquam vobis invisa, tamen quia Lepido placent, sumunda sunt: nisi forte cui pacem
3 praestare et bellum pati consilium est. Pro di boni, qui hanc urbem amissa curia adhuc tegitis, M. Aemilius, omnium flagitiosorum postremus, qui peior an ignavior sit deliberari non potest, exercitum opprimundae libertatis habet et se e contempto metuendum effecit: vos mussantes et retractantes verbis et vatum carminibus pacem optatis magis quam defenditis neque intellegitis mol-
4 litia decretorum vobis dignitatem, illi metum detrahi. Atque id iure, quoniam ex rapinis consulatum, ob seditionem provinciam cum exercitu adeptus est. Quid ille ob bene facti ***** cepis-
5 set, cuius sceleribus tanta praemia tribuistis? At scilicet eos, qui ad postremum usque legatos, pacem concordiam et alia huiusce modi decreverunt, gratiam ab eo peperisse. Immo despecti et

---

Var. scr. *Tit.* oratio Philippi insia 𝔓. in senatu *volg.* — 2. parva incepta 𝔓. — 4. ab iis 𝔓. *Cortius delenda censuit.* — 8. di 𝔓. — 9. omis sacura 𝔓. omissa cura *volg.* omissa a senatu cura *Orell. susp.* **amissa** curia *em. Haupt. Mus. Rhen.* 1842. tegitis 𝔓. regitis *antea volg.* — 11. et secontempto 𝔓. et ex contempto *Link.* — 12. carminis 𝔓. — 13. intellegitis 𝔓. mollitia 𝔓. — 16. obbenefacti cepisset 𝔓. *Manufestum igitur est, id quod acute perspexit Orellius, accusativum velut* gratiam *vel* honorem *excidisse.* ob bene facta *volg.* — 17. eos 𝔓. ii *Cort.* — 19. habeo peperisse 𝔓. peperere *nonnulli.*

indigni re publica habiti praedae loco aestumantur, quippe metu
pacem repetentes, quo habitam amiserant. Equidem a principio, 6
cum Etruriam coniurare, proscriptos accersi, largitionibus rem
publicam lacerari videbam, maturandum putabam et Catuli consilia
cum paucis secutus sum. Ceterum illi, qui gentis Aemiliae bene
facta extollebant et ignoscundo populi Romani magnitudinem auxisse,
nusquam etiamtum Lepidum progressum aiebant, cum privata arma
obprimundae libertatis cepisset: sibi quisque opes aut patrocinia
quaerundo consilium publicum conruperunt. At tum erat Lepidus 7
latro cum calonibus et paucis sicariis, quorum nemo *non* diurna
mercede vitam mutaverit: nunc est pro consule cum inperio non
empto set dato a vobis, cum legatis adhuc iure parentibus: et ad
eum concurrere homines omnium ordinum conruptissumi, flagrantes inopia et cupidinibus, scelerum conscientia exagitati, quibus
quies in seditionibus, in pace turbae sunt: ei tumultum ex tumultu,
bellum ex bello serunt, Saturnini olim, post Sulpici, dein Mari
Damasippique, nunc Lepidi satellites. Praeterea Etruria atque 8
omnes reliquiae belli adrectae, Hispaniae armis sollicitae, Mithridates in latere vectigalium nostrorum, quibus adhuc sustentamur,
diem bello circumspicit: quin praeter idoneum ducem nihil abest
ad subvortundum inperium.

Quod ego vos oro atque obsecro, patres conscripti, ut animad- 9
vortatis, neu patiamini licentiam scelerum quasi rabiem ad integros
contactu procedere. Nam ubi malos praemia secuntur, haut fa-
cile quisquam gratuito bonus est. An expectatis, dum exercitu 10
rursus admoto ferro atque flamma urbem invadat? quod multo
propius est ab eo quo agitat statu, quam ex pace et concordia ad
arma civilia, quae ille advorsum divina et humana omnia cepit,
non pro sua aut quorum simulat iniuria, set legum ac libertatis

Test. scr. 1. Arus. *Indignus hac re. Salustius Hist.* I: et indigni re publica.

---

3. accersi 𝔙. accersiri *vel* arcessiri *edd.* — 9. At tum 𝔙. attamen *Cort.* at tunc *Kr.* — 10. *Cum haec verba eo spectare adpareat, ut quam contemnendus antea fuerit Lepidi exercitus ostendatur, nihil aliud dici potuit nisi hoc: facillume omnes milites conmoveri potuisse ut ex eius castris dilaberentur. Hanc ergo sententiam ab Sallustio scriptam fuisse manufestum est: omnes diurna mercede vitam mutaturos, nedum Lepidum deserturos fuisse. Ergo cum Cortio advorsus* 𝔙 *auctoritatem* non *inserundum.* — 10. pro Cos. 𝔙. proconsul *volg.* — 15. hi *libri.* — 16. Sulpicii 𝔙. Mari 𝔙. — 23. ne patiamini 𝔙. rabiem 𝔙. tabem *Carrio Kr. Illud satis defenditur locis Liv.* IV 9 *extr.* XXI 48, 3. XXVIII 34 *in.* — 24. secuntur 𝔙.

11 subvortundae. Agitur enim ac laceratur animi cupidine et noxarum metu, expers consili, inquies, haec atque illa temptans, metuit otium odit bellum, luxu atque licentia carendum videt — at-
12 que interim abutitur vostra socordia. Neque mihi satis consili est, metum an ignaviam an dementiam eam adpellem: qui videmini intuentes mala quasi fulmen optare se quisque ne adtingat, set
13 prohibere ne conari quidem. Et quaeso considerate, quam convorsa rerum natura sit. Antea malum publicum occulte, auxilia palam instruebantur et eo boni malos facile anteibant: nunc pax et concordia disturbantur palam, defenduntur occulte: quibus illa
14 placent in armis sunt, vos in metu. Quid expectatis? nisi forte pudet aut piget recte facere. An Lepidi mandata animos movere? qui placere ait sua cuique reddi et aliena tenet, belli iura rescindi cum ipse armis cogat, civitatem confirmari quibus ademptam negat, concordiae gratia plebei tribuniciam potestatem restitui ex qua
15 omnes discordiae adcensae. Pessume omnium atque inpudentissume, tibine egestas civium et luctus curae sunt, cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam? Alterum consulatum petis quasi primum reddideris, bello concordiam quaeris quo parta disturbatur, nostri proditor, istis infidus, hostis omnium bonorum. Ut te neque hominum neque deorum pudet, quos per fidem aut per-
16 iurio violasti! Qui quando talis es, maneas in sententia et retineas arma te hortor, neu prolatandis seditionibus, inquies ipse, nos in sollicitudine adtineas. Neque te provinciae, neque leges, neque dei penates civem patiuntur. Perge qua coeptas, ut quam maturrume merita invenias.

17 Vos autem, patres conscripti, quo usque cunctando rem publicam intutam patiemini et verbis arma temptabitis? Dilectus adversum vos habiti, pecuniae publice et privatim extortae, praesidia

15. Prisc. VI p. 243 H. *invenitur etiam 'plebēs plebĕī'. Sallustius in* I *historiarum:* plebei tribuniciam potestatem *(nam 'plebs' 'plebis' facit genetivum).*

---

1. agitur 𝔅. angitur *in Vat.* 2 *esse traditur.* — 5. videmini itanta mala 𝔅. videmini intenta mala *al.* videmini tanta mala *Or.* *Conrexi* intuentes mala *maxume ob locum Demosth. Phil.* III 33 p. 119: *ἀλλ᾽ ὅμως ταῦθ᾽ ὁρῶντες οἱ Ἕλληνες ἀνέχονται καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον ὥσπερ τὴν χάλαζαν ἔμοιγε δοκοῦσι θεωρεῖν, εὐχόμενοι μὴ καθ᾽ ἑαυτοὺς γενέσθαι, κωλύειν δ᾽ οὐδεὶς ἐπιχειρῶν.* — 6. set 𝔅. — 15. plebei *om.* 𝔅. — 24. adtineas 𝔅. — 25. dii 𝔅. *Scribundumne est:* neque te provinciae magistratum neque leges neque dei penates civem? coeptas 𝔅. coepisti *Cort.* — 26. maturrime 𝔅. maturissime *edd.* — 28. dilectus 𝔅.

deducta atque inposita: ex lubidine leges inperantur, cum interim vos legatos et decreta paratis. Quanto mehercules, avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius erit, cum intelleget se metu magis quam aequo et bono sustentatum. Nam qui turbas et caedem ci- 18
vium odisse ait et ob id armato Lepido vos inermos retinet, quae victis toleranda sunt, ea cum facere possitis patiamini potius censet.
Ita illi a vobis pacem, vobis ab illo bellum suadet. Haec si pla- 19
cent, si tanta torpedo animos obrepsit, ut obliti scelerum Cinnae, cuius in urbem reditu decus ordinis huius interiit, nihilo minus vos atque coniuges et liberos Lepido permissuri sitis, quid opus
decretis? quid auxilio Catuli? Quin is et alii boni rem publicam 20
frustra curant. Agite, ut lubet! parate vobis Cethegi atque alia proditorum patrocinia, qui rapinas et incendia instaurare cupiunt et rursus advorsum deos penatis manus armare. Sin libertas et vera magis placent, decernite digna nomine et augete ingenium
viris fortibus. Adest novos exercitus, ad hoc coloniae veterum 21
militum, nobilitas omnis, duces optumi: fortuna meliores sequitur: iam illa, quae socordia vostra conlecta sunt, dilabentur.

Qua re ita censeo: quoniam M. Lepidus exercitum privato 22
consilio paratum cum pessumis et hostibus rei publicae contra huius ordinis auctoritatem ad urbem ducit, uti Appius Claudius interrex cum Q. Catulo pro consule et ceteris quibus inperium est urbi praesidio sint, operamque dent ne quid res publica detrimenti capiat.

8. Charis. p. 86: *Torpor et animi et corporis dicitur debilitatio, scilicet a torpedine pisce, cuius contactu corpus hebetatur: unde Sallustius hoc idem vitium* torpedinem *dixit.* Non. p. 155 ed. R. *Torpor generis masculini — Torpedo feminini. Sallustius Hist. lib.* I: haec si placent, si tanta torpedo animos oppressit [obressit, supr. p. L. obrepsit AJ].

---

2. Quanto 𝔙. Et quanto *Cort.* me hercule 𝔙. me Hercules *Link.* — 3. intelleget 𝔙. — 5. *Requiro* odisse se ait, *ne* vos *obposito careat.* inermos 𝔙. inermes *Cort.* — 8. oppressit 𝔙. obrepsit *Non. codd. quod probandum propter* Ep. ad Caes. II 8, 7. Tac. Hist. III 63: tanta torpedo invaserat animum. — 11. aliboni 𝔙. — 12. ut 𝔙. uti *Cort.* — 14. nomini 𝔙. — 15. novos 𝔙. — 17. socordia nostra collecta sunt 𝔙. collecta sunt socordia nostra *Cort.* vostra *ego conr.* — 18. quoniam Lepidus 𝔙. quoniam M. Lepidus *Or.* — 20. uti 𝔙. ut *Cort.* — 21. procos. 𝔙.

49 [Kr. et G. 53]. Lepidum paenitentem consili.

Charis. p. 253: *oportet me, poenitet me, pudet me, piget me. quamvis Sallustius dixerit in prima historia:* Lepidum poenitentem consilii. — Quamquam

Lepidum aegre ferentem frustra suscepta consilia et uxoris adulteria mortuum esse constat (Drum. IV p. 346), tamen Sallusti verba vix apte ad mortem eius referentur.

50 [Kr. 52. G. 77]. Apud Mutinam.

Commemorat haec verba Prisc. XV p. 1008 P. p. 67 H. ac quamquam dubitari potest num grammaticus ea ex primo libro petita significarit, tamen nullus eis idoneus locus nisi in hoc libro adsignari potest. Ad Mutinam enim M. Brutus, M. Lepidi socius, victus est (Drum. IV p. 344 sq.); alio loco copiam eius oppidi commemorandi fuisse nescimus.

*51 [Kr. 54. G. 57]. Serv. ad Verg. Aen. X 168: *Cosas; civitas Tusciae, quae numero dicitur singulari secundum Sallustium.* Ab Cosa Lepidum in Sardiniam aufugisse constat (Drum. IV p. 346). Alibi locus eius oppidi commemorandi vix fuerit.

52 [Kr. 55. G. 62]. Curionem quaesit, uti adulescentior et a populi suffragiis integer aetati concederet Mamerci.

Prisc. X p. 535: *similiter 'quaeso quaesi'; Probus tamen 'quaesivi' dicit, et melius, quamvis primitivum quoque eius, i. e. 'quaero', 'quaesivi' facit praeteritum, sed Sallustius in I historiarum:* Curionem cet. *quaesit* Hertz ex G. *quaesivit* al. — Cum. Mam. Aemilius Lepidus Livianus, quem antea propter praetermissionem aedilitatis consulatus repulsam tulisse Cic. d. off. II 17, 58 testatur, a. 77 cum D. Iunio Bruto consul fuerit, recte De Brossius perspexit, illius conpetitorem, Curionem, a viro quodam auctoritate magna (Appium Claudium interregem fuisse, Fr. I 47, 22, non sine veri specie suspicatus) permotum esse, ut a petitione desisteret.

53 [Kr. 89. G. 67]. Idem fecere *Gn.* Octavius et Q. Caepio sine gravi cuiusquam expectatione neque sane ambiti publice.

Serv. ad Verg. Aen. IV 283: *[ambire] significat et rogare — Dicebatur et 'ambio illum' pro 'rogo illum'. Sallustius in primo:* Idem — publice, *h. e. neque valde rogati.* — Acute Kr. in ed. novissuma suspicatus est, haec verba ad eandem rem atque praecedens fr. spectasse. Quae suspicio eo maxume confirmatur, quod Gn. Octavius a. 76 (678) cum G. Scribonio Curione consul fuit, ergo hos iam superiore anno conpetitores fuisse veri simillumum est. Praenomen cum nullo modo omitti possit, ego *Gn.* interposui.

*54 [Kr. 56. G. II 1]. M. Lepido cum omnibus copiis Italia pulso segnior neque minus gravis et multiplex cura patres exercebat.

Victor. ad Cic. p. 59 Or. *item copulatio rationabilis verborum plurimorum unam rem continet, maxime si in narratione sit, cum praemissa verba tertia persona concludit, ut* M. Lepido — exercebat. *Haec tertia persona unam rem fecit omnium superiorum.* Serv. ad Verg. Aen. I 630: Non ignara mali miseris succurrere disco. *Quare 'non disco'? Quia non sum ignara. Bis enim intelligimus 'non', ut supra diximus. Sic Sallustius:* segnior neque minus gravis et multiplex cura. — Acute Kritzius ex eo ordine, quo Appianus, Sallustium apertissume secutus, res enarravit, conclusit, scriptorem nostrum ab tumultu Lepidano ad Sertoriani belli principia transgressum esse. Cui transitui verba illa inservivisse quis non perspicit?

*55 [Kr. 57. G. 80]. **Magna gloria tribunus militum in Hispania T. Didio inperante, magno usu bello Marsico paratu militum et armorum fuit, multaque tum ductu eius *manu*que patrata primo per ignobilitatem deinde per invidiam scriptorum celata sunt. Quae vivos facie sua ostentabat aliquot advorsis cicatricibus et effosso oculo; quin illo dehonestamento corporis maxume laetabatur, neque elisis anxius, quia relicua gloriosius retinebat.**

Gell. N. A. II 27 hunc locum conparat cum Dem. de cor. 67 p. 247. Sententiam Sallusti tetigit Donat. ad Ter. Eun. III 2, 29: *neque cicatrices] Insigne foeditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etsi semper gloriosae sint, non tamen etiam apud meretrices, quibus post pretium forma placet. Ut Sallustius quoque fatetur:* Haec sunt virtutis insignia: dehonestamento tamen esse corpori maxime laetabatur. — Libri primi hunc locum fuisse ac narrationis quidem de priore Q. Sertori vita interpositae in aperto est non minus, quam Plut. Sert. c. 4 sua ex eo hausisse. — 1. tribus milibus *libri, quod iamdudum emendatum* (Plut. l. c. 3 ὑπὸ Δειδίῳ στρατηγῷ χιλίαρχος). — 2. usi *libri nonnulli.* usui *Gron.* — 3. ductu eius que rapta V (*Vat.* 3452) P (*Paris.* 5756). q̃ rapta R (*Rottendorf. Leid.*). ductu eius curata *Carrio.* ductu eius coerata *Link. em. Sall. p.* 25 *n.* 1. ductu eius peracta *Mähly N. A.* LXXVII p. 79. *Vere Hertzius vocabulum excidisse iudicavit, set cum ipse* iussu *subplevisset, rectius Link.* manu *expectari monuit, cfr. Plut.* c. 4: οὐ μὴν ὑφήκατο τῆς στρατιωτικῆς τόλμης εἰς ἀξίωμα προεληλυθὼς ἡγεμόνος, ἀλλὰ καὶ χειρὸς ἐπιδεικνύμενος ἔργα θαυμαστὰ καὶ τὸ σῶμα τοῖς ἀγῶσιν ἀφειδῶς ἐπιδιδοὺς τῶν ὄψεων ἀπέβαλε τὴν ἑτέραν ἐκκοπεῖσαν. patrata *ego proprio Marte novavi.* — 4. celebrata VPR. incelebrata *Iac. Gron.* celata *Hertz.* que vivus faciem suam VPR. quanquam vivus faciem suam ost. *Link.* quae comminus *edd. Sall.* — 6. quid ille VPR. *quae verba ab Gellio interposita, non Sallusti esse suspicatus est Link.* quin ille *Hertz.* ille, *quod Sallustianum esse Link. negavit, ego in* illo *mutavi.* — 7. illis *ferri non posse vere monuit Link., ac recepit Lachmanni coniecturam:* neque illi anxius, quo relicuo gloriosius renidebat. *Ex ultimis verbis* quia relicua gloriosius retinebat, *quae omnes libri tuentur, adparet hoc dixisse Sallustium: Sertorium non aegre tulisse laesa ac violata membra, quod relicua per illa maiore honore et gloria afficerentur. Qua re pro* illis *scripsi* elisis. *Laetabatur dehonestamento corporis neque membra violata esse anxie ferebat, quia cet.*

*56 [Kr. et G. 58]. **Et ei voce magna gratulabantur.**

Donat. ad Ter. Andr. V 4, 36: *gaudemus nostris, gratulamur alienis. Ut Sallustius:* et — gratulabantur. Quae eadem verba iterum ad vs. 42 conmemorat. — Acute perspexit Kritzius, haec verba eius loci fuisse, quem expressit Plut. Sert. c. 4 ἀπέδωκε δὲ καὶ ὁ δῆμος αὐτῷ τιμὴν πρέπουσαν. εἰσελθόντα γὰρ εἰς θέατρον ἐξεδέξαντό τε κρότῳ καὶ κατευφήμησαν, ὧν οὐδὲ τοῖς πάνυ προήκουσιν ἡλικίᾳ τε καὶ δόξῃ τυχεῖν ἦν ῥᾴδιον. Cum vero Plutarchus eam rem statim post illa, quae fr. 53 dicta sunt, conmemoret, quo loco haec verba ponenda sint dubium non est.

*57 [Kr. 28. G. 20]. **Cuius advorsa voluntate conloquio militibus permisso conruptio facta paucorum et exercitus Sullae traditus est.**

Conmemoravit haec verba Donat. ad Ter. Eun. III 2, 13, ubi conrupte legitur: *cuius ad verba voluntate* et *promisso.* Rectissume Kritzius

haec verba pertinuisse ad eandem rem, ad quam fr. 22, et *cuius* intellegendum esse Sertori (cfr. Plut. Sert. 6. Iul. Exsup. 7 p. 219 ed. Gerl. IV). Cum autem Link. em. p. 23 sq. sobrie ne nimius ambitus prooemio tribueretur dehortatus, verba haec potius in narratione de superiore Sertori vita videri fuisse monuisset, hoc loco ponere malui, nec vero obsecutus sum illi etiam fr. 22 hic reponi iubenti, primum quia S. non magis apte quam in belli civilis adumbratione Sertori mentionem fecisse, in ἐπεισοδίῳ de Sertorio fusius illam rem narrasse videbatur, dehinc quod non intellegebam, quem locum voces illae conloquentium militum post aut ante ea verba habere potuissent, quae omnem rem breviter set plene dictam continerent.

***58** [Kr. inc. 61. G. inc. 23]. **Cui nisi pariter obviam iretur.**

Donat. ad Ter. Eun. I 2, 12: *Pariter, similiter. Sallustius:* cui nisi pariter obviam iretur. — Non dubium est, quin vere Link. em. p. 30 sq. indicaverit, haec ipsa verba Iul. Exsup. c. 8 ex Sall. hausisse: *tunc Sertorius de Marii potestate securus Romam venit et omnium coepit accusare segnitiem et ex multis promptissimis factis Syllae industriam laudare*, cui nisi obviam iretur, *actum iam et debellatum foret.* Ac recte apud Exs. ex Don. inseretur *pariter*, i. e. similiter, ut ipse Sulla ageret, et videndum annon Sall. verbis addenda sint *actum iam et debellatum foret* vel *fore.*

***59** [Kr. 59. G. inc. 14]. **Hispaniam sibi antiquam patriam esse.**

Serv. ad Verg. Aen. I 380: *Patria enim i. e. civitas in provincia esse potest, non tamen ut ipsa provincia patria sit. Licet in Sallustio lectum sit* Hispaniam sibi antiquam patriam esse, *sed illic ad laudem pertinet, non ad veritatem.* Id. ad III 298: *Sed aut provinciam pro patria posuit, ut 'Italiam quaero patriam'. Item Sallustius* Hispaniam sibi patriam esse. — Haec ab Sertorio dicta fuisse, quo Hispanorum animos sibi conciliaret, qui certum esse negaverit, eorum videtur esse, qui nisi quae manibus tangi possint, non credant; illud dubitari poterit, quo loco ea dixerit Sertorius, nec tamen veri dissimile ea lecta fuisse, ubi eum in Hispaniam provinciam ab Marianis missum provincialium animos in favorem partium suarum modeste tuendo ac blandiendo perduxisse (verba sunt Exs. c. 9) narratum erat.

60 [Kr. 60. G. 87]. **Earum aliae paululum progressae nimio simul et incerto onere, cum corpora pavor agitaverat, deprimebantur.**

Gell. N. A. X 26, 10: *Propterea Sallustius in eodem libro* [vid. infra 65] *non eos solum, qui navibus veherentur, sed et scaphas quoque 'nantes' progressas dicit. Verba ipsa posui:* earum — deprimebantur. Non. p. 307 corrupte: *Alibi de scafis:* earum aliae paulum nimio progressae inter eum sicco onere, cum pavor corpora agitaverat, deprimebantur. — Lecta fuisse haec verba, ubi res ab Plut. Sert. c. 7 extr. exposita narrata erat, in propatulo est.

***61** [Kr. 61. G 81 et 82]. **Traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse, cuius duas insulas, propinquas inter se et decem millia stadium procul a Gadibus sitas, constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere.**

Serv. ad Verg. Aen. II 640: *agitate, disponite, cogitate. Sallustius:* traditur fugam in Oceani longinqua agitavisse. Eadem verba memoriae prodidit Acron ad Hor. Epod. 16, 42. — His verbis, ne dicam certissu-

mum, at paene certum est continuanda esse quae Non. p. 338 ex libro XI, IX, IV (ut libri variant) servavit: cuius [*sic libri; quas cj. Roth.*] duas — — a Gadibus satis [sitas *em. Carrio*] — — gignere.

*62 [Kr. 62. G. 83]. Serv. ad Verg. Aen. V 735: *Secundum philosophos Elysium est insulae fortunatae, quas ait Sallustius inclutas esse Homeri carminibus.*

Fortasse non dissensit Sall. ab eis quae Plut. scripsit Sert. 8 extr. *ὥστε μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχθαι πίστιν ἰσχυρὰν αὐτόθι τὸ Ἠλύσιον εἶναι πεδίον καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων ἐνοίκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησεν.*

*63 [Kr. 63. G. 84]. Maurique, vanum genus ut alia Africae, contendebant antipodas ultra Aethiopiam cultu Persarum iustos et egregios agere.

Prisc. XIV p. 994 P. p. 46 H. *Ultra praepositio apud Sallustium in Iugurthino:* Maurique — agere. Non. p. 282: *Vanum est mendax.* — *Sallustius in Iugurthae bello:* Mauri vanum genus. — Tetigit eadem Tertull. de anima p. 313 (vid. inc. 73). Grammaticos in titulo libri memoria lapsos esse nemo infitiabitur. Neque alius locus fuit de situ Africae dicendi nisi in primo libro.

*64 [Kr. 121. G. inc. 87]. Steph. Byz. p. 15 ed. Westerm.: *Ἄζιλις, πόλις Λιβύης. οἱ δὲ περὶ Σαλούστιον οὐ πόλιν, ἀλλὰ τόπον φασὶ καὶ ποταμὸν εἶναι.*

Si quae venia coniectandi datur, cum Kr., eum locum Sall. in rebus ab Sertorio in Mauritania gestis fuisse, veri simile esse non negabis.

65 [Kr. 64. G. 85]. Itaque Sertorius levi praesidio relicto in Mauritania nanctus obscuram noctem aestu secundo furtim atque celeritate vitare proelium in transgressu conatus est.

Gell. N. A. X 26, 1: *Asinio Pollioni in quadam epistula, quam ad Plancum scripsit, et quibusdam aliis, G. Sallustio iniquis, dignum nota visum est, quod in primo historiarum maris transitum transmissumque navibus factum 'transgressum' appellavit eosque qui fretum transmiserant, quos 'transfretasse' dici solitum est, 'transgressos' dixit. Verba ipsa Sallusti posuit:* itaque — conatus est. Non. p. 307: *Transgressus a pedum gradu proprie dicitur, sed auctoritas vetustatis liberiorem loquendi usum dedit, ut Sallustius Hist. lib.* I *et de his qui navigassent et de ipsis navibus eo verbo uti voluit, in quibus gradus non sit: de Sertio* [Sertorio]: nactus obscuram noctem aestu secundo *****. — Quo haec referunda sint, eo minus dubium est, quod classem Romanorum in illa regione fuisse Kr. demonstravit ex Plut. Sertor. c. 12.

66 [Kr. 65. G. 86]. Transgressos omnis recipit mons ****** praeceptus a Lusitanis.

Gellius post verba ad 63 relata sic pergit: *deinde infra ita scripsit:* Transgressos omnis recipit mons praeceptus a Lusitanis; Non. autem: *Ac inde qui:* transgressos omnes recipit mons praeceptus a Lusitanis. Nomen montis ab Sallustio interpositum fuisse ex Serv. ad Verg. Aen. I 518 cognovimus, set volgo *Belleia* scribitur, L. et Guelf. II *Paleia*, alii *Balleia, Talcta, Belona.* Guelf. I *monst"lera.* Kritzius a Casselio confirmatus, quod *Bal* lingua Celtica cacumen significaret, *Balleia* verum in-

dicavit. Fuit oppidum *Belon*, de quo Strab. p. 140 Casaub. 188 Mein.: *Εἶτα Μελλαρία ταριχείας ἔχουσα καὶ μετὰ ταῦτα Βελὼν πόλις καὶ ποταμός. ἐντεῦθεν οἱ διάπλοι μάλιστά εἰσιν εἰς Τίγγιν τῆς Μαυρουσίας καὶ ἐμπόρια καὶ ταριχεῖαι* et Steph. Byz. p. 72 ed. West.: *Βελών, πόλις καὶ ποταμὸς ἐν τῇ Βαιτικῇ τῆς Ἱσπανίας. ὁ πολίτης Βελώνιος.* Plin. H. N. V 1, 2: (Tingis) abest a Belone oppido Baeticae proximo traiectu XXX M. pass. Id oppidum (nunc Belonia) situm fuisse docuit Mannert geogr. I p. 293 inter duo promontoria, quorum alterum nunc de Plata, alterum Paloma nominatur. Huius nomen antiquum in scripturis librorum Servi latere puto.

67 [Kr. 66. G. 120]. At per omnem provinciam magnae atro*cesque famae ibant*, cum ex suo quisque terrore quinquaginta aut amplius hostium millia, novas inmanis *formas a fluctibus* Oceani acc*it*as corpori*bus* hominum vesci contenderent.

Extat hoc fragm. ap. Verg. interpr. ad Aen. IV 178 p. 42 ed. Mai. Cod.: *magnae atro.* quod H. Keilius subplevit (Val. Prob. in Verg. comm. acc. schol. Veronens. in Verg. fr.) *cesque famae ibant;* quem utpote libri naturae gnarum, sequi malui, quam Kritzium et Gerlachium, qui *ibant* non receperunt. Infra lacunam Kr. explevit: *inmanis formas, Oceani accolas.* Gerl. *inmanes feras Oceani accitas.* Keil: *novas immanes formas fluctibus Oceani adpulsos;* ego: *novas inmanis formas a fluctibus Oceani accitas.* — Cum Plut. Sert. c. 12 Libyes ab Sertorio in Hispaniam adductos esse memoriae prodiderit, de eis fabulosos rumores per provinciam sparsos ab Sall. commemoratos fuisse veri simillumum est.

68 [Kr. 68. G. 111]. Et mox Fufidius adveniens postquam tantas copias, haut facilem pugnantibus vadum, cuncta hosti quam suis oportuniora videt.

Non. p. 157: *Vadum generis neutri —. Masculini Sallustius Historiarum* I: et mox — videt. — *Stipidius* L, AJ. *Aufidius* Lipsius epp. quaest. p. 295. -- *spiras* libri. *asperitates* Carrio. *copias* ego. — *oportunio pavidet* L. -- Cfr. Plut. Sert. 12: *Φουφίδιον* (sic recte pro *που Φίδιον* em.) *δὲ τὸν ἄρχοντα τῆς Βαιτικῆς περὶ τὸν Βαῖτιν ἐτρέψατο δισχιλίους ἀποκτείνας Ῥωμαίων.*

69 [Kr. 71. G. 88]. Domitium proconsulem ex citeriore Hispania cum omnibus copiis, quas paraverat, arcessivit.

Prisc. X p. 531: '*arcesso, arcessivi*' — *Sallustius in* I *historiarum.* Domitium — arcessivit. — Magni de hoc loco errores diffusi fuere. Cum enim apud Plut. Sert. c. 12 haec legerentur: *Δομέτιον δὲ καὶ Λούσιον ἀνθύπατον ὄντα τῆς ἑτέρας Ἰβηρίας διὰ τοῦ ταμίου καταγωνισάμενος καὶ Θωράνιον ἄλλον ἡγεμόνα τῶν ὑπὸ Μετέλλου πεμφθέντων μετὰ δυνάμεως ἀνεῖλε*, conclusere viri docti Domitium quoque a Metello missum vel arcessitum esse eumque arbitrati sunt fuisse L. Domitium Ahenobarbum (Drum. III p. 31. IV p. 355), qui secund. Liv. ep. 90 et Flor. II 10, 6 fuit legatus Metelli, eoque confidentius, quod Eutrop. VI 1 L. Domitium praetorem nominat; scilicet apud Plutarchum scribundum rati *Δομέτιον δὲ Λεύκιον*, praenomine ut ap. Cass. Dion. XXXIX 14 postposito. Cui sententiae vel illud obstat, quod in Plut. libris *καὶ* ante *Λούσιον* legitur. Unde emendandum esse intellexere Plutarchi editores *Καλουίσιον.* Pro consule igitur in Hispaniam missus erat M. Domitius Calvinus et Plut. eo nomine erravit, quod eum cum L. Domitio Ahenobarbo confundens, ab Hirtuleio, Sertori quaestore, victum esse narravit. M. Domitium

ab Fufidio, cum ad Baetim victus esset, arcessitum esse, quo eximio acumine ingeni est, perspexit Th. Mommsen H. R. III p. 17.

70 [Kr. 70. G. 122]. Et numeri eorum Metellus per litteras gnarus.

Arus. p. 233: *Gnarus illius. Sal. Hist.* I. — Hoc fragmentum propterea ante ea quae secuntur conlocavi, quia mihi veri simile videbatur, de Metello bellum adparante dictum fuisse.

71 [Kr. 69. G. 99]. Iussu Metelli cornicines occanuere.

Prisc. X p. 529: *quidam autem et 'occano, occanui' protulerunt, ut Sallustius in I historiarum:* iussu Metelli cornicines occanuere. Diom. p. 373 sq. *occino occini. est enim cano cecini: in compositione quia [non] iteratur, amittit unam syllabam. sed Sallustius dicit in primo historiarum:* iussu Metelli cornicines occanuere. — Serv. ad Verg. Ge. II 384: *Sic etiam ab eo quod est cano, non 'cecini', sed 'canui' dicebant, unde Sallustius* cornua occanuerunt. Ita Lion edidit, Keilius tamen ad Diom. l. c. 'cornua occanuerunt' inquit 'ex primo historiarum libro Servius in Verg. Georg. II 384'; quod si verum est, eo minus dubium videtur, quin Servius in eodem loco adferendo erraverit. Kritzius tamen [Inc. 82] et Gerlachius [I 100] integrum fragmentum esse maluerunt.

72 [Kr. 72. G. 105]. Occupatusque collis editissumus apud Ilerdam. Eum multo opere circumdat.

Arus. p. 219: *Circumdo hac re illam rem. Sal. Hist.* I: occupatusque collis editissimus. eum multa opera circumdat. Prisc. XV p. 1008 P. p. 66 H. *Sallustius in Hist. — et* apud Ilerdam, eum multa opera circumdata. — *Multo opere* conrigendum putavi, quoniam ita demum locus recte et ob rem ab Arusiano conmemoratus est. — Ceterum haec verba lecta fuisse in proelii inter Hirtuleium et L. Mallium conmissi (Drum. IV p. 357 sq. Momms. III p. 18) narratione satis apertum est.

*73 [Kr. II 20. G. II 72]. Qui (*Celtiberi*) se regibus devovent ut post eos *occisos* vitam refutent.

Serv. ad Verg. G. IV 218: *pulchram mortem, gloriosam quippe quae pro rege suscipitur. Traxit autem hoc de Celtiberorum more, qui ut in Sallustio legimus,* se regibus cet. — Volgo editur *et — refutant*, set rectius scribi *ut refutent*, cum necessario dicendum fuerit qua condicione se regibus devoverint, facile adparet; cfr. de eodem Gallorum more Caes. B. G. III 22 *cum DC devotis — quorum haec est conditio uti — si quid his per vim accidat, aut eundem casum una ferant aut sibi mortem consciscant.* Post *eos* autem excidisse *occisos* vel simile vocabulum ut statuamus et perspicuitas postulat, et Val. Max. II 6, 11: *Celtiberi etiam nefas esse ducebant proelio superesse, cum is occidisset, pro cuius salute spiritum devoverant*, quem ex Sallustio hausisse credibile est, docet. Quo nexu illa dicta fuerint, ostendit locus Plut. Sertor. c. 14: *ἔθους δ' ὄντος Ἰβηρικοῦ, τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα τεταγμένους συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι καὶ τοῦτο τῶν ἐκεῖ βαρβάρων κατάσπεισιν ὀνομαζόντων τοῖς μὲν ἄλλοις ἡγεμόσιν ὀλίγοι τῶν ὑπασπιστῶν καὶ τῶν ἑταίρων, Σερτωρίῳ δὲ πολλαὶ μυριάδες ἀνθρώπων κατεσπεικότων ἑαυτοὺς ἠκολούθουν.* Ceterum hoc fragmentum libro primo potius, quam cum Gerl. et Kritzio secundo adscribendum putavi, quoniam apud Plutarchum statim ea secuntur, quae ex primo libro conmemoravit Non. fr. 74. Quamquam de moribus ferocibus Hispanorum in libro II dictum fuisse certum est.

74 [Kr. 73. G. 115]. Sertorius portis turbam morantibus et nullo, ut in terrore solet, generis aut inperi discrimine per calonum corpora ad medium evasit, dein superadstantium manibus in murum adtollitur.

Non. p. 363: *Deinsuper. Sallustius Hist.* I: Sertorius partis turbam orantibus et nullo, ut in terrore semet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora ad mediam quasi: dein super stantium manibus in murum adtollitur. Id. p. 193: *discrimen rursum separatio, a discernendo, unde et discerniculum dicitur acus, quae capillos a media fronte disseparat. Sallustius Historiarum lib.* I: Sertorius fortis turbam morantibus et nullo ut in terrore solet, generis aut imperii discrimine, per calonum corpora ad medium quasi: dein super adstantium manibus in murum attollitur. — Quas exhibui emendationes, Mercero debentur. — De re cfr. Plut. Sert. 14 extr. *λέγεται δὲ πρός τινι πόλει τροπῆς γενομένης καὶ τῶν πολεμίων ἐπικειμένων τοὺς Ἴβηρας ἀμελήσαντας αὐτῶν τὸν Σερτώριον σώζειν καὶ τοῖς ὤμοις ἐπαραμένους ἄλλους πρὸ ἄλλων ἀνακουφίσαι πρὸς τὰ τείχη, γενομένου δ' ἐν ἀσφαλεῖ τοῦ ἄρχοντος, οὕτω τρέπεσθαι πρὸς φυγὴν ἕκαστον αὐτῶν.*

75 [Kr. 74. G. 109]. Et Diponen validam urbem multos dies restantem pugnando vicit.

Non. p. 360 haec verba ex Hist. lib. I adfert, quo accusativi temporis rationem ostendat. *Diponem* libri eius *Aaδ.* *digonem* ms. Jun. *et ponere* edd. ante 1526. *Hipponem* vel *Vizonem* cj. Putsch, *Olyssiponem* Jun. *Tigennam* Coler. De Dipone vid. Ukert. geogr. Graec. et Rom. II p. 418.

*76 [Kr 75. G. 111]. Cui nomen oblivionis condiderant.

Serv. ad Verg. Aen. I 267: *Dicimus autem 'et nomen mihi est Cicero' — et 'Ciceronis', ut Sallustius:* cui nomen oblivionis condiderant. — Cum fluvio Limnaeae vel Belioni certam ob caussam nomen λήθης i. e. oblivionis inditum esse constet (Strab. III p. 153 C. 207 et 208 Mein. Liv. ep. 55. Flor. I 34, 12. Mel. III 1, 8. Mannert. geogr. I p. 341), rectius Kritzium adparet haec verba ad eum fluvium rettulisse, quam Gerlachium, de oppido Lete dicta arbitratum, cum fr. 82 coniunxisse. Ceterum vide an *indiderant* legundum sit.

77 [Kr. 76. G. III 9]. Illum raptis forum et castra nautica Sertorius conmodaverat.

Verba leguntur ap. Pomp. comm. art. Don. p. 152 ed. Lindem., set ibi *mutaverat* scriptum, quod in *conmodaverat* conrexi. Non. p. 140, quo *forus* masculino genere dictum esse demonstraret, ex primo histor. adtulit: *illum nautis forum*, ubi aperte *nautis* ex *raptis* conruptum est. Ab Sertorio ad Dianium piratis stationem praebitam esse constat ex Strab. III p. 159 C. 215 Mein. Cic. in Verr. V 56, 146; cfr. Momms. H. R. III p. 20. Mannert. geogr. ant. I p. 411.

78 [Kr. 77. G. 66]. Itaque Servilius aegrotum Tarenti conlegam prior transgressus.

Ex lib. I commemorat Prisc. XV p. 1006 P. p. 64 H., apud quem scriptum fuit *atque Serv.* Quin de P. Servilio Vatia (Isaurico), qui a. 675 (79) cum App. Claudio Pulcro consul fuit, dicta sint, dubium non est, neque ab veri specie abhorret, illam transgressionem factam esse, cum uterque pro consule in provinciam profectus esset.

79 [Kr. 79. G. 124]. Ad Olympum atque Phaselida.

Cum Prisc. XV p. 1008 P. p. 66 H. haec verba ex primo libro adferat, quin ad P. Servilium, qui Olympum et Phaselidem magna gloria expugnavit (Cic. in Verr. I 21, 56. IV 10, 21. Flor. I 41, 5. Eutrop. VI 3. Oros. V 23. Drum. IV p. 396 sq.), spectaverint dubitari nequit.

80 [Kr. 80. G. II 83]. Iter vortit ad Corycum urbem inclutam specu atque nemore, in quo crocum gignitur.

Non. p. 137 hunc locum protulit, quo *crocum* neutro genere dictum esse ostenderet, set ex libro II; at cum Prisc. XV l. ad 79 conl. ex primo libro adferat, ac Corycum ab P. Servilio expugnatam esse constet ex Pseudo-Asc. ad Cic. Verr. I 21, 56 p. 173 Or., apud illum in numero erratum esse nemo infitiabitur. — Quod in Noni libris est *pactusque*, Havercampius emend. *specu atque*, conl. Strab. XIV p. 670 C. 935 Mein. Curt. III 4, 10. Mel. I 13. Minus probabilis visa est Wagneri suspicio Act. gymn. IX p. 195: *incluta portu, specu, nemore.*

81 [Kr. 81. G. 113]. Apud Lete oppidum.

Prisc. l. ad 79 conl. ex primo libro haec verba adtulit. Lethe oppidum num in Hispania extiterit, nescio; in Macedonia fuisse Plinius memoriae prodidit H. N. IV 10, 17, et ap. Prisc. libri *Lete.* Unde adparet, male haec verba Douza auctore cum 76 coniuncta esse. Cum autem Appium Claudium Pulcrum pro cos. in Macedonia bellum gessisse constet (Drum. II p. 184. Momms. III p. 35), eiusque in hoc libro mentionem factam fuisse fr. 78 doceat, probabiliter Kritzius res ab eo gestas narratas ibique Lete oppidum conmemoratum fuisse coniecit.

82 [Kr. 82. G. 114]. Repulsus a Lete oppido.

Prisc. l. c.

Subiungam iam ea fragmenta, quae ex libro I conmemorata, quo referenda aut quo modo emendanda vel explicanda sint, dubium esse videatur.

83 [Kr. 83. G. 95]. Et stationes sub vineas removebat.

Arus. p. 261 ex libro I adfert, lemmate praemisso *sub illam rem removit.* Ad eam rem spectare, quam App. b. c. I 91 p. 510 Bekk. narravit: *καὶ περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἐν Φαουεντίᾳ Κάρβων καὶ Νωρβανὸς ἐξ ὁδοῦ βραχὺ πρὸ ἑσπέρας ἐπὶ τὸ Μετέλλου στρατόπεδον ἐλθόντες λοιπῆς οὔσης ὥρας μιᾶς καὶ ἀμπέλων πυκνῶν περικειμένων ἀνοήτως εἰς μάχην ἐξέταττον*, nemo facile Kritzio adsentietur. Cum enim de re bello gesta Sallustium locutum fuisse luce clarius sit, de vineis militaribus illis obsidionum instrumentis cogitandum esse adparet. Qua re de excursione quadam obsessorum, qua milites ex stationibus sub vineas sese recipere coacti essent, dictum videtur fuisse.

84 [Kr. 84. G. 61]. Magnis operibus perfectis obsidium coepit per L. Catilinam legatum.

Fest. p. 191 ed. Lind.: *Obsidium tamquam praesidium, subsidium recte dicitur. cuius etiam auctor G. Laelius pro se apud populum: 'uti nobis terra marique simul obsidium facerent'.* Et *Sallustius historiarum* I: Magnis opique profectus oppidum coepit per L. Catilinam legatum. Quae menda iamdudum ab viris doctis emendata sunt. Kritzius, cum Festus hunc locum adtulisset, ut obsidium de auxilio dictum esse alio praeter Laeli exemplo confirmaret, *cepit* scripsit atque hanc sententiam esse statuit:

auxilium accepit per L. Catilinam legatum. At *capere* pro accipere ita dici nequit ac divorsa sunt, quae Kr. ad Iug. 85, 18 contulit. Mihi hoc Sallusti exemplum Laeli obpositum videtur fuisse nec dubito ap. Festum reponere *At Sall.* Cum autem L. Catilinam legatum sive Sullae, sive alius praeclari ducis fuisse ignoretur, — mirum autem esset, si omnes scriptores de ea re tacuissent — cumque Festi librum conruptissumum esse adpareat, audeo coniectari, non L. Catilinam conmemoratum fuisse, set Q. Lucretium Ofellam, quem Sulla magnis operibus perfectis ad obsidendum Praeneste reliquit (cfr. Drum. II p. 462).

85 [Kr. 85. G. III 65]. **Maturaverunt exercitum Durrachium cogere.**

Arus. p. 218 sub lemmate *cogo domum te.* Utrum de legatis Sullae quem Durrachio in Italiam transvectum esse constat (Drum. II p. 457), an de P. Servili vel Appi Claudi in suas provincias proficiscentium, dicta fuerint, in incerto relinquendum est. Qui de ipsis P. Servilio et Appio Claudio intellegant, *exercitus* scribere debebunt.

86 [Kr. 86. G. 97]. **Illo profectus vicos castellaque incendere, et fuga cultorum deserta igni vastare neque late * ire set cautissumus metu gentis ad furta belli peridoneae.**

Non. p. 212: *Furtum insidiae. Sallustius lib. I.* — *ille* B. *illo* W. in mg. *elate* libri. *elata* AJ. *elatae* 483. *elate aut vetustissumus* libri. *setustissimus* B. *foetustissumus* L. *aut fecutis metu* B. *vetustissimus* mgJ. *aut securissimus* 483. peridonea *libri*, peridoneae 483. Coniecerunt: *elato aut securo esse animo* Douza, *elate aut securus a metu* Gerl., *neque late aut securus ire metu* Kritz., *neque elate aut fretus, simul metu* Roth., *vastare, ne quae intus lateant cautissimus* Mähly N. A. LXXVII p. 79; cuius vestigia equidem ego mihi premunda putavi.

87 [Kr. 87. G. 91]. **Gens raro egressa finis suos.**

Arus. p. 227 cum lemmate *egressus illam rem.* Schol. ad Lucan. Phars. V 510, ubi pro *gens* scriptum est *ut.*

88 [Kr. 98. G. 63]. **Sic vero quasi formidine adtonitus neque animo neque auribus aut lingua conpetere.**

Non. p. 189: *Competere rei cuiusque meminisse aut constanter valere. Sallustius Historiarum* lib. I: sic — conpetere. Non recte cum his verbis confusa sunt, quae Donat. ad Ter. Ad. III 2, 12 protulit (vid. inc. 33). Videntur haec verba dicta fuisse de homine aliquo, nomen suum in proscriptionis tabula legente (Drum. II p. 471 sq.).

89 [Kr. 91. G. 123]. **Obviam ire et conmori hostibus.**

Arus. p. 220: *commoritur illis.*

90 [Kr. 92. G. 96]. **Ut in ore gentibus agens.**

Arus. p. 213: *in ore illius* [conr. *illi*] *agens pro in conspectu illorum. Salust. Hist.* I: ut in ore gentibus agens. — Donat. ad Ter. Ad. I 2, 13: *in ore'st omni populo] Sallustius:* in ore gentibus agens. — Cum de quocumque haec verba dicta fuere, non recte coniungi adpareat *populo, civitati*, quae ap. Don. secuntur, *populo, civitati,* pro explicatione vocabuli ab Terentio scripti habenda sunt.

91 [Kr. 93. G. 71]. Prudens omnium quae senatus censuerat.

Conmemoravit Arus. p. 256 sub lemmate *prudens illarum rerum*. Ad Lepidum in Etruria agentem, set per amicos de omnibus senati consultis certiorem factum, spectasse non sine omni veri specie coni. De Brossius (cfr. Link. de praef. urb. p. 10); neque prorsus divorsa sunt App. b. c. I 107 p. 524 Bekk. *οὐδὲ αὐτὸς ἀγνοῶν ἐφ' οἷς ἐκαλεῖτο*; scilicet Sall. verba de eo dicta videntur fuisse, qui quae senatus censuerat, ipse iam providisset decretum iri.

92 [Kr. 94. G. 39]. *Sanctus alias et ingenio validus.*

Edebatur *aliter* secundum Charis. II p. 194, set, cum eius libri *alias teneant*, H. Keilius perspexit titulorum et exemplorum ordinem turbatum esse. Ceterum vid. inc. 112.

93 [Kr. 95. G. 64]. Nisi cum ira belli desenuisset.

Prisc. X p. 512: *a 'seneo' igitur, non a 'senesco' fit praeteritum 'senui'. Sallustius in* I *historiarum:* nisi — desenuisset.

94 [Kr. 96. G. 72]. Liberis eius avunculus erat.

Donat. ad Ter. Phorm. V 6, 32 haec Sallusti verba *[in primo]* conparavit cum Terenti *Patruus tuus est pater inventus Phanio uxori tuae.*

95 [Kr. 97. G. 103]. Neque se recipere aut instruere proelio quivere.

Prisc. X p. 539 pro exemplo perfecti *quivi*. Nimisne audax habebor, quod haec verba ad eandem pugnam atque fr. 68 pertinuisse suspicor?

96 [Kr. 98. G. 104]. Equi sine rectoribus exterriti aut saucii consternantur.

Prisc. VIII p. 436: *'sterno sternis' activum, 'consternor consternaris' deponens. Sallustius in* I *historiarum:* equi — consternantur.

97 [Kr. 99. G. 106]. At inde nulla munitionis aut requie mora processit ad oppidum.

Prisc. VII p. 367: *idem in* I: at inde — ad oppidum, *'requie' pro 'requiei'*.

98 [Kr. 100. G. 110]. Locum editiorem quam victoribus decebat capit.

Arus. p. 223 *decet tibi.* Eadem, set om. *capit*, propter dativum cum *decebat* coniunctum conmemoravit Serv. ad Verg. Aen. VIII 127.

99 [Kr. 101. G. 116]. Neque detrusus aliquotiens terretur.

Prisc. XV p. 1015 P. p. 78 H. *aliquotiens ab aliquot. Sallust. in* I *historiarum:* neque — terretur. — Kritz. et Gerl. ex nonn. libris *deterretur*. Videtur mihi de oratore in contionem prodeunte ac saepius de rostris detruso potius dictum fuisse, quam de milite vel exercitu munimenta hostium escendente.

100 [Kr. 103. G. 94]. Numeroque praestans, privos ipse militiae.

Arus. p. 256 praemisso *privus illius.* — Singulari modo dictum *privus* Kr. inlustravit exemplo Apul. de deo Socr. 43: *turba inperitorum, priva*

verae sapientiae. Set priora duo verba de exercitu, numero hominum ampliore set agri ac pecoris magis quam belli cultore, cogitare potius cogunt, quam de duce belli inperito.

101 [Kr. 104. G. 59]. Vacuam istam urbem viris militari aetate.

Arus. p. 265: *vacuus hac re. Salust. Hist.* I: vacuam istam urbibus militari aetate. — *urbem hominibus* em. Lindem., *urbem viris* van der Hoeven specim. p. 47; mihi etiam *istam* suspectum est, nec veri similis Kritzii coniectura: verba fuisse in oratione alicuius ducis, urbem quamdam capi posse ostendentis. Linkerus em. p. 27 ad Castulonis expugnationem (Plut. Sertor. c. 4) referri posse censuit, set de rebus prius in Hispania ab Sertorio gestis fusius narrasse Sallustium cum alias ob caussas tum ob fr. 55 vix recte contendi videtur.

102 [Kr. 105. G. inc. 39]. Cum murum hostium successisset, poenas dederat.

Arus. p. 260: *successit illam rem. Sallustius Hist.* I: cum murum hostium successisset. — Serv. ad Verg. Buc. V 5: *Sallustius tamen 'succedere' accusativo iunxit, set ubi 'prope' significat:* cum murum hostium successisset, poenas dederat, *h. e. cum prope murum successisset.*

103 [Kr. 107. G. 117]. Dubitavit acie pars.

Prisc. VII p. 366: *veteres tamen frequentissime inveniuntur similem ablativo protulisse in hac declinatione tam genetivum quam dativum, ut Sallustius in historiis libro* I: dubitavit acie pars *pro 'aciei'*. Eadem adferunt Prob. inst. II p. 101 L. et Serv. ad Verg. Ge. I 208.

104 [Kr. 110. G. 98]. Militiae periti.

Arus. p. 252: *peritus huius. Salust. Hist.* I.

105 [Kr. 111. G. 102]. Doctus militiam.

Arus. p. 223: *doctus illam rem. Sal. — et Hist.* I: doctus militiam.

106 [Kr. 112. G. 90]. Egregius militiae.

Arus. p. 227: *egregius illius rei. Virg. Aen.* XI: *egregiusque animi. Salust. Hist.* I: egregius militiae.

107 [Kr. 115. G. 126]. Fugam maturabat.

Arus. p. 217 sub *maturo illam rem.*

108 [Kr. 116. G. 93]. Paucos saltum insidentis.

Commemoravit Arus. p. 236 post locum fr. 9 l. 11.

109 [Kr. 117. G. 125]. Profectionem festinantes.

Arus. p. 231 sub *festino illud.*

110 [Kr. 118]. Solis viis.

Donat. ad Ter. Phorm. V 7, 86: *in solas terras?] Virgilius: pastorum et solis exegit montibus aevom. Et Sallustius in primo:* solis viis.

111 [Kr. 102. G. 79]. Ea paucis, quibus peritia et verum ingenium est, abnuentibus.

Serv. ad Verg. Aen. XII 694: *Alii veteri more dictum accipiunt: 'verum' enim quod rectum et bonum esset adpellabant. Sallustius in primo:* ea — abnuentibus. — *Est* ita demum ferri potest, si haec verba ex oratione deprompta fuisse statuamus, quamquam plures orationes quam eas

quas habemus ab Sallustio huic libro intersertas fuisse credibile non est. Conrigendum igitur mihi videtur *erat*. Cum autem *ea* scriptum sit, de certo consilio antea expositum fuisse manufestum est; nec magis dubitandum, quin id ab plerisque inperitis, nullum eius rei usum habentibus conprobatum fuerit. Qua re veri simile est, dicta fuisse haec verba de militibus temerarium consilium ceterorum reicientibus.

112 [Kr. 106. G. 51]. Quietam a bellis civitatem.

Arus. p. 257 s. v. *quietus ab illis rebus.* — Credo dictum fuisse de M. Aemilio Lepido, civitatem romanam iam a bellis quietem agentem rursus ad bellum civile instigante.

113 [Kr. 108. G. 118]. Quos inter maxume.

Charis. II p. 230: *praepositiones, quia praeponuntur, merito censentur. nam et illud Sallustii historiarum libro* I quos inter maxime *praepositio est, quia per anastropham dicimus posse converti.*

114 [Kr. 113. G. 92]. *Animi inmodicus.*

Arus. p. 239: *infelix huius rei. Virg. Aen.* IIII: *infelix animi Phoenissa. Sic Salust. Hist.* I: animi inmodicus.

115 [Kr. 114. G. 89]. Libertatis insueti.

Arus. p. 241, ubi titulus conrigendus *insuetus illius rei.*

116 [Kr. 119. G. 107]. Agreste.

Charis. I p. 120: 'Agreste' *Sallustius historiarum* I; *quod idem Plinius eodem libro 'in animali' inquit 'significatione'.*

117 [Kr. 120. G. inc. 16]. Quaesere.

Eutych. p. 192 Lind.: *Et defectivum 'quaeso, sis', cuius infinitivum* quaesere *Salustius in primo posuit historiarum libro.* Phoc. p. 349: *Defectiva in modis sunt haec. 'Quaeso, quaesumus', quod primam personam habet in singulari et plurali indicativi modi dum taxat. licet* quaesere *lectum sit apud Sallustium et Tullium.*

Lib. II.

*1 [Kr. 1. G. 8]. Cum praedixero positum insulae.

Donat. ad Ter. Phorm. I 2, 47: *'sita' pro 'posita'. Sallustius cum adiectione in II.* cum praedixero positum insulae. *Et hoc ei reciprocum est.* — Cum Sall. de situ, natura, historia Sardiniae insulae libro II dixisse ex scriptorum testimoniis constet, Gerlachius non male coniecit, haec in principio eius insulae descriptionis posita fuisse. Quamquam cum de Creta insula in libro III fusius disputatum fuisse non minus certum sit (cfr. fr. III 60. 61), quid obstat, quo minus de ea insula verba illa intellegamus?

2 [Kr. 2—4. G. 2—4]. Sardinia in Africo mari facie vestigi humani in orientem quam in occidentem latior prominet. — Ichnusa — Sardus — ex suo vocabulo insulae nomen dedit. — herba [Sar-

donia], apiastri similis, quae comesa ora hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentis interimit.

Gell. N. A. XIII 30 (29), 5: *Non solum autem in hominum corporibus, sed etiam in rerum cuiusque modi aliarum 'facies' dicitur. Nam montis et caeli et maris 'facies', si tempestive dicatur, probe dicitur. Sallustii verba sunt ex historia secunda:* Sardinia in Africo — prominet. Eadem verba eandem ob caussam conmemoravit Non. p. 37. — Ceterum Isidori, Solini, Servi locos ex Sall. maximam partem haustos esse adparet, ex quibus quae mihi Sallustianae orationis colorem prae se ferre videbantur, supra posui. Sunt autem hi loci: Isid. Orig. XIV 39 et 40 p. 453 ed. Otto: Sardus *Hercule procreatus cum magna multitudine a Libya profectus Sardiniam occupavit et* ex suo vocabulo insulae nomen dedit. Haec in Africo mari facie vestigii humani in oriente [*conr.* em] quam in occidente [*conr.* em; *alterum* in *ex hoc loco recepi*] latior prominet, *ferme paribus lateribus, quae in meridiem et septentrionem vertunt, ex quo ante commercium a navigantibus Graecorum ἴχνος appellata. Terra patet in longitudinem* (sic recte conr. Kritzius) *milia CXL, in latitudinem XL* [LX Kritzius; numerus certe falsus]. *In ea neque serpens gignitur, neque lupus, sed solifuga tantum, animal exiguum, hominibus perniciosum. Venenum quoque ibi non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos et poëtas memorata,* apiastro similis, quae hominibus rictus contrahit et quasi ridentes interimit. *Fontes habet calidos Sardinia, infirmis medelam praebentes, furibus caecitatem, si sacramento dato oculos aquis eius tetigerint.* Solin. Polyhist. 10: *Sardiniam apud Timaeum Sandaliotin legimus.* Ichnusam *apud Crispum* [*Chrysippum* Gerl. sine caussa. Multi scriptores de eo nomine dixere; velut Myrs. fr. 14 Vol. IV ed. Müller p. 459; cfr. Stiehle Philol. IV p. 501. Quod si Sallustius id nomen antiquom conmemoraverat, eum etiam de nominis Sardiniae origine dixisse veri simillumum est]. — *Sardinia est quidem absque serpentibus: sed quod aliis locis serpens est, hoc solifuga Sardois agris, animal perexiguum simileque araneis forma. Huic incommodo accedit et herba Sardonia, quae in defluis fontaneis provenit largius iusto. Ea si edulio fuerit, vescentibus nervos contrahit, rictu ora diducit, ut qui mortem oppetunt, velut ridentium facie intereant. — Fontes sane calidi et salubres aliquot locis effervescunt. — Sed qui oculis medentur, et coarguendis valent furibus. Nam quisquis sacramento raptum negat, lumina aquis attrectat: ubi periurium non est, cernit clarius; si perfidia abnuit, detegitur facinus caecitate et captus oculis admissum tenebris fatetur.* Serv. ad Verg. Ecl. VII 41: *in Sardinia enim nascitur quaedam herba, ut Sallustius dicit,* apiastri similis, haec [comesa] ora hominum rictus dolore contrahit et quasi ridentes interimit. — *Comesa* necessario addendum. Ceterum facile adparet Servium verba Sallusti pleniora rettulisse quam Isidorum.

3 [Kr. 5. G. 14]. Daedalum ex Sicilia profectum, quo Minonis iram atque opes fugerat.

Prisc. VI p. 255: '*Minos Minois*'. *Sallustius tamen 'Minonis' protulit genetivum in II historiarum:* Daedalum — fugerat.

*4 [Kr. 6. G. 13]. Serv. ad Verg. Aen. VI 14 p. 352 ed. Lion: Daedalus *vero* primum Sardiniam, *ut dicit Sallustius,* post delatus est Cumas.

*5 [Kr. 7 et 8. G. 13 et 7]. Apollinis filio et Cyrenes.

Haec verba ex Sall. adfert Prob. p. 107, quae, cum Apollinis et nymphae Cyrenes filius fuerit Aristaeus eumque Sardiniam incoluisse constet, non dubitavi in reliquiis libri II ponere. De eo ab Sallustio haec narrata fuisse testatur Serv. ad Verg. Ge. I 12 p. 173 ed. Lion: *Hic,*

ut etiam Sallustius docet, post laniatum a canibus Actaeonem filium matris instinctu Thebas reliquit et Ceam insulam tenuit primo adhuc hominibus vacuam, post ea relicta cum Daedalo ad Sardiniam transitum fecit. Quae verba Sallusti non esse satis adparet. Kritzius *Cretam* pro *Ceam* vel *Caeam*.

*6 [Kr. et G. 10 et 11]. — alii Sardiniam tenuerunt.

Serv. ad Verg. Aen. I 242: *Non sine causa Antenoris posuit exemplum, cum multi evaserint Troianorum periculum: ut Capys, qui Campaniam tenuit, Helenus qui Macedoniam: ut alii qui Sardiniam secundum Sallustium.* Id. ad I 601: *Multi enim post excidium Troiae orbis diversa tenuerunt: Helenus Epirum, Antenor Venetiam, alii Sardiniam secundum Sallustium, alii vicina Syrtibus loca secundum Lucanum.* Quibus locis diligenter consideratis et conparatis, nihil aliud Sallustio tribui potuisse adparet, nisi de coloniis ab Troianis in Sardinia conditis eum narravisse, nec vero Capys, Antenoris, Heleni mentionem ab eo factam fuisse. Set illud quin in libro secundo factum fuerit non dubium est.

Cum illo fragmento Kritzius et Gerlachius coniunxere hoc: *Troiano tempore invadendarum terrarum caussa fuerat navigatio*, non ipsa scriptoris verba esse contendentes, set certe sententiam. Set consideremus locum, unde sumpsere, Serv. ad Verg. Aen. I 299: *aut certe fati Troianorum, qui non sponte sed necessitate ad Africam venerant, quod utique ignorabat Dido. Illo enim tempore invadendarum terrarum causa fuerat navigatio, ut Sallustius meminit, facili tum mutatione sedium: quod etiam excusant Troiani 'non nos aut ferro Libycos populare Penates venimus'.* Nonne adparet hoc conmentatorem dicere voluisse: illo tempore multos per procellas coactos invitos in aliorum terras venisse? Quam sententiam num credis Sallustium eis verbis expressisse, quae Servius posuit? Set cum ea non conveniunt quae secuntur. Facilis enim mutatio sedium homines inpellebat, ut patria sua demigrarent aliasque sedes quaererent. Perspicuum igitur est conmentatorem Vergilii festinantem duo conmiscuisse: cum navigatione inventa et exculta facilis esset mutatio sedium, Troianos, qui excidium patriae evaserant, ut alias terras navibus peterent, conmotos, set multos per tempestates in alia loca, quam quae peterent, delatos esse. Iam si quis Sallustium contenderit narravisse eos Troianos qui in Sardiniam pervenissent, non sua sponte, set necessitate ad eam insulam adpulisse, nihil habebimus, quo eam suspicionem falsam esse ostendamus. Set verba *ut Sallustius meminit* non minus recte ad praegressa, quam ad sequentia *facili tum mutatione sedium* referuntur (cfr. ad fr. 16); et haec verba multo magis Sallustianae orationis speciem prae se ferunt. At cum praecedentibus non conveniunt. Nonne igitur veri simile est grammaticum doctrinae ostentandae studio verba ex Sallustio minus apte illi sententiae adiunxisse? Utut est, illud certum videtur omnem locum ab Sallustio ita scriptum non fuisse, ut Servius rettulit, et verba *facili tum mutatione sedium* adeo maiore cum veri specie pro Sallustiano fragmento haberi, quam illa, quae Kritzius et Gerlachius in eius reliquiis posuere.

*7 [Kr. 12. G. inc. 20]. Prob. p. 123: *'hos' non inveni nisi unum barbarum numero semper plurali* Tarrhos, *nomen civitatis lectum in Sallustio.* Idem p. 129: *'Tarrhos' nomen est numeri semper pluralis.* Idem nomen oppidi Antonini itinerar. p. 85 (Mannert. geogr. IX 2 p. 504) in Sardinia conmemorat; set dubium est, num idem sit ac Tarras, cuius Ptolemaeus mentionem fecit (Mannert. l. c. p. 485). Illud non dubitandum videtur, quin *Tarrhos* accusativus sit. Cum autem in Sardinia ille locus fuerit, cum con-

memoratum fuisse, ubi de Lepidi interitu dictum erat, paene certum videtur.

8 [Kr. 13. G. 15]. Set ipsi ferunt taurum ex grege, quem prope litora regebat Corsa nomine Ligus mulier.

Prisc. VI p. 264: *nam 'vetus veteris' commune est trium generum. et 'Ligus' quoque 'Liguris' commune. Sallustius in* II *historiarum*: Sed — mulier. — Quam rem Sallustius narraverit, intellegitur ex Isidor. Origg. p. 453 ed. Otto: *Corsicae insulae exordium incolae Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quaedam Corsa nomine Ligur* [sic Ar. *Ligurum* va. *Ligus* volg.] *mulier, cum taurum ex grege, quem prope littora regebat, transnatare solitum atque per intervalla corpore aucto remeare videret, cupiens scire incognita sibi pabula, taurum a ceteris digredientem usque ad insulam navigio prosecuta est. Cuius regressu insulae fertilitatem cognoscentes Ligures ratibus ibi profecti sunt* [prosecuti sunt Gu. 2] *eamque nomine mulieris auctoris et ducis appellaverunt:* in quibus nonnulla, velut *a ceteris digredientem* et *cuius regressu* Sallustiani styli videntur esse. Ceterum Sallustium de Corsica insula eodem loco, quo de Sardinia dixisse veri simillumum est.

9 [Kr. 14. G. 6]. Ne illa tauro paria sint.

Donat. ad Ter. Andr. IV 2, 23: *'Ne' pro 'nedum', aut adverbium est prohibentis, ut sit 'ne non'. Sallustius secundo libro:* ne illa tauro paria sint, *pro* 'nedum'. — Hoc fragmentum Kritzius et Gerl. nullam aliam ob caussam cum 8 coniunxere, nisi quod in utroque *tauri* vocabulum est. Nam quae sententia esset quique nexus, explicare se posse desperavere. Cum *ne* pro *nedum* dictum esse Donatus tradat, nihil conici licet, nisi quae aliis bestiis viribus inferiora essent, multo minus tauro posse paria censeri, ergo de animalibus dictum fuisse, quorum robur per scriptores sive rumoribus volgi in inmodicum auctum esset, quod quo secundi libri loco factum fuerit, difficile est ad dicendum. Set non possum subprimere suspicionem, ap. Don. et numerum libri falsum et verba conrupta esse, atque conmemorata fuisse verba Cat. 11, 8 *ne illi temperarint*, ut ab eo aliquid munimenti accipiat emendatio, quam ibi proposui.

* 10 [Kr. 15. G. 16]. Perrexere in Hispaniam an Sardiniam.

Serv. ad Verg. Aen. I 329: *alii autem* [an] *coniunctionem disiunctivam volunt, ut Sallustius:* perrexere – Sardiniam. Quin haec verba de reliquiis Lepidani exercitus dicta fuerint vix dubitari videtur posse. Set non temere mihi conicere videor, aliquid post illa verba excidisse veluti *in Hispaniam an Sardiniam parum exploratum est*. itaque in errorem inductum esse grammaticum. Nam *an* sic pro disiunctiva particula dictum volgaris potius est et posteriorum sermonis (multa in Cic. epistulis exempla) et semper tamen interrogativam vim retinet. Ferri certe non potest, nisi tale aliquid secutum esse statuamus: *id enim parum certum est*. In Atti fr. 463 ed. Ribb. p. 166 vel versus ratio postulat ut cum Bothio adiciatur *cluam*.

11 [Kr. 17. G. 57]. [Pompeius] cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.

Refert haec Veget. d. r. mil. I 9 extr. praemissis: *De exercitio Gn. Pompei Magni Salustius hoc memorat.* Quae in eo loco posita fuisse, ubi de Pompeio ad bellum Sertorianum misso dictum erat, satis probabiliter ex verbis a Vegetio adiectis conicitur: *neque enim ille aliter potuisset par esse Sertorio, nisi sese et suos milites frequentibus exercitiis praeparas-*

set ad proelia. Cum de exercitiis dicatur, quibus milites ad pugnas praeparabantur, *recte* ferri non potest. Etenim si cum Kritzio instrumentum pro onere magno promovendo dictum statuas, id non est exercitii genus, sed labor in ipso bello exantlandus (ut ταφρεία et χαράκωσις ap. Plut. Mar. c. 7 extr.). Qua re scriptum fuisse credo *fasce*. Cfr. Veget. I 19: *Pondus quoque baiulare usque ad sexaginta libras et iter facere gradu militari frequentissime cogendi sunt iuniores, quibus in arduis expeditionibus necessitas imminet annonam pariter et arma portandi. Nec hoc credatur esse difficile, si usus accesserit: nihil enim est quod non assidua meditatio facillimum reddat. Quam rem antiquos milites factitavisse Vergilio ipso teste cognoscitur, qui ait* (G. III 346):

Non secus ac patriis acer Romanus in armis
Iniusto sub fasce viam cum carpit et hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

12 [Kr. 62. G. 22]. Nam Sullam consulem de reditu eius legem ferentem ex conposito tribunus plebei G. Herennius prohibuerat.

Gellius N. A. X 20 postquam de discrimine inter *legem* et *privilegium* intercedente exposuit ac tamen apud veteres scriptores non magnam differentiam illorum vocabulorum esse animadvortit, § 10 adicit: *Sallustius quoque, proprietatum in verbis retinentissumus, consuetudini concessit et privilegium quod de Gn. Pompei reditu ferebatur, legem appellavit. Verba ex secunda eius historia haec sunt:* Nam — prohibuerat. Ibi cum libri *nam illam Sullam* exhibeant, *illam* ex dittographia natum esse iamdudum viri docti perspexere. Quin de Gn. Pompei ex Africa reditu dicatur dubium non est, set de re ipsa, quoniam ab nullo alio veterum scriptorum conmemorata, multum et in contrarias partes est disputatum. Conpertum igitur est ex Plut. Pomp. 13 Pompeio cum Gn. Domitium et Hiarbam devicisset, litteras Roma missas esse, ut exercitu dimisso cum una legione Uticae successoris adventum expectaret. Tum milites ira in Sullam exarsisse, maxumoque negotio inperatorem eorum animos mollivisse; quod cum Romae exauditum esset, triumphum ei concessum (Momms. II p. 319) ipsumque ab Sulla Magni adpellatione salutatum esse. Iam plerique legem illam, quam conmemoravit Sallustius, latam esse censent, postquam milites Pompei in iram exarserant, set in contraria abeunt, cum alii (Pighius fast. III 270 adsentiente Gerlachio) Sullam ut senatus consultum, quo Pompeius revocatus erat, tolleretur, alii (Drum. IV p. 334 sq. N. 43) ut confirmaretur tulisse arbitrentur. Quod si Sallusti verba consideraverimus, certum est *legem de reditu eius* alio modo intellegi non posse, quam legem de reditu M. Ciceronis, quam paulo antea § 3 Gellius conmemoraverat, ergo Sullam tulisse, ut Pompeio cum exercitu redire liceret. Ei legi conposito intercessit G. Herennius tr. pl. Quid ergo? intercessitne, cum Sulla ferret, ut consultum, quo revocatus erat sine exercitu, aboleretur? Quo tandem iure vel iuris specie illi triumphus decretus est? Tribunum autem aut ut intercessione desisteret, conmotum — nisi forte quis huc trahere velit fr. 34 — aut legem contra intercessionem perlatam esse neque memoriae traditum nec per se veri simile est. Qua re ita rem factam esse cogitemus necesse est. Secundum legem Corneliam — si in Pompeium valuit — dimittere exercitum et successori provinciam tradere debebat, certe triumphi honorem secundum leges mores instituta petere ei non licebat. Set Sulla cum id cupere sciebat. At negando honore iuvenem de se optume meritum palam obfendere ac laedere noluit. Quid igitur? ut ei negaretur neve ipse tamen negasse videretur, ipse legem tulit ut illi contra leges cum exercitu redire liceret, set G. Herennium conparavit, qui rogationi intercederet. Cui minume obstat, quod milites Pompei nuntio accepto ira in Sullam exarsisse memoriae proditum est. Certe enim exploratum eis

erat, nisi Sullae voluntate tribunum non intercessurum fuisse. At Sulla speciem prae se ferebat se consilio non destitisse: scilicet quod antea per tribunum facere prohibitus fuisset id lubentem postea pertulisse. — Cum vero illum locum libri secundi fuisse Gelli testimonio constet, nonne veri simillumum est, Sallustium ibi eam rem commemorasse, ubi de Gn. Pompeio ad bellum Sertorianum missa enarravit?

13 [Kr. 18. G. 27]. Neque virgines nuptum a parentibus mittebantur, set ipsae belli promptissumos delegebant.

Arus. p. 256 cum lemmate: *promptus illius rei. Sal. Hist.* II: Codd. *diligebant.* — Cum Sallustius locutione de matrimonio iungendo apud Romanos consueta uti debuerit, haut inmerito Ursinus in *mittebantur* offendisse putandus est. Neque tamen conprobo quae ipse coniecit *promittebantur* vel *tradebantur*, set audaciori medela restituendum censeo *conlocabantur*, quod cum explicatum esset *in domos alienas mittebantur*, verum verbum loco suo eiectum videtur esse.

* 14 [Kr. 19. G. 28]. Serv. ad Verg. Aen. X 271: *'referto' autem pro 'referat'; alii hic distinguunt ut sit: referat modo unus quisque facta patrum et laudes. Et secutus Sallustium hoc dixit, qui ait* Hispanorum fuisse [morem], ut in bella euntibus iuvenibus parentum facta memorarentur a matribus. — Cum ex hoc fragmento haut inprobabiliter coniciatur, 13 de Hispanis dictum fuisse, sic ex illo hoc ex secundo libro depromptum esse. Utrum haec verba ante an post illud posita fuerint, diiudicari nequit.

*15 [Kr. 22. G. 74]. Quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant, prima qui forte *in manus* venientis exciperent.

Serv. ad Verg. Ge. II 98: *Et Sallustius qui ait* quis a Sertorio triplices insidiae per idoneos saltus positae erant, prima, *et subaudiendum reliquit 'insidia', quod penitus dicere non possumus.* Idem de eodem loco ad Aen. XI 896: *Item Sallustius:* Primaque forte (*al.* prima qui fronte; *Dan.* primoque sonte forte; *al.* prima qui forte; primo qui f.) venientes exciperet, *cum de insidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis esse plus quam manifestum est.* De eodem loco Charis. p. 96: *Inimicitiae et insidiae pluraliter dici debent: sed Sallustius de insidiis* prima *inquit et Accius inimicitiam dicit.* — Non dubium quin haec de proelio ad Lauronem facto dicta, nec magis quin in libro secundo lecta fuerint. De quo proelio cum ex Livio rettulerit Front. strat. II 5, 31 (cfr. Drum. IV p. 363 n. 44), quo modo ultima verba scribenda sint, incerti haeremus. Atque illud quidem facile concedetur, quam veri simile non sit, Sallustium etiam relativum *quae* ad illum singularem subaudiendum rettulisse, cum grammaticos id notaturos fuisse in aperto sit. Recte ergo conrectum est *qui — exciperent.* Set quos illi, qui in prima parte positi erant, leves et ad furta bellorum aptissimi Hispani (Front.), excipere debebant? In palantes effusi sunt et convolnerarunt confuderuntque nihil tale expectantes. Tum qui in medio (*interius* Front.) conlocati erant scutati, prius quam resisti illis levis armaturae militibus incurrentibus inciperetur, e silva eruperunt et redeuntes in ordinem constraverunt vorteruntque. Denique fugientibus equites inmissi sunt, qui in remotissimo steterant. Nisi igitur in re Livi et Sallusti narrationes discrepavere,

primae insidiae non a fronte venientes excipere, set in dissipatos inrumpere debebant. Scripsi *a fronte* quoniam *fronte venire* ita dictum ut adiectivum *recta* vel simile adiectum sit legi, sine tali adiectivo neque inveni, neque ratione excusari posse puto. Quid iam? num fortasse *forte venientes*, quod ap. Servium extat, verum est? Quod si quis ita explicandum putet, ut dicantur 'qui forte inciderent, obviam venirent', videat ne obscuritatis crimen Sallustio adfingat. Set prorsusne incredibile videtur, in Servi codicibus, qui multis modis conrupti sunt, aliquid excidisse? Hoc si concesseris, *forte in manus venientis* restitutum ut scriptura librorum diligentius observetur efficiet simul et ut inter Sallustium et Livium conveniat.

***16** [Kr. 23. G. I 132]. **Receptis plerisque signis militaribus cum Laeli corpore.**

Schol. Bob. ad Cic. pr. Flacc. 6, 2 p. 235 Or. *Sed enim quod paternum amicum Cn. Pompeii Laelium dicit, opinor ad tempus belli Sertoriani esse referendum, quod ibidem* (*Cod.* quo ibidem) *Laelius pater huius ab Hirtuleianis interfectus est, ut ait Sallustius* receptis — corpore. D. Laelium in proelio ad Lauronem conmisso, cum legione in praesidium laborantium pabulatorum submissum, interfectum esse, conpertum habemus ex Front. strateg. l. c.: *sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo elisa est*, cfr. App. b. c. I 109 p. 526 Bekk. τέλος ὅλον — συνέκοψε. Drum. l. c. Rectissume igitur ab Kritzio hoc fragm. cum praegresso libro II adsignatum est. Set in Schol. verbis unum illud obfendit, quod ab Hirtuleianis Laelium interfectum esse dixit, quoniam ap. Front. Octavius Graecinus et Tarquitius Priscus Sertoriani duces nominantur, non Hirtuleius; set cum fieri potuerit, ut Hirtuleius ipse adesset omnibusque insidiis praefectus esset, ei dubitationi non tantum tribuendum videtur. Nec tamen illa quaestio reiciunda est, num verba *receptis — corpore* sola pro Sallustianis habenda sint, an etiam quae praecesserint, ab eo petita censenda. Cum igitur in extremis verbis Laeli nomen positum sit, pro quo utique expectatur pronomen, si illa cum praecedentibus continuata fuerint, veri simillumum videtur Scholiastem ultima tantum ex Sallustio adtulisse, quo Pompeium in servando occisi Laeli corpore multum operae posuisse ostenderet. Ceterum vid. ad fr. 6.

17 [Kr 21. G. 68]. **Occurrere duces et proelium adcendere, adeo uti Metello in sagum, Hirtuleio in brachium tela venirent.**

Non. p. 368 s. v. *sagum*, numero libri indicato. Apud eum libri *duci*. At cum membrum consecutivum luce clarius ostendat, duces utriusque exercitus suae vitae in proelio non pepercisse, set ipsos ubique pugnantes adcendisse et confirmasse, certum videtur quae praecedunt de utroque dicta fuisse, non de uno aut pluribus, qui duci alicui occurrissent. Qua re inmerito Gerlachius, quod coniecerat *duces*, postea reiecit. Cum vero quo nexu haec cum praecedentibus contenta fuerint nesciatur, illud minus incertum, utrum *occurrere* relinquendum sit an in *accurrere*, quod sequentia verba suadent — etenim qui proelium adcendit, is accurrit ad titubantes et haerentes — conmutandum. Ad pugnam apud Italicam conmissam haec verba spectavisse, recte iam alii observaverunt (cfr. Oros. V 23. Liv. ep. XCI); in qua pugna summam fuisse certe Metelli operam testatur Frontin. strat. II 1, 2 et 3, 5. Set cum ea pugna post proelium ad Lauronem conmissum facta sit (Drum. IV p. 366), quo iure hoc fr. post 14 et 15 conlocaverim facile intellegetur.

***18** [Kr. 21. G. 44]. **Inter laeva moenia et dextrum flumen Turiam, quod Valentiam parvo intervallo praeterfluit.**

Priscian. V p. 143: *quod autem 'Turia' et similia fluminum nomina masculina sunt, ostendit etiam Sallustius in 'am' terminans eius accusativum in II historiarum:* inter laeva moenium et dextrum flumen Turiam. *nam si esset neutrum, similis esset accusativus nominativo.* Id. VI p. 201: *ergo 'Capsa' quoque et 'Thala' oppidum et 'Tirimida'. similiter figurate feminina neutris sunt coniuncta. unde Sall. in* II *hist.* inter laeva — praeterfluit, *'Turiam' dixit, qui accusativus masculini est, non neutri.* Decepti relativo quod sequitur, Prob. p. 105 et Phoc. p. 324 *Turiam* ab Sall. pro neutro habitum esse rettulerunt. — Non dubium est, quin haec pertineant ad pugnam apud Valentiam et Turiam (Guadalaviar) commissam, qua Pompeius G. Herennium interfecit, G. Perpennam fugavit (vid. ad II 96, 6. Drum. IV p. 366) quod proelium quo minus cum Th. Mommsenio III p. 25 ante pugnam ad Lauronem commissam factum putemus, obstat Appiani testimonium b. c. I 109 p. 526: ἀφικομένου δ' ἐς Ἰβηρίαν αὐτίκα cet. — Quamquam Prisciani libri *moenium* tuentur, tamen *moenia* rescribere ausus sum. Nam genetivum cum neutro adiectivo plur. ita tantum coniunctum esse, ut partes totius alicuius rei dicerentur, satis ostendunt exempla a Kritzio ad Cat. 59, 2 p. 314 ed. pr. congesta, hoc autem loco necessario exprimendum fuit, non laevam moenium partem ab altero latere fuisse, set moenia ad laevam i. e. laeva, ut flumen dextrum.

19 [Kr. 25. G. 69]. — avidis atque ita promptis ducibus, ut Metellus ictu tragulae sauciaretur.

Non. p. 270 s. v. *saucius* ex libr. II et p. 381 s. v. *tragula* set ex libro III. Priore loco in libris est *avidisque ita promptis*, altero *avidissimis atque promptis*, unde Kr. *avidis ita promptisque*, Gerl. *avidis ita atque promptis;* mihi *atque ita* veri simillumum visum, set duo in incerto relinquam, primum annon *avidissumis* scribendum sit, alterum, utrum genetivus gerundii praecesserit, an *avidus* Sallustius absolute dixerit de pugnandi et confligendi cupiditate. — Quin haec de pugna ad Saguntum facta dicta fuerint, dubium non est Plutarchi testimonio Sertor. c. 21; cfr. Drum. l. c. p. 368.

*20 [Kr. 26. G. 70]. Set Metellus in volnere.

Donat. ad Ter. Andr. II 1, 10: *'Set' inceptivum pro 'atque eccum Pamphilum' ut Sallustius:* sed — in vulnere. Rectissume hoc fr. editores praecedenti adiunxisse, non est quod exponam.

*21 [Kr. 27. G. 60]. Saguntini, fide atque aerumnis incluti prae mortalibus, studio maiore quam opibus, quippe apud quos etiamtum semiruta moenia, domus intectae parietesque templorum ambusti manus Punicas ostentabant.

Adfert Hieronymus comm. ad Habac. 2, 9 vol. VI p. 617 ed. Vallars. ex Historiis, libri numero non indicato. Set quin de Saguntinis haec Sall. dixerit, ubi de proelio in urbis eorum vicinia facto narravit, dubium non est. Ceterum *incluti prae mortalibus studio maiore* ex ms. Reginae emendatum est, cum reliqui libri exhibeant: *per mortalium studium maiores;* nec minus recte pro *quippe quis* scriptum videtur *quippe apud quos.* Per se autem intellegitur verba *studio maiore quam opibus* cum praecedentibus coniungi non posse, set relata fuisse ad ea, quae sequebantur, quae dolemus periisse: atque in propatulo suspicio est, hanc fuisse sententiam, Saguntinos etiam bello Sertoriano Romanis deditissumos fuisse, nec vero opibus eos adiuvare potuisse. Quae cum ita sint, haec

verba fortasse ante 18 et 19 ponenda. Set obfendo in *intectae*, quod vocabulum sic dictum nusquam legi; semper enim est aut tegumento carens, aut patens et apertus. An igitur *sine tectis* scribundum?

*22 [Kr. 28. G. 56]. Cum Charis. p. 143 haec scribat: '*Saguntinorum' Coelius,* Saguntium *Sallustius, ut Paulus in Coelii historia lib.* I *notat*, nullo loco aptius videbatur hoc fragmentum poni posse, quam proxime a praecedente.

*23 [Kr. 29. G. 54]. At Metellus in ulteriorem Hispaniam post 1
annum regressus magna gloria concurrentibus undique virile et
muliebre secus per vias ac tecta omnibus visebatur. Eum quaestor 2
G. Urbinus aliique cognita voluntate cum ad coenam invitaverant,
ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant exornatis
aedibus per aulaea et signa scenisque ad ostentationem histrionum

Totum hoc fragmentum extat ap. Macrob. Sat. II 9, ubi haec praemissa sunt: *Ergo hoc praetermisso ad viros venio triumphales, quos victores gentium luxuria vicit, et ut taceam Gurgitem, a devorato patrimonio cognominatum, quia insignibus virtutis secutae vitia primoris compensavit aetatis, Metellus Pius in quam foveam luxuriae et superbiae successuum continuatione pervenit? Et ne multis morer, ipsa de eo Sallustii verba subieci.* Eadem expressit Plutarchus Sert. c. 22: *Ἔτι δὲ νικήσας ποτὲ μάχῃ τὸν Σερτώριον οὕτως ἐπήρθη καὶ τὴν εὐτυχίαν ἠγάπησεν ὥστε αὐτοκράτωρ ἀναγορευθῆναι, θυσίαις δ' αὐτὸν αἱ πόλεις ἐπιφοιτῶντα καὶ βωμοῖς ἐδέχοντο. Λέγεται δὲ καὶ στεφάνων ἀναδέσεις προσίεσθαι καὶ δείπνων σοβαρωτέρων ὑποδοχάς, ἐν οἷς ἐσθῆτα θριαμβικὴν ἔχων ἔπινε καὶ Νῖκαι πεποιημέναι δι' ὀργάνων ἐπιδρόμων χρύσεα τρόπαια καὶ στεφάνους διαφέρουσαι κατήγοντο καὶ χοροὶ παίδων καὶ γυναικῶν ἐπινικίους ὕμνους ᾖδον εἰς αὐτόν.* Cum vero ex App. b. c. I 111, Liv. Epit. XCIII conpertum habeamus Metellum hiemem a. 74 (680) in ulteriore Hispania transegisse, quaeritur, annon conplura fragmenta ex eis, quae postea recensebo, hoc praecesserint.

TEST. SCR. 1—3. Non. p. 151: *Secus masculini generis esse manifestum est. Neutro Sallustius dixit Historiarum lib.* II: at Metellus in ulteriorem Hispaniam post annum regressus magna gloria concurrentium undique virile et muliebre secus per vias et tecta omnium visebatur. — Charis. p. 80: *Secus neutri generis est nomen, unde et Sallustius* virile secus *dixit, hoc est virilis sexus, quod per omnes casus integra forma declinatur.* — Probus p. 121: '*Secus' duas res significat, adverbium separandi: 'Haud secus ac iussi faciunt' et sexum. Sallustius:* virile ac muliebre secus.

VAR. SCR. 2. *Kritz. et Gerl. ediderunt:* magna gloria concurrentium — omnium, *in quo et* gloria *insolenter dictum de officiosa honoris significatione obfendit et* omnium *ita nimis remotum. Qua re cum Macrobi codd.* concurrentibus *exhibeant hoc recipiundum et* omnibus *emendandum putavi.* et *Macr. libri.* ac *Prob.* — 3. Eum *Macr. libri.* Quom *Gerl. al.* — 4. cum ad *Macr. libri.* cum ad *Gerl. al.* invitavissent *vel* invitassent *Macr. libri. Set recte iam ab editoribus emendatum est* invitaverant. *Cum enim de re non semel set multis temporibus facta dicatur utique requiritur indicativus et ita demum recte dictus est singularis* ad coenam, *aliter pluralis requiritur.* — 5. ac *Macr. libri, volg.* et. — 6. insignia *libri.* signa *Ciacc.*

fabricatis: simul croco sparsa humus et alia iñ modum templi cele-
3 berrumi. Praeterea tum sedenti transenna demissum Victoriae si-
mulacrum cum machinato strepitu tonitruum coronam capiti in-
4 ponebat, tum venienti ture quasi deo subplicabatur. Toga picta
plerumque amiculo erat ei adcumbenti: epulae quaesitissumae, ne-
que per omnem modo provinciam set trans maria ex Mauritania
5 volucrum et ferarum incognita antea plurima genera. Quis rebus
aliquantam partem gloriae dempserat, maxume apud veteres et
sanctos viros, superba illa gravia indigna Romano imperio existu-
mantes.

7 sq. Serv. ad Verg. Aen. IV 488: *Traiecto extento, unde 'transenna' dicitur extentus funis.* · *Sallustius:* [Transenna demissum victoriae (*al.* victoris)- simulachrum cum] machinato strepitu transenna corona in caput (*Lips.* capiti) imponebatur (Guelf. I in capite imponebat. *Al.* strepitu tonitruum coronam capiti imponebat). — Non. p. 122: *Transenna non ut quidam putant transitus, sed est fenestra.* — *Sallustius Hist. lib.* II: transenna dimissum victoriae simulacrum cum machinato strepitu coronam capiti inponebat. — Id. p. 196: *Dimittere desuper mittere.* — *Sallustius Historiarum lib.* III (sic!): cum machinis (machinae *mgJ*) strepitu dimissum Victoriae simulacrum coronam capiti imponebant.

---

2. *Volg.* cum sedenti. *Set quoniam per cum — tum semper ita duo disiunguntur ut prius latius pateat, alterum magis ecferatur. hoc vero loco de rebus promiscue factis sermonem esse inde adparet,* quod sedenti *praemissum est, nemo autem prius sedet quam venit, facillume mihi restitui posse visum est* tum — tum. in transenna *Macr. libri.* dimissum *antiquom mendum esse Nonius ostendit.* — 3. coronam ei imponebat *Macr. ed. Bip.* — 5. ei *om. Macr. ed. Bip.* epulae vero exquisitissimae *Macr. ed. Bip.* — 6. *Nonne* transmarina? — 7. plura *libri.* Quis *Bip.* quibus *Kr. et Gerl.* — 8. demiserat *libri.* demserat *recte Bip.*

*24 [Kr. 30. G. 23]. Set Metellus in ulteriore provincia.

Donat. ad Ter. Phorm. I 4, 15: *'Sed' pro 'ergo', ut sit: ergo ubi Antiphonem reperiam? An 'sed' finis superioris sententiae est? ut Sallustius* sed — provincia. Ex quibus cum certum sit, haec Sall. verba cum praegressis aliis copulata fuisse, nec veri dissimile ea clausulam fuisse membri, in propatulo suspicio est, ea dicta fuisse de hibernis a Pompeio in Gallia, ab Metello in Hispania ulteriore agundis.

25 [Kr. 31. G. 30]. Quem ex Mauritania rex Leptasta proditionis insimulatum cum custodibus miserat.

Prisc. V p. 143: *vel contra apud Graecos in 'as' desinentia vel in 'es' apud nos in a terminant, ut — 'Leptasta'. Sallustius in* II *historiarum:* quem — miserat. — Mauritania *r.* mauretania RA. — Quamvis res obscura sit, tamen cum Sertorium constet regi Mauritaniae advorsus Ascalim. Iphthae filium, regnum adfectantem auxilium tulisse (Plut. Sert. c. 9), non prorsus reiciunda est suspicio, regem Mauritaniae legatum, quem proditionis insimulabat, vinctum ad Sertorium misisse.

26 [Kr. 32. G. 29]. Ut alii tradiderunt Tartessum, Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.

Prisc. V p. 154: *unum proprium civitatis invenitur 'Gaddir' — quod quidam femininum esse putaverunt, sed Sallustius neutrum esse ostendit in II historiarum accusativum nominativo similem ponens:* ut — habent: *nam si esset femininum 'Gaddirem' dixisset —;* quae eisdem fere verbis idem repetit VI p. 234. Singula verba si diligenter perpenderimus, eius potius loci fuisse videbuntur, ubi de veteribus Hispaniae (fortasse Baeticae) incolis expositum erat, quam de re bello Sertoriano gesta.

27 [Kr. 33. G. 37]. Ante quam egressus Sertorius instruere pugnae suos.

Arus. p. 237: *instruitur huic rei. Salust. Hist.* II. Aut *instrueret* conrigundum, aut sic statuendum: grammaticum constructionis exemplum protulisse satis habentem, relicua omisisse. De qua pugna haec dicta fuerint, frustra quaesivi.

28 [Kr. 34. G. 52]. Titurium legatum cum cohortibus quindecim in Celtiberia hiemem agere iussit praesidentem socios.

Arus. p. 252: *Praesidet illam rem. Salust. Histor.* II. Titurius utrum Pompei an Metelli legatus fuerit nescitur, Sertorii legatum non fuisse satis certum videtur.

29 [Kr. 35. G. 98]. Hi saltibus occupatis Termestinorum agros invasere frumentique ex inopia gravi satias facta.

Non. p. 117: *Satias pro satietas. — Sallustius Historiarum lib.* II — In saltibus *libri, unde iamdudum* hi *emend.* — occupatus *duo libri.* occupatis *rel.* — Tmextrinorum *liber unus;* termextinorum *alius;* tamen externorum *cod. W. Gerl.* tum externorum *Merc.* Termestinorum *Lips. ad Tac. ann.* IV 45, 1, quae ingeniosa emendatio nonnihil munimenti eo accipit, quod Termestam (vid. Mannert. I p. 386) Sertorio amicissumam fuisse ex Flor. II 10, 9 constat; nec minus hieme a. 74 summam frumenti inopiam in Romanorum exercitu fuisse conpertum habemus (Drum. IV p. 370).

30 [Kr. 36. G. 66]. Ad hoc rumoribus advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando conrumpebant.

Non. p. 261: *rumor, ut plerumque, opinio est. Sallustius Historiarum lib.* II. Verba pertinuisse ad mendacia ab nobilibus Romanis duci Sertorio invidentibus sparsa (Plut. Sertor. c. 25) recte iam Debrossius iudicavit. Cum libri Non. *ad hoc* exhibeant, miror quod Kritzius *ad haec* retinuit; set idem recte observavit, deesse obiectum verbi *conrumpebant,* quod fortasse ante *ad hoc* positum fuit.

31 [Kr. 38. G. 85]. Nisi qua flumen Clurda Tauro monte defluens.

Prisc. VI p. 202: *plurima tamen non solum in Africa sed in aliis etiam regionibus nomina fluviorum in a inveniuntur desinentia. — Sallustius in* II *historiarum:* nisi — defluens. — Quamquam *quia* Prisciani libri tenent, praeter Vat. qui *qua* exhibet, et difficile est id verum esse negare, cum quo nexu verba dicta fuerint ignoretur, tamen *qua* restituendum putavi, quod cum sententiam ad negativam aliam relatam fuisse adpareat, veri similius videbatur de regionis natura dictum fuisse, quae ubi fluvius

deflueret, alia fuerit, atque aliis locis. Set de nomine fluvii parum constat. Volgo edebatur *Durda*, ut Prisc. A et aliquot Krehlii exhibent et fortasse ante conr. H habuit. Set *Clurda* d Vat. m. alt. *clurdia* D. *cla.a* Vat. *lurda* Bh. Hertzius igitur, qua eximia est doctrina, eundem fluvium esse videri monuit, atque qui apud Plin. H. N. V 21. 108 nominetur: *Fuit in eo tractu et Maeandropolis. Est Eumenia Cludro flumini adposita.* Ex tribus oppidis, quae eo nomine fuerunt (Steph. Byz. s. v. p. 126 West.), Plinius aperte Eumeniam Phrygiae regionis intellexit (Strab. XII p. 576 C. 810 Mein.). Ea sita fuit, ubi nunc Ischakli, ibique fluvius Sendyklutschai in Maeandrum influit. Planitiei alteram partem paludibus obsitam esse Hamiltonus narravit (vid. Koch der Zug der Zehntausend p. 18). Num igitur fortasse Sallustius narraverat eam planitiem fertilem esse, nisi qua fluvius Clurda (cuius nomen in Sendyklutschai tertia syllaba servatum videtur) Tauro monte defluens paludem efficeret? Set illa incerta; hoc certius, cum Priscianus verba illa libro II deprompta esse testatus sit, eo libro bellum a P. Servilio in Pisidia confectum narratum fuisse ex eoque loco illa petita esse.

*32 [Kr. 40. G. 93]. Lyciae Pisidiaeque agros despectantem.

Serv. ad Verg. Aen. I 420: *Aspectat; rei insensibili dat sensum. Unde est illud in quarto de Atlante. Item Sallustius:* Lyciae — despectantem. Cum ex Servii verbis adpareat haec dicta fuisse de loco, super Lyciam et Pisidiam sito (qui ubi esse potuit, nisi in monte Tauro?), cumque ex praegresso fragmento haut sine aliqua specie veri coniciatur, in libro II de natura illarum Asiae minoris regionum plura exposita fuisse, non dubitavi obsequi viris doctis, qui ea libro II adsignari et cum fr. 31 coniungi iusserunt.

33 [Kr. 41. G. 76]. Eodem anno in Macedonia G. Curio principio veris cum omni exercitu profectus in Dardaniam quibus potuit modis pecunias Appio dictas coëgit.

Non. p. 192 ex lib. II adfert, quo *dicere* pro promittere dictum esse ostendat. G. Scribonius Curio in provinciam Macedoniam a. 75 Appio Claudio mortuo profectus est (Oros. V 23. Eutrop. VI 2. Momms. III p. 35). — Nimisne subtilis videor, cum Sallustium *ex Macedonia* scribere debuisse contendo? Quod in plerisque libris Nonii deest, *modis* Carrio ex vet. cod. recte subplevit.

34 [Kr. 44. G. 79]. Ut actione desisteret.

Pauca haec verba ex lib. II Arus. p. 224 conmemoravit exemplum locutionis *desisto hac re.* Dicta fuisse vel de tribuno quo minus plebem contionibus agitaret deterrito, vel de accusatore ut caussam abiceret conmoto in propatulo est.

35 [Kr. 45. G. 80]. Quem corpore et lingua percitum et inquietem nomine histrionis vix sani Burbuleium adpellabat.

Adtulit Priscianus VI p. 243, quo *inquies* pro *inquietus* dictum esse ostenderet. Scimus autem ex Valerio Max. IX 14, 5 et Cic. Brut. 60, 216 sq. G. Scribonium Curionem, cos. a. 76, a Gn. Sicinio propter vacillationem corporis consuetam exagitatum esse. Cum igitur ad eam rem haec verba pertinuisse adpareret, *quem* quod coniecit Coler. ad Val. Max. l. c. probavi (*Qui* L. *quia* rell.), itemque *adpellabat* pro eo, quod R exhibet, *appellabant* retinui.

*36 [Kr. III 83. G. III 1]. Conlegamque eius Octavium mitem et captum pedibus.

Arus. p. 243: *Kaptus hac re.* — *Sal. Hist.* III: collegamque — pedibus. Nullum illis temporibus, de quibus Sall. his libris scripsit, novimus, nisi Gn. Octavium, G. Scriboni Curionis in consulatu conlegam, quem sciamus Sicinio ansam dedisse perstringendi Curionis (Cic. Brut. 60, 217. Quint. XI 3, 129). Cum igitur quin ad hanc rem illa verba pertinuerint dubitari vix posse videatur, utrum veri similius, ap. Arusianum in libri numero erratum esse, an, id quod Kritzius statuit, Sallustium dicacitatis Sicini exemplum ex superiore anno in libro III repetivisse? Ceterum quamquam diu multumque in vocabulo *mitem* haesitavi, — quippe cum animi habitum exprimeret, minus apte cum *pedibus captum* coniungi videbatur et expectabam *hominem mitem* — tamen vocabulum, quod morbo affectum significaret quodque pro *mitem* cum aliqua veri specie restitueretur, non inveni.

*37 [Kr. 46. G. III 3]. Canina, ut ait Appius, facundia exercebatur.

Non. p. 43: postquam rabulam dictum esse a rabie, qui tum advocatus vel caussarum patronus diceretur, Ciceronis exemplo Or. 15, 47 ostendit, pergens: *inde et Sallustius*, quae supra posui verba, adtulit. Lact. inst. VI 18, 26: *set quia ipse* caninam *illam* facundiam, *sic ut Sallustius ab Appio dictum refert*, exercuit. Eadem saepius conmemoravit Hieronymus Ep. CXIX (152) 1. CXXV 16. CXXXIV 1. adv. Lucif. T. II ed. Vallars. p. 171. Nec neglegendus locus Quintil. inst. or. XII 9, 9: *ea est enim prorsus canina, ut ait Appius, eloquentia, cognituram male dicendi subire.* Cfr. praeterea Isid. de summo bono III 60: *antiqui forensem eloquentiam caninam facundiam nuncupabant eo quod caussidici in certaminibus caussarum, omissis quae agunt, veluti canes adversum se latrant iurgiaque caussarum ad iniurias commutant.* Sallustium ergo Appi cuiusdam dictum, *canina facundia*, — nam uti membrum *ut ait Appius* apud Non. et Quintil., quodque pro eo Lactantius scripsit, conlocatum est, *exercere* verbum ab eodem repetitum fuisse credibile non est — transtulisse adparet ad hominem in dicendo rabiosum. Cum igitur praegressum fragm. ostendat, eum in lib. II de Sicini inpudentia dixisse (de qua cfr. etiam Plut. Crass. c. 7), non video, quo argumento refellantur ei, qui ad eundem haec quoque verba referunda esse suspicati sunt. Nam ut in ipsum Sicinium dictum illud ab Appio iactum fuisse statuamus, satis idonea caussa non est. Set obscurum est qui Appius eius locutionis inventor fuerit. Ac duo quidem Appii Claudii, quos Drum. II p. 181 nr. 26 n. 76 videtur confudisse, ob dicta conmemorantur, alter maior natu cum summa laude de or. II 70, 284 a. u. a. C. 107, alter cum scurrilitatis reprehensione ibid. 60, 246, quem tum, cum libri de oratore scripti, adhuc superstitem fuisse ostendunt verba *ut iste, qui se vult dicacem et mehercule est, Appius, set nonnumquam in hoc vitium scurrile delabitur.*

His iam subiungam fragmenta ex folio palimpsesto Toletano, quod ab Heinio repertum, Livi putans fragmenta, edidit Pertzius Berol. 1848, tractaveruntque Kreyssigius Comm. de T. Liv. Hist. reliquiis ex Palimpsesto Toletano erutis 1849 et Curis secundis 1852, Mommsen Berichte der Gesellsch. d. Wissensch. zu Leipzig II 3 p. 196, Huschkius Ztschr. f. geschichtl. Rechtswissenschaft XV 3 p. 273, Weissenborn praef. ad Liv. vol. VI p. 15 sqq. Bergk Zeitschr. f. d. Alterthsw. X p. 880. Sallusti ea fragmenta esse demonstrarunt Roth. Mus. Rhen. VIII 433 et Heerwagen in Kreyssigii epistola ad Frid. Kritzium de C. Sall. Crispi Histor. lib. II reliquiis ex Pal. Tol. erutis. Misenae 1852. Effigiem Kritzius editioni Fr. adiungendam curavit. Quoniam autem folium illud

ita scriptum est, ut in advorsa p. ab sinistra reliquias linearum habeat, a dextra plenas, itemque in avorsa a sinistra pleniores, a dextra initia linearum, codicem ita scriptum fuisse adparet, ut binas pagina columnas haberet. Cum enim col. IV contineat initium orationis Cottae, si col. I ei avorsa fuisset, deberet eius continuationem continere, quod non ita esse quivis videt.

38. Palimps. Tolet. col. I.

ƆERAT
SPECTA
LLIIN
RATDEI'
:TASQ'
QUOR:
ƆAEET
TAERO
ETUM
TOỤLꟼ
ꟼRIƆII

. . . . uerat . . . . specta . . . . *i*lli in
. . . . rat dein . . . . tasque . . . . quorum
. . . . dae et . . . . tae ro . . . . e tum.

Relicua legere me posse desperavi, nec magis ex tam exiguis particulis integram sententiam efficere.

39 [Kr. 47. G. 101]. Palimps. Tol. col. II.

PQLENTULUSMARCEL
FODEMACTOREQUAEST
IN NOUAMPROVINCI
CURENASMISSUSESTC
EA..ONTUIREGISALLC
TESTAMENTONOBISD
PRUDENTIOREQUAM
PERGENTISETMINUSG
RIAEAUIDIIMPERIOCC
NENDAFUITPRAETERI
UERSORUMORDINt

Publiusque Lentulus Marcel*linus* eodem auctore quaest*or* in novam provinci*am* Curenas missus est *quod* ea mortui regis Api*onis* testamento nobis d*ata* prudentiore quam *illas* per gentis et minus g*lo*riae avidi inperio c*ont*inenda fuit. Praeterea *di*vorsorum ordin*um*

Lineae 11 litterarum inferiores partes exesae sunt. Illud non neglegendum, ex relicuis particulis folii cognosci, lineas non prorsus pares fuisse. — 1. P Pertzius pro paragraphi signo habuit et legit *Q. Lentulus Marcelli f. Publiusque Lentulus Marcellinus* Momms. p. 197. Kreyssig

cur. sec. p. 7. — 2. *auctore* Kreyssig conm. p. 10. Omnia quae his fragmentis contineantur, ad res Romae a. 75 gestas pertinuisse recte Rothius et Heerwagenius demonstravere. — 4. *quod* Pertzius subplevit. — 5. *Apionis* id. — 6. *data* id. — 7 et 8. *quam inde pergentis* Pertzius. *quam illas per gentis* Kreyss. Curenas tum obtinuisse Nicocraten et Leandrum tyrannos ex Plut. de mul. virt. c. 19 ab Kr. monitum est. — 9. *imperio componenda* Pertz. *imperio continenda* Kreyss. conm. p. 22. — 11. *praeter ea diversorum ordinum* Pertz. Kreyss. conm. p. 22 *praeterea divorsorum ordinum certamina exarserunt.* Kritzius vero negavit ita transitum ad civilis Romanorum discordias fieri potuisse, set nonne haec verba ad *eodem auctore* referuntur?

40 [Kr. 49. G. 102]. Palimps. Tol. col. III.

_SSAEUITIAQUAREFATI
TAPLEBESFORTECONSU
AMBOQ·METELLUMCUI
TEACRETICOCOGNOME
IIUELCANDIDATU I .
\ETORIUMSACRAUIADE
CTISCUMMAGNOTU
1LTUMINUADITEUGIEN
?SECUTAADOCTAUIDO
MQ·PROPRIOREERNJI
' ' ' ' rA ɔ\ r I I I FIIMPERUE

..... is saevitia, qua re fati*ga*ta plebes forte consu*les* ambo Q. Metellum cui *pos*tea Cretico cognome*ntu*m fuit, candidatum praetorium, sacra via de*ducen*tis cum magno tu*mu*ltu invadit, fugient*isque* secuta ad Octavi dom*u*m quae propior erat................um perve*nit*.

1. *intolerabilis saevitia* Pertzius, de nobilium in plebem saevitia dictum ratus; *famis saevitia* Kr., qui tamen nimis acute haec cum fr. 51 consocianda putavit. — *fatigata* explendum esse in propatulo est, nec minus 2 *consules ambo*, 4. *postea*. — 3. *atque Q. Metellum* Kreyss. *Quintumque Metellum* Weissenborn. — 5. *cognomen inditum et* Kreyss. Kritz. *cognomentum fuit candidatum* Heerw. probante Kreyss. Ep. p. 11 et 17. Cum in palimpsesto T ubique L scriptum sit, I autem proxume adcedat ad E (F) similitudinem, utraque emendatio ab litteris habet, quo conmendetur. — 6. *candidatum praetorium* legundum esse certum est; set postea Pertzius *de tectis*, quod ferri nequit. *deductos* Kritz. Hic vero vir doctissumus quattuor viros nobiles ab plebe infestatos esse statuit, quippe cum negaret Q. Metellum, postea Creticum cognominatum, illo anno, quo L. Octavius, G. Aurelius Cotta consules fuere, candidatum praetorium fuisse. Set cum Metellus ille, cuius ne parentes quidem novimus (Drum. II p. 50), a. 69 cum Q. Hortensio consul fuerit, certo igitur a. 72 praeturam ab eo gestam esse (Drum. p. 51) veri simile sit, plusne valet opinio talem virum repulsam ferre non potuisse aut quo minus a petitione desisteret motum non esse, quam antiquom certum testimonium? Nam lin. 5 nihil profecto est quod *et* legere cogat, eoque minus, quod si quattuor fuissent, quartus certe sine copulativa particula adiungi debebat. Praeterea quam ob caussam hos quattuor viros, inter quos ali-

quam intercessisse necessitudinem scriptor certe non significavit, quippe qui ne nomen quidem candidati illius praetorii commemorare aut voluisset aut quivisset, et a quibus per sacram viam deductos statuamus? Scilicet hic mos apud Romanos fuit, ut qui petitioni alicuius faverent, eum de foro deducerent. Cum igitur Pal. *de ctis* exhibeat, quod autem *c* lectum est, facile possit pro litterae *n* extrema linea haberi, si oscitationi librari nihil prorsus tribuendum videatur, quid veri similius, quam *deducentis* scribendum esse, quo recepto omnia rectissume dicta sunt. — 8. *tumultu minis invadit* Huschk. ap. Kreyss. ep! p. 18. *M* ex librari errore natum esse iamdudum omnes intellexere. — 9. *fugientemque* Pertz. *fugientisque* Kreyss. Octavi domum eandem fuisse, quae postea Scauri (Ascon. ad Cic. pr. Scauro p. 27 Orell.), docte monuit Kreyss. — 10. *qui pro praetore erat* Pertz. *quae propior erat* Kreyss. comm. p. 29. — 11. *in propugnaculum pervenit* Pertz. *ingenti pugna civium pervenit* Huschk. l. c. p. 277. *in eius coenaculum pervenit* Kreyss. cur. sec. p. 21. *in Palatium* Wagner. Act. gymn. IX p. 195 sq. Malim *in ipsum vestibulum pervenit.*

41 [Kr. 50. G. 103]. Palimps. Tol. col. IV.

PAUC
UETER
CUPIT
UALIS
INCO
IERU
MIHI
TIAEC
ΛEQ
BIPA
\

In prioribus lineis quamquam nonnulla vocabula dignoscuntur, velut adiectivom *paucus*, *vetus*, *cupit*, tamen inde sententiam effici posse omnes desperavere. Set animi caussa lubet mihi quae in mentem venere, dicere. Relata videntur fuisse quae tribunus pl., qui G. Cottae diem dixerat, in contione protulit. Ostendisse eum autumo *pau*citatem frumenti, portus *veteres* a piratis *occupatos*, [omnia] flumina va*cua lin*tribus. Quae secuntur, recte iam ab Kreyssigio subpleta sunt hoc modo: *dein Cotta in hunc modum dis*seruit, quippe cum Priscianus XVIII p. 305 Sallustium *in hunc modum disseruit* dixisse pro 'hoc modo' testetur, Heerwagen: *hoc modo disseruit*, Roth. l. c. p. 430 *in contione hoc modo disseruit.* Relicua sunt

orationis G. Cottae consulis ad populum Romanum.

1 Quirites, multa mihi pericula domi militiaeque, multa advorsa fuere, quorum alia toleravi, partim reppuli deorum auxiliis et virtute mea: in quis omnibus numquam animus negotio defuit, neque decretis labos: malae secundaeque res opes, non ingenium mihi
2 mutabant. At contra in his miseriis cuncta me cum fortuna dese-

VAR. SCR. 1. militiaeque 𝔅 *idemque Pal. testari videtur.* militiae *Cort.* — 2. tolerabi *Pal.* — 3. nunquam 𝔅. *Vat. Bong.* neque *volg. post Ald. prior.* — 4. labos 𝔅.

ruere. Praeterea senectus, per se gravis, curam duplicat, cui
misero acta iam aetate ne mortem quidem honestam sperare licet.
Nam si paricida vostri sum et bis genitus hic deos penatis meos 3
patriamque et summum inperium vilia habeo, quis mihi vivo cru-
ciatus satis est aut quae poena mortuo? quin omnia memorata
apud inferos subplicia scelere meo vici. A prima adulescentia in 4
ore vostro privatus et in magistratibus egi: qui lingua, qui con-
silio meo, qui pecunia voluere, usi sunt: neque ego callidam fa-
cundiam neque ingenium ad male faciundum exercui: avidissumus
privatae gratiae maxumas inimicitias pro re publica suscepi: quis
victus cum illa simul cum egens alienae opis plura mala expecta-
rem, vos, Quirites, rursus mihi patriam deosque penatis cum in-
genti dignitate dedistis. Pro quibus benificiis vix satis gratus vi- 5
dear, si singulis animam, quam nequeo, concesserim. Nam vita et
mors iura naturae sunt: ut sine dedecore cum civibus fama et
fortunis integer agas, id dono datur atque accipitur.

Consules nos fecistis, Quirites, domi bellique inpeditissuma 6
re publica. Namque inperatores Hispaniae stipendium milites, arma
frumentum poscunt: et id res cogit, quoniam defectione sociorum
et Sertori per montis fuga neque manu certare possunt neque utilia
parare. Exercitus in Asia Ciliciaque ob nimias opes Mithridatis 7
aluntur, Macedonia plena hostium est, nec minus Italiae marituma
et provinciarum, cum interim vectigalia parva et bellis incerta vix
partem sumptuum sustinent: ita classe, quae conmeatus tuebatur,
minore quam antea navigamus. Haec si dolo aut socordia nostra 8
contracta sunt, agite ut monet ira, subplicium sumite; sin fortuna
communis asperior est, qua re indigna vobis nobisque et re publica
incipitis?

Test. scr. 11. Charis. Exc. p. 549 ed. Keil.: *et huius opis Terentius* (Phorm. III 3, 20) *et ab hac ope Sallustius* II: cum egens alienae opis plura mala exspectarem.

---

2. acta iam aetate 𝔙. senecta iam aetate *Carrio, adductus eo, quod Serv. ad Verg. Aen.* XI 165 senecta iam aetate *ex Sall. laudavit.* cui misero, seni, acta iam aetate *Döderl. Syn.* IV *p.* 94. — 5. quin omnia 𝔙. cum omnia *Cort.* — 6. suplicia 𝔙. adulescentia 𝔙. — 8. callidam facundiam *omnes libri.* caninam facundiam (*cfr. fr.* II 36) *Carrio.* — 10. quis victus 𝔙. qui victus *Cort.* — 11. expectarem 𝔙. — 12. deosque penatis 𝔙. deos penates *Cort.* — 15. iura 𝔙. iure *Vat.* 2 *et Ven. ed.* ut *libri.* ubi *Cort.* uti *Gerl.* — 20. montis 𝔙. — 24. sumptum 𝔙. quae commeatus tuebatur 𝔙. qua commeatus vehebatur *edd.* — 25. antea 𝔙. ante *ed. Kr.* — 26. sunt agite utmonet ira 𝔙. sunt uti monet *Cort.* agite uti libet et ita *Carrio.* agite et uti libet ita *Weis.* fortuna com-

9 Atque ego, cuius aetati mors propior est, non deprecor, si quid ea vobis incommodi demitur: neque mox in senio corporis
10 honestius quam pro vostra salute finem vitae fecerim. Adsum en Gaius Cotta consul: facio quod saepe maiores asperis bellis fecere: voveo dedoque me pro re publica. Quam deinde cui mandetis
11 circumspicite; nam talem honorem bonus nemo volet, cum fortunae et maris et belli ab aliis acti ratio reddunda aut turpiter mo-
12 riundum sit. Tantum modo in animis habetote non me ob scelus aut avaritiam caesum, set volentem pro maxumis benificiis animam
13 dono dedisse. Per vos, Quirites, et gloriam maiorum, tolerate
14 advorsa, et consulite rei publicae. Multa cura summo inperio inest, multi ingentes labores. Quos nequiquam abnuitis, et pacis opulentiam quaeritis, cum omnes provinciae regna, maria terraeque aspera aut fessa bellis sint.

---

munis 𝔙. communis fortuna *Cort.* — 2. mox ingenio corporis 𝔙. ingenuo corpori *Urs.* ingenui corporis *Cort.* in senio corporis *Orell. quam coniecturam nollem postea ipse abiecisset.* Ingenium corporis *natura corpori ingenita quin recte dicatur non dubito. set utique de sorte corport destinata, ut intereat et emoriatur, id quod hoc loco requiritur, dictum non modo mirum, verum etiam inauditum esset. Fateor autem mihi magis placere* inperio corporis; *quippe qui naturalem mortem obit, quasi iussu corporis vitae finem facit.* — 3. adsum 𝔙. assum *volg.* — 7. maris 𝔙. pacis *edd. ante Carr.* — 9. volente 𝔙. — 10. Per vos Quirites 𝔙. per vos igitur Quir. *Ald.* — 11. advorsa 𝔙. — 12. nequiquam 𝔙. et pacis 𝔙. sed pacis *Link.*

*42 [Kr. 51. G. 82]. Legis per G. Cottam latae mentionem fecisse Sallustium, testari videtur Ascon. ad Cic. Cornel. p. 66 ed. Or.: *Nam neque apud Sallustium neque apud Livium neque apud Fenestellam ullius alterius latae ab eo legis mentio praeter eam, quam in consulatu* (Sic Madv. lib. *in concione*) *[tulit repugnante] nobilitate, magno populi studio, ut iis* (lib. *his*) *[qui tribuni plebis] fuissent, alios quoque magistratus [capere] liceret* (lib. *et aliter et*), *quod lex a dictatore L. Sulla paucis [annis ante] lata prohibebat* (lib. *perhibebant*). Quod ubi factum esse censebis nisi in eo libro, in quo de Cottae consulatu narratum fuit?

*43 [Kr. 52. G. 77]. Venti per cava terrae citati, rupti aliquot montes tumulique sedere.

Isid. Or. XIV 1, 2 p. 433 ed. Otto: *Cuius motum alii dicunt ventum esse in concavis eius qui motus eam movet: Sallustius:* Venti — sedere. Ibi *venti per cava terrae praecipitati rupti* Arev. *ventis per cava terrae citatis* al. *cava* Gu. 3. 4. *venti per concava terrae praerupti* Gu. 1. *citati rupti* Gu. 4. *venti per concava terrae praecipitatis* volg. Inde Otto coni. *ventis per concava terrae praecipitatis*, idque Kritzius, partim etiam Ger-

lachius conprobavere. Et sane quae apud Isidorum praemissa sunt eis doceri videtur, caussam terrae motus Sallustium ventis per cava eius ruentibus tribuisse. Set Servius ad Verg. Ge. II 479: *'Alii dicunt ventum esse in concavis terrae, qui motus etiam terram movet. Sallustius:* venti per cava terrae citati' nominativum tuetur neque si Sall. in eis, quae in motu terrae fiunt, primo loco ventos illos posuerit, quidquam obstat quominus grammaticos inde conclusisse statuamus, eum quoque scriptorem ventos motus terrae caussas putasse. Iam vero Iul. Obsequens de prod. c. 120, de motu terrae quo anno 76 Reate oppidum concussum est, haec tradit: *Reate terrae motu aedes sacrae in oppido agrisque commotae, saxa quibus forum stratum erat discussa, pontes interrupti, ripae labentis fluminis in aquam provolutae, fremitus inferni exauditi, et post paucos dies quae concussa erant corruerunt; saxum vivum cum provolveretur, in praecipiti rupe immobile stetit.* Nonne igitur qui inferni exauditi sunt fremitus venti fuere per cava terrae citati? Nonne quod statim adiungitur: *quae concussa erant, corruerunt*, id cum Sallustianis *rupti aliquot montes tumulique sedere* concinit? Quod si recte statuimus Iul. Obsequentem Sallusti descriptionem novisse, neque ad quam rem huius verba pertinuerint, neque quo loco ponenda sint, in obscuro est.

Cum fragmenta quaedam ex libro II conmemorentur, quae nisi ad initia belli Mithridatici referantur, prorsus intellegi non possint, Kritzio obsecutus his adiungenda puto, quae ad regni Pontici origines et Mithridatis ante actam vitam pertinuisse apertum sit.

*44 [Kr. 53. G. III 32]. Ampel. lib. memor. c. 30, p. 23 sq. ed. Wölfflin: *Ita Darius regnum optinuit, a quo Artabazes originem ducit, quem conditorem regni Mithridatis fuisse confirmat Sallustius Crispus. Artabazes* Halm. ex Floro. I 40, 1. *Artabanes* CE.

*45 [Kr. 54. G. III 33]. Set Mithridates extrema pueritia regnum ingressus matre sua veneno interfecta.

Adtulit haec Serv. ad Verg. Aen. V 295, quo aetates vitae humanae trifariam dividi ostenderet, libri numero non adiecto.

*46 [Kr. 55. G. III 33]. Schol. Gronov. ad Cic. de inp. Gn. Pomp. 9, 22 p 439 ed. Orell.: *Incongruum videtur exemplum, quod imperatori feminam comparavit, sed ex omni parte quadrare monstratur: primum ex loco, quod Mithridates Ponticus fuit, quae patria Medeae est; ex fato, quod ut illa paricidium fecit, sic et iste auctore Sallustio et fratrem et sororem occidit ad postremum comparans exitium.* Pro postremis verbis, quae insana sunt, scribendum conicio: *ad postremum matri comparans* (vel *comparavit*) *exitium.* Quod si non omni veri specie caret, maiore iure hoc cum praegresso testimonio in unum fragmentum coniungetur.

*47 [Kr. 56. G. III 34]. Mithridates ingenti corpore, perinde armatus.

Quintil. i. or. VIII 3, 82: *ac merito laudatur brevitas integra, sed ea minus praestat, quotiens nihil dicit nisi quod necesse est* (*βραχυλογίαν vocant,*

quae reddetur inter schemata), est vero pulcherrima, cum plura paucis complectitur: quale Sallustii est: Mithr. — armatus. *Hoc male imitantes sequitur obscuritas.* Apud eum falso legitur *proinde.* Cfr. App. b. Mithr. 112 p. 415, 27 Bekk. τὸ σῶμα δ' ἦν μέγας μέν, ὡς ὑποδεικνύουσιν ὅσα ὅπλα αὐτὸς ἔπεμψεν ἐς Νεμέαν τε καὶ Δελφούς. Imitatum videri Florum I 7, 4: *Galli Senones, gens — ipsa corporum mole, perinde armis ingentibus, adeo omni genere terribilis fuit,* iam alii observarunt.

48 [Kr. 57. G. 94]. Quod advorsum multi ex Bithynia volentes adcurrere, falsum filium arguituri.

Prisc. X p. 505: *invenitur tamen in usu etiam 'arguiturus' pro 'arguturus'. Sallustius in II historiarum:* Quod — arguituri. Pro *quod quos* exhibent BDHGLK. Tum *adcurre* (sup. c et re) Kr. *accurrere* HLK. *accurre* G. *occurrere* BD. De qua re illa verba dicta fuerint, dubitari nequit. Scimus enim Nicomedem III, Bithyniae regem, a. a. C. 75 (a. u. 679) mortuum, Romanos testamento heredes regni sui scripsisse illosque terram in provinciae formam redegisse (Liv. epit. XCIII. Arr. ap. Phot. p. 73. Bekk. App. b. Mithr. 71 p. 379 Bekk.). Fuisse tamen qui Nicomedis filium se esse sibique heredium deberi contenderet, conpertum habemus ex Sall. Ep. Mithrid. 9: *postremo totam Bithyniam diripuere, cum filius Nysa, quam reginam adpellaverat, genitus haut dubie esset.* Cum iam ap. Prisc. *adcurrere* ab libris munitissumum sit, certum videtur dictum fuisse de missis ab Romanis, qui Bithyniam acciperent, quos qui Nysae filium sequebantur, intrare vetuere: contra multi sua sponte ex Bithynia venere, parati ut testimoniis suis verum et legitumum illum Nicomedis filium non esse convincerent. Quae qui concesserit, *quos* tueri non potuerit. *Quod advorsum* eodem modo dictum est, atque ap. Liv. XXXII 2, 5 *advorsus id quod,* neque obfensioni est praepositio postposita, cum *quod contra* in usu fuerit (Cic. Cat. mai. 23, 84. Lael. 24, 90).

49 [Kr. 58. G. 95]. — — ibi Fimbriana seditione, qui regi per obsequelam orationis et maxume odium Sullae suaves carique erant.

Non. p. 146 s. v. *obsequela* ex libro secundo. Minus grave est, quod libri praeter AJ *Fimbriane* pro *Fimbriana* exhibent; parum perspicua fit oratio per Merc. coniecturam *Fimbriana et seditione;* set multo gravius quod libri exhibent *Sullae Scarique, graves carique* AJ. *Sullae Scaurique* M. *Sullae cari erant* mg.J. Quin haec dicta fuerint de Marianis, qui ad regem Mithridatem confugerant, dubitari vix potest; num de L. Fannio et L. Magio, quos ille ad Sertorium misit (App. b. Mithr. 68 p. 377 ed. Bekk. Cic. in Verr. I 34, 87), dubium quidem, set veri simillumum est, quamquam ex Plut. Sert. c. 23 minume conici licet, eosdem quos legatos misit, ei adulatos esse. Iam de primis verbis vel inlustrandis vel restituendis desperandum est, quam diu non nova reperta quae ap. Non. exciderint, aut ex alius scriptoris verbis quo pertinuerint explicatum fuerit. *Ibi* si verum est, praecessisse verbum commorandi docet, et ablativo *Fimbriana seditione* caussam, cur ibi commorati sint, expressam fuisse in propatulo est. Videntur igitur illi Mariani, cum L. Valerius Flaccus ab Fimbria interfectus esset, ab exercitu discessisse et cum Romam reverti non possent, Sullam adire nollent, ad Mithridatem venisse. Fortasse ergo praecesserunt: *perfugium invenerant ibi* cet. Tum cum *carique* scriptum fuisse certum videatur eamque ob caussam antea adiectivum excidisse necesse sit, nihil tribuendum est librariorum invento *graves,* quoniam gravem dici eum, qui auctoritate apud aliquem polleat, nisi alia accedant, sine exemplo est, eoque minus probandum, quia *gravis* per se significat eum, qui molestus odiosus sit. Quod si ex

App. b. Mithr. c. 70 p. 379, 27 Bekk.: 'οὐχ ὁρᾶτε δ' αὐτῶν' ἔφη 'καὶ τοὺς ἀρίστους' ἐπιδεικνὺς Οὐάριόν τε καὶ τοὺς Λουκίους 'πολεμίους μὲν ὄντας τῇ πατρίδι, συμμάχους δ' ἡμῖν;' aliquid coniciundum, illos quod Sullam odissent, regi fidelissumos et deditissumos visos esse expectamus. Set neminem earum habemus, nisi quem fidum nobis fore confidamus. Qua re minume necessarium est, ut hoc ab Sallustio adiectum fuisse statuamus; satis est, quod amorem et caritatem significet. Id mihi repperisse videor in *suaves*, quod ut facile legi potuit *graves*, sic non minus facile omitti, quippe eadem littera terminatum, a qua incipiat.

50 [Kr. 61. G. 99]. Turmam equitum castra regis succedere et proeli rationem explorare iubet.

Arus. p. 260 s. v. *successit illam rem.* Cum de *regis* vocabulo dubitari nequeat, de Mithridatici belli principiis haec dicta fuisse paene certum videtur. *Properationem* nullo modo ferri potest, nec satis placet, quod proposuit Mähly Nov. Ann. LXXVII p. 79: *prope nationem.* Cum autem equites ad castra hostium mitti soleant, quo aut loca ac munimenta explorent, aut hostes ad pugnam lacessant, saepe autem talia proelia fiant, ut quo more hostes pugnent cognoscatur, restitui *proeli rationem;* cfr. Caes. B. G. V 16: *equestris autem proelii ratio et cedentibus et insequentibus par atque idem periculum inferebat.*

Subiungam iam ea fragmenta quibus aut certus locus in libro secundo adsignari nequeat, aut quorum sententia obscura sit.

51 [Kr. 48]. Multique commeatus interierant insidiis latronum.

Non. p. 305 ex lib. II, ubi *interfici* et *occidi* etiam de inanimalibus dicta esse docet. — Kritzius hoc fragmentum inter 39 et 40 posuit, et censuit caussam dici, cur urbem tanta famis calamitas pressisset. Quod si esset, latrones piratae intellegundi essent, set vocabulum illud de terrestribus praedatoribus ita frequentatum esse constat, ut nisi alia adsint, quae de piratis dici arguant, de illis non cogitari non possit. Quid igitur? nonne haec dici potuere de commeatibus in Hispaniam exercitui subportandis, per latrones interceptis?

52 [Kr. 59. G. 53]. Ruuntque magna pars suismet aut proxumorum telis, ceteri vicem pecorum obtruncabantur.

Non. p. 339 ex lib. II hunc locum commemoravit, ut accusativum vel nominativum pro ablativo dici doceret, unde certissuma est Merceri coniectura, *vicem* pro *vice*, quod libri exhibent, scribundum esse. Prima verba quae vitiose in libris scripta sunt, *ruina quae pars* recte emendavit Coler. Quamquam fateor me aegre desiderare participium velut *volnerati* vel *caesi*. Ingeniose Kritzius haec de fuga Romanorum ad Chalcedonem facta dicta fuisse suspicatus est, ductus his App. verbis b. M. 71 p. 380 Bekk.: Νοῦδος δὲ ὁ ναύαρχος αὐτοῦ (Cottae) σὺν μέρει τινὶ στρατοῦ τὰ ὀχυρώτατα τοῦ πεδίου καταλαβὼν καὶ ἐξελαθεὶς ἔφυγεν ἐπὶ τὰς πύλας τῆς Χαλκηδόνος διὰ θριγκίων πολλῶν πάνυ δυσχερῶς. ἀμφί τε τὰς πύλας ὠθισμὸς ἦν ἐσπηδώντων ὁμοῦ· ὅθεν οὐδὲν τοῖς διώκουσιν αὐτοὺς βέλος ἠτύχει. Set si similitudinem quamdam ultumorum verborum cum Sallustianis statuit, vir doctissumus falsus est. Appianus enim de multitudine tam densa dixit, ut nullum telum insequentium hostium frustra iaceretur, Sallustius de ita conpressis ut singuli aut suis ipsorum aut proxumorum — qui hostes esse non possunt — telis volnerarentur. Rectius cum ultumis verbis Sall. contulisset haec, quae apud Appianum secuntur: οἱ δὲ λοιποὶ μεταξὺ τῶν τε φίλων καὶ τῶν

πολεμίων ἀπώλλυντο, τὰς χεῖρας ἐς ἑκατέρους ὀρέγοντες. Ut nunc res est, ad quid illa verba pertinuerint, in incerto videtur relinquendum.

53 [Kr. 60. G. 91]. E muris canes sportis dimittebant.

Exhibui verba uti ap. Non. p. 120 s. v. *sportas* scripta sunt, quae ita vera non esse quivis intellegit. Iamdudum igitur videre vv. dd. *demittebant* conrigundum esse. Quod praeterea Lips. Ep. qu. IV 11 coniecit *cives* pro *canes* nemo facile conprobabit. Set Kritzius *canem* machinam quamdam esse arbitratus, id quod conparatis *aries, equus, ericius* al. et Isidori loco XX 15, 5: *lupus, qui et canicula, ferreus harpax, quod si quid in puteum decidit, rapit* (scr. *capit*) *et extrahit, unde et nomen accepit. Harpax autem dictus quia arripit; ἁρπάζειν est enim graece rapere*, defendere studuit, certam rem sibi invenisse visus est, ad quam illa verba pertinuissent. Quoniam enim App. l. ad 52 conl. haec narravit: *ὡς δὲ καὶ περὶ τῶν πυλῶν δείσαντες οἱ φύλακες τὰ κλεῖθρα καθῆκαν ἐς αὐτὰς ἀπὸ μηχανῆς, Νοῦδον μὲν καὶ τῶν ἄλλων ἡγεμόνων τινὰς καλωδίοις ἀνιμήσαντο*, *spartis* conrigundum censuit et Nudum aliosque duces demissis e muris Chalcedonis canibus adreptos et in altum sublatos servatos esse. Cui doctae et ingeniosae suspicioni, ut omittam quaerere num illos canes in muris paratos fuisse veri simile sit, vel illud unum obstat, quod ipsum vocabulum, cuius exemplum locus ab Nonio adfertur, conrigundum est. Nescio qualem rem sibi finxerit Mähly N. A. LXXVII p. 79 *panes* scribi iubens, neque probabilis mihi visa Wagneri coniectura (A. g. IX p. 196) *clam se sportis demittebant*. Mihi, cum aperte de obsesso oppido dicta illa fuerint, in mentem venit scribundum esse *arenas* vel *caena*. Utriusque enim rei in defensione moenium usum fuisse ostendit Curtius IV 3, 25: *clupeos vero aeneos multo igne torrebant, quos repletos fervida arena caenoque decocto e muris subito devolvebant.* Ceterum arenam tenuem, etiamsi non fervida esset, tamen escendentes obpugnatores morari et perturbare potuisse, apertum est. Ab Sertorio autem pulverem in alia re ad usum adhibitum esse cognovimus ex Plut. Sert. c. 17.

54 [Kr. 63. G. 45]. Noctu diuque stationes et vigilias temptare.

Charisius p. 207: *Noctu diuque Sallustius historiarum* II. De quo duce haec dicta fuerint nemo facile explicabit. Set magnam veri speciem prae se fert Godofredi Hermanni Opusc. V p. 262 suspicio, quoniam ap. Charis. paulo post legitur: *Naevius in Acontizomeno 'Sulpicii noctu interfecit'*, nomen Sulpici ad Sallusti verba adiungenda esse, quamquam *subplicio* scribundum censuit Ribb. com. rel. p. 5. Nam quid obstat, quo minus Sulpicium quemdam, — fortasse Serv. Sulpicium Rufum, qui a. 65 praetor fuit, a. 63 in petitione consulatus repulsam tulit, a. 52 interrex, a 51 cum M. Claudio Marcello cos. — in exercitu vel Gn. Pompei vel Q. Metelli legati locum obtinuisse credamus.

55 [Kr. 64. G. 48]. Neque subsidiis uti soluerat conpositis.

Prisc. VIIII p. 489: *'soleo', quod 'solitus sum' vel 'solui' secundum Sallustium facit perfectum, qui in* II *historiarum ponit:* neque — conpositis.

56 [Kr. 65. G. 87]. Ad hoc pauca piratica et actuaria navigia.

Non. p. 366: *Actuariae naviculae celeres dictae, quod agi possent. Sallustius Hist. lib.* II: ad hoc — navigia. Homoeoteleuta ferri non posse et cum libri Noni exhibeant *piraticae*, scribendum esse *piratica et actuaria* perspexit Mähly l. c. p. 79. Ceterum minume necesse est, haec verba in enarratione belli adversum piratas gesta fuisse statuamus, cum piratarum naves tum per omnia maria sparsas fuisse constet.

57 [Kr. 66. G. 48]. ******* legio flumen transducta castra dilatavit.

Arus. p. 265 s. v. *transductus illam rem. Sal. Hist.* II. In libro Gud., in quo haec inventa sunt, ante *legio* scriptum est *Parco*, quod conruptum esse nemo infitias eat. Kritzius igitur, cum *dilatari castra* dicantur quae amplificantur, extenduntur (Liv. XXVII 46, 2), recte perspexit hoc dictum fuisse: ampliora quam pro numero militum ab illa legione castra posita esse, quo hostes deciperentur ac fallerentur. Set quod inde coniecit, quo apta obpositio efficeretur, scribundum esse *parva legio*, vellem id exemplis confirmasset. *Parva manus* frequentissumum est, *parva legio* an recte dicatur valde dubito. Set plures viae, quibus ad aliquam veri speciem perveniatur, inveniri possunt. Primum enim in conrupto illo *Parco* nomen loci, unde legio flumen transducta sit, latere potest. Quo ductus Gerlachius (vid. ed. IV praef. p. XXXIV a) *Pario* scripsit, cogitans haut dubie de Pario, oppido Mysiae inter Lampsacum et Adrasteam sito (cfr. Strabo VII fr. 57 et 58 p. 471 et 72 Mein. X p. 684 sq. XIII p. 817 et 824 sqq.). Quae coniectura uti non contemnenda ita tamen incerta est, quoniam de bello in illis regionibus advorsus Mithridatem gesto praeter pugnam apud Chalcedonem factam multa enarrata fuisse veri dissimillumum est. Tum non longe abest suspicio latere in illo vocabulo instrumentum, per quod legio transducta sit. Possumus de *ponte* cogitare, vel de *pontone* (Caes. b. c. III 29, 3, *pontonium* ap. Isidor. or. XIX 1, 24 p. 584 ed. Otto), vel de *parone* (Isid. l. c. 20 p. 583) quid quod de *barca* (Isid. l. c.). Set ego iudicium retinendum puto, dum quis meliora invenerit.

58 [Kr. 57. G. 90]. At illi, quibus vires aderant, ruere cuncti ad portas, inconditi tendere.

Locus difficillumus quemque nisi nova subsidia reperiantur, prorsus expediri posse desperem. Legitur apud Servium ad Verg. Ecl. II 4: *incondita incomposita, subito dicta, agrestia* [an *agrestis?*] *vel insanientis dicta verba* [alterutrum delendum censeo]. *Vel incondita, i. e. inconscripta, ut Sallustius.* Iam libri ne in titulo quidem et numero libri consentiunt; alii enim *lib.* II, Guelf. I *in libro* V, Guelf. II *in L.* VI, alii *in Iugurthino.* Cum iam, quod ultumo loco posui, falsum sit nec dubium quin ex Historiis Vergili commentator exemplum deprompserit, recte Putschius ex eo munimenti aliquid accipere scripturam *lib.* II censuit, cum grammaticos librum de b. Iug. secundum adpellare solitos esse constaret. Deinde cum ap. Sall. *inconditus* scriptum fuisse certum sit, tamen qua significatione fuerit, ex Servi verbis dubitari potest. Nam si exemplum ad alteram tantum significationem vocabuli *inconditus* adhibitum esse statuamus — scilicet incondita esse, quae litteris non consignata —, verba Sallusti multo obscuriora sunt. Set illud ipsum *inconscripta* tam putidum est, ut vix dubium videatur, quin ea explicatio ex margine falso loco inlata sit. Nec si ab eodem grammatico ea adiecta putaveris, tamen quidquam obstat, quo minus Sallusti exemplum omnino ad demonstrandum similem usum vocabuli *inconditus* adscriptum censeamus. Transeamus igitur ad ipsa scriptoris nostri verba. In *quibus vires aderant* omnes libri consentiunt, set alii *inconditi tendere*, alii *inconditi* vel *incondita tenere*, Guelf. II *inconditi temere*, id quod Heinsius coniecerat. Ab his longe recedit codex Ursini: *illi quibus res incognita erat, ivere cuncti ad portas incognita tendere*, cui nollem Kritzius tantum tribuisset. Primum enim turpiter conruptum esse locum vel inde adparet, quod id ipsum vocabulum, ob quod adlatus est, in *incognita* mutatum; deinde facile est ad intellegundum, librarium cum legere non posset quae describunda essent, vel suo arbitrio vel ex notis marginalibus et

interlinearibus illa incondita concoxisse. Tum non recte negasse virum doctissumum: *vires aderant* latine dici, ostendit locus Vell. II 61, 1: *vis ad resistendum nulli aderat*, ut alias similes locutiones, quas lexica subpeditant, omittam. Quod si verba *illi quibus vires aderant, ruere cuncti ad portas* dubitatione exempta sunt, paene admiror, quod Kritzius ad ea non adhibuit locum Appiani, quem ex fr. 52 expressum esse suspicatus erat. Quid enim veri similius, quam illa dicta fuisse de militibus pulsis ac fugatis, quorum quos vires non defecissent, ad urbis propinquae portas adcelerassent? Quae si non prorsus ab veri specie abhorrent, de extremis facilius iudicare poterimus. *Incondita tenere* absurdum est, nec minus *inconditi tenere; inconditi temere* non ab sententia pervorsum est, set quod vocabula nimis multa cumulata sunt, displicet; *inconditi tendere*, quod Gerlachius retinuit, recte defendi potest: qui ad portas ruebant, eidem inconditi tendebant, praesertim si cogitemus plura secuta esse *ruere* et *tendere* infinitivos historicos. Quod Mähly l. c. p. 79 proposuit, *incondito itinere*, ingeniose inventum est, set dubito, an *iter* recte dicatur de non ingredientibus set ruentibus.

59 [Kr. 68. G. 100]. Ille festinat subsidiis augere principes et densere frontem.

Eutych. p. 192: *'denso', quod et 'denseo' secundae coniugationis, ut in 'eo' terminatum, licet raro lectum, invenitur, ut extulit — Virgilius* (G. I 419. Aen. XII 264) —. *Cuius infinitivum Salustius historiarum lib. II refert:* Ille — frontem.

60 [Kr. 69. G. 41]. Terror hostibus ex fiducia sui incessit.

Arus. p. 242 s. v. *incessit illis illud* ex Hist. II.

61 [Kr. 70. G. 73]. Circumventi a dextera nuda ferro saxo aliis telis capita adfligebantur.

Arus. p. 215: *adflictus illam rem. Sal. Hist.* III (23) — *Idem Hist.* II: circumventi a dextera unde ferrum erat, saxa aut quid tale, capita adfligebant. Maii cod. *circumventi dextra*, Gu. *circumventis dextera.* — Gu. *nuda ferrum erat*, cod. Maii *unde ferrum erat.* — Cod. Maii *capiti*, Gu. *capita.* — Kritzius igitur retinens scripturam ab Lindemanno receptam, de militibus inermibus locum intellegit, qui cum fraude ita essent in angustias adducti, ut ab una parte iniquitate loci, ab altera ab armatis hostibus premerentur, saxis se defenderent et quovis modo sibi consulerent. Verba ergo *unde ferrum erat* interpretatur 'unde armati ingruebant', quam locutionem insolentem esse ipse concedit. Casselius ap. Kr. conrigundum censuit: *circumventi dextera (nuda ferro erat) saxa aut quid tale capita adfligebant.* Uterque igitur *adfligere aliquem aliquam rem* ab Sallustio dictum fuisse statuere. Quod mihi secus videtur. Nam cum Arusianus constructionem passivi *adfligi* cum accusativo eius generis, quem graecum nonnulli grammatici adpellant, exemplis inlustret eoque pertineat locus ex lib. III prolatus, nisi novum lemma excidit — id quod veri simile non est — sequitur enim *adflictus ea re* —, nihil certius videtur, quam *adfligebantur* scribendum, cum eoque acc. *capita*, partem eam in qua adflicti sint significantem, coniungendum esse. Quod si ita est, praecedentia verba nihil aliud continere possunt, nisi instrumenta, quibus adflicti sint. Iam ut *circumventi a dextera* recte Lindemannum emendasse breviter moneam, *nuda* maiorem speciem veri prae se ferre quam *unde*, quivis facile concedet. Probanda igitur videretur Caselii coniectura si *ferrum* clupeum significaret. Etenim dextra militis nuda est, quoniam clupeus sinistra geritur. Set cum *nuda* in *unde* conruptum

esset, facile fieri potuit, ut *erat* ab librariis adiceretur, idque adeo in eum codicem transiret, qui veram scripturam servavit. His argumentis ductus audacius locum restituendum censui. Cogitandum de militibus in angustiis ita conpressis, ut capita scutis tegere non possent et ab editiore loco capitibus adfligerentur.

62 [Kr. 71. G. 49]. Suos equites hortatus vado transmisit.

Arus. p. 265 s. v. *transmitto illa re.*

63 [Kr. 72. G. 71]. Ictu eorum, qui in flumen ruebant, necabantur.

Donat. ad Ter. Ad. III 2, 21: *'Ruere' activam vim habet. Sallustius in secundo:* ictu eorum, qui in flumine ruebant, necabantur. *'Ruere' enim est toto corpore uti ad impellendum, quod faciunt qui ipsi praecipites alios prosternunt.* Kritzii sententia errasse grammaticum et *ruere* neutrali vi esse, propterea mihi non probatur, quia non percipio, quo modo qui in flumine non stent, set cum vi procedant vel magno inpetu grassentur, ictu suo alios necare dici possint. Utut est, *in flumine* ferri non potest, set requiritur *in flumen.* Illud dubium est, utrum ictu eorum qui in flumen ruere conabantur — ea enim est inperfecti vis, — alii necati esse dicantur, an eorum, i. e. in praecedentibus dictorum, ictu illi, qui in flumen ruere conabantur. Quid ruere studuerint, omni nexu sublato, nemo divinabit.

64 [Kr. 73. G. 47]. Neque inermos ex proelio viros quemquam agnoturum.

Prisc. X p. 511 ubi de *agnitum* dixit: *Sallustius tamen secundum analogiam in* II *historiarum:* neque — agnoturum. *ex praelio inermes* G. *inermos* (in *inermis* conr.) R (*in* inermes) H. *inhermos* B. *inermes* L. — Serv. ad Verg. Aen. IV 23: *participium 'agnotus', non 'agnitus'. Sallustius:* nec inermos ex praelio quenquam agnoturum. Recte Kritzius ex cohortatione ducis verba sumpta censuit et hanc esse sententiam: qui inermes ex proelio redirent, eos ab nemine pro viris habitum iri.

65 [Kr. 74. G. 88]. Omnia sauciata corpora in ratis inposuisse.

Arus. p. 239 s. v. *imposuit in illam rem.* Minoris momenti est, quod cod. Maii *ratem,* Gu. *rates* exhibet, quamquam de ea discrepantia tum demum certius iudicari posset, si quo modo locus intellegendus esset constaret. Set uterque cod. *sacrata corpora* praebet. Quae Kritzius sacerdotes, hominum deis sacratorum corpora esse censuit, at vellem id exemplo ex vetustiore et elegantiore scriptore confirmasset. Ego cum *sacrata corpora* omnino explicari non posse censerem, quod mihi aliquam veri speciem praebere videbatur, *sauciata* restituendum duxi.

66 [Kr. 75. G. 86]. Primo in diem cibum fortuitum per noctem in lenunculo piscando.

Non. p. 366: *Lenunculus navigium piscatorium. Sallustius Hist. lib.* II: primo indicit [*inducit* 1480. *in diem* princ.] forte per [*forte super* AJ.] noctem in lenunculo piscandis [*piscantis* edd. praet. princ.]. Cupidius mihi hoc loco viri docti adripuisse videntur Mercerii coniecturam: *Primo incidit forte per noctem in lenunculo piscantis,* quam ipse Kritzius speciosam quidem, set ad locum expediundum parum fructuosam esse concessit. Set consideremus singula. Ut ab ultimo ordiar, *piscantis* quo modo in *piscandis* conrumpi potuerit, difficile est dictu, certe *piscando* emen-

dare facilius. Etiam multo minus perspicitur, quo tandem modo ex *incidit* fieri potuerit non modo *indicit*, set *inducit* atque *in diem*. Set *in diem* si sequebatur syllaba ab *ci* incipiens, *in inducit* et *inducit* mutari proclive fuit. Quid autem piscandi est consilium? Scilicet cibos quaerere. Nonne igitur veri simile est, in illo *indicit* latere *in diem cibum?* Denique *super noctem* ferri non posse omnes intellexere. Set num id ab librariis lubidine quadam scriptum dicamus, nonne potius *su* ex ultuma praecedentis vocabuli syllaba natum? Ac facile quis ad eam opinionem adducatur ut in illis syllabis verbum quaerat, unde pendeat accusativus *cibum*. Cum vero difficile sit verbum invenire, quod et quaerendi notionem contineat et similitudinem quandam illarum litterarum, contra nihil inpediat, quo minus verbum aut praecessisse aut secutum esse statuamus, quidni potius adiectivum cum *cibum* coniunctum in illis inconditis litteris inesse putamus? Id mihi fuisse videtur *fortuitum*. Quae iam omnis loci sententia? Credo dictum fuisse de obsessis in loco ad fluvium sito, qui ingruentem famem primo ita sustentare studuerint, ut per noctem, tenebris tecti, in lenunculo piscando in diem cibum quaererent, qui ipse non certus esset, set forte obferretur. Haec num praestent illis, quae alii viri docti probavere, iudicent aequi.

67 [Kr. 77. G. 33]. Genus militum suetum a pueritia latrociniis.

Arus. p. 262 s. v. *suetus his rebus*. *Multum pro militum* Gu. Quin de Hispanis in Q. Sertori exercitu dictum fuerit, vix dubium videtur.

68 [Kr. 82. G. 67]. Murum ab angulo dextri lateris ad paludem haut procul remotam duxit.

Serv. ad Verg. Aen. I 423: *'ducere muros' exaedificare h. e. construere, in longitudinem producere; proprie enim cum aedificantur muri, duci dicuntur. Sallustius historiarum* II: murum — duxit.

69 [Kr. 84. G. 75]. Eam deditionem senatus per nuntios Orestis cognitam adprobat.

Adtulit Prisc. VI p. 246 ob genetivi formam. Gn. Aufidius Orestes a. 71 (683) cum P. Cornelio Lentulo Sura cos. fuit. Vid. Fischeri tabb. p. 203. Quem cur non a. 74 post praeturam gestam provinciam aliquam obtinuisse ibique gentem quamdam in deditionem accepisse statuamus? Quae gens illa fuerit, neque dicere possum neque divinare audeo.

70 [Kr. 88. G. 42]. Haec postquam Varro in maius more rumorum audivit.

Arus. p. 243 cum lemmate *in maius audivit pro plus quam*. Cod. Gud. *in ore rumorum*, quod recte emendavit Lindemannus. — Haec inlustrari posse, tam diu desperandum, quam diu qui ille Varro fuerit, incognitum erit. Hoc autem loco fragmentum posui, quod mihi videbatur de re in bello gesta dictum fuisse. Ceterum cum M. Terentium Varronem, scriptorem illum doctissumum, in bello maritumo Gn. Pompei legatum et pro quaestore fuisse constet (vid. Drum. IV p. 408 n. 48), eundem iam in Hispania in illius exercitu stipendia fecisse non prorsus incredibile est.

71 [Kr. 91. G. 35 et 36]. Belli sane sciens.

In codice Gu. Arusiani (p. 262 ed. Lind.) haec inventa sunt: *Sciens huius rei. Salust.:* sciens horum. *Idem Histor.* II bellica nesciens. Cum alterum exemplum ab lemmate divorsum sit, et Conm. Cruq. ad Hor. Epod.

I 15 libri numero omisso ex Sallustio conmemoret *belli sane sciens*, hoc rectius apud Arusianum restitutum esse adparet quam quod Ruhnk. ad Vell. II 88 p. 365 coniecit *bellicae rei sciens*. Gerlachius autem etiam quod praecedit *sciens horum* novum fragmentum esse voluit et libro II adsignare non dubitavit, quod si ita fuisset, grammaticus aut dormitasset, aut priori libri II notam adiecisset, tum *idem in eodem* vel *ibidem* perrexisset. At num per se credibile est Sallustium usquam *sciens horum* scripsisse? Si adiunctum esset substantivum, crederem. Set cur id omisit grammaticus? Scilicet librariorum oscitantiae id deberi et adlatum fuisse locum Iug. 85, 45 *sciens locorum* acute perspexit Ruhnk. l. c.

72 [Kr. 94. G. 58]. **Argentum mutuum accersivit.**

Prisc. X p. 534 eodem loco ubi fr. I 69 conmemoravit. Cum Pompeius ep. infr. 96, 2 omnis suas privatas opes et spes se consumpsisse ipse testetur, haut inprobabiliter haec verba ad eum aere alieno sumpto inopiam pecuniae lenientem referentur. Quod si non prorsus inprobabile est, non vituperandus videbor, quod huic fr. subiunxi aliud, quod ad eandem rem spectavisse certe non omni specie veri caret.

*73 [Kr. 37. G. I 46]. **Quae pecunia ad Hispaniense bellum Metello facta erat.**

Donat. ad Ter. Phorm. I 1, 14: *'fieri pecunia' dicebatur. Sallustius:* quae — erat. Cum dictum sit, ad quid Metello pecunia decreta fuerit, inde facile conicitur, eam pecuniam in aliam rem consumptam fuisse. Quidni igitur haec res in caussis, quae Pompeium in tantas angustias deduxissent, conmemorata fuisse potest?

74 [Kr. 95. G. 32]. **Obviam fuere.**

Charis. II p. 209: *Obviam pro obvius Sallustius H*[illegible]*iarum* II: *ubi Asper ait 'vetuste* obviam fuere, *adverbio maluit uti quam nomine'*. De incolis oppidi advenienti duci obviam venientibus dictum videtur fuisse.

75 [Kr. 100. G. 65]. **Moenibus deturbat.**

Non. p. 70 s. v. *deturbare, deicere, demovere.*

76 [Kr. 98. G. 61]. **Vespera.**

Testatur ita dixisse Sallustium Charis. II p. 223, set ipsa illius verba periere. Quamvis multas res hoc libro enarratas vespertino tempore gestas esse consentaneum sit, tamen cum aliunde constet pugnam ad fluvium Sucronem sub vesperam demum inceptam esse (vid. Drum. IV p. 367), certe aliquid habemus, quo illud vocabulum referre possimus.

77 [Kr. 102. G. 51]. **Diei medio.**

Arus. p. 247 cum lemmate *medio illius pro illo medio*. Libri numerus in cod. Gu. inventus est, omissus in cod. Maii. Ad pugnae alicuius vel exordium vel finem spectavisse verba certe non prorsus dissimile veri.

78 [Kr. 101. G. 64]. **Audaciter.**

Prisc. XV p. 1014 P. p. 76 H. Ap. Putschium *Historiarum* I legitur, Hertz. II edidit. Id et de re bellica et de civili actione dictum fuisse posse patet.

79 [Kr. 76. G. 80]. Inmane quantum animi exarsere.

Non. p. 87 s. v. *insanum pro insane, ut immane pro immaniter* — subiectis hisce: *nomen positum pro adverbio.* Duas res hoc libro narratas fuisse cognovimus, in quibus animi vehementer adcensi sunt, fr. 40 et fr. 12.

80 [Kr. 78. G. 34]. Genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agrorum cultibus.

Arus. eodem loco eodemque sub lemmate atque fr. 67. Verba fuisse in descriptione terrae cuiusdam, veri simile iudicabis conlato loco Iug. 17, 6. Secundum ea, quae de Pisidarum gente memoriae prodita sunt, verba illa ei convenire non negaveris.

81 [Kr. 79. G. 40]. Genus armis ferox et serviti insolitum.

Arus. p. 241: *insolitus huius rei. Salust. Hist.* II cod. Gu. *Idem Hist.* I 4 A. M. De Hispanorum gente dicta fuisse haut inprobabile.

82 [Kr. 80. G. 31]. Nam procul et divorsis ex regionibus.

Charis. II p. 215: *Procul Sallustius historiarum* II: nam — regionibus, *ubi Asper 'ergo procul e loco* [*e longinquo* coni. Kritz.] *est'*.

83 [Kr. 81. G. 97]. Dubium an in insula sit, quod Euri atque Africi superiactis fluctibus circumlavitur.

Non. p. 344, quo *lavit* pro *lavat* dictum esse demonstretur. Libri exhibent *in ansula sit,* unde mihi rectius videbatur effici posse *an in insula sit*, quam quod plerique recepere *an insula* sit. Pro *Africi* libri *astrici,* A.J *austri;* pro *circumlavitur: circumlabitur, circumlabit* L., *circumlavit* edd., quae iamdudum recte sunt emendata. Quem locum Sallustius descripserit, quamquam in tanta obscuritate errare atque labi pronum est, tamen num qui inveniri possit, in quem verba illa quadrent, pro virili parte periculum faciundum est. Cum igitur omnes regiones et loca, quae hoc libro conmemorata esse veri simile est, circumspicerem, inveni fortasse de Carthagine Nova dictum fuisse. Ea enim urbs sita erat in paeninsula, ab ortu et meridie cincta mari; continenti iugum ducentos fere et quinquaginta passus patens coniungebat (Liv. XXVI 42. *ὥστε τὸν λοιπὸν τόπον μέχρι τῆς ἐπὶ θάτερα θαλάσσης, ὃς καὶ συνάπτει τὴν πόλιν πρὸς τὴν ἤπειρον, μὴ πλέον ὑπάρχειν ἢ δυοῖν σταδίων* Polyb. X 10 p. 652 ed. Bekk.): quippe ab occidente stagnum erat, paululum et ad septentrionem fusum, incertae altitudinis utcumque exaestuat aut deficit mare. Iam de ea palude Polyb. l. c. scripsit: *συμβαίνει δὲ τὴν λίμνην τῇ παρακειμένῃ θαλάττῃ σύρρουν γεγονέναι χειροποιήτως χάριν τῶν θαλαττουργῶν. κατὰ δὲ τὴν τοῦ διείργοντος αὐτὰς χείλους διακοπὴν γέφυρα κατεσκεύασται πρὸς τὸ καὶ τὰ ὑποζύγια καὶ τὰς ἁμάξας ταύτῃ ποιεῖσθαι τὴν παρακομιδὴν τῶν ἐκ τῆς χώρας ἀναγκαίων.* Cum autem stagnum ab meridie cum mari (vel potius sinu maris) coniunctum fuisse ex Livi verbis *incertae — mare* adpareat, quod arte perfossum fuisse Polyb. narravit, illud iugum fuisse consentaneum est. Iam Sallusti aetate fossa illa videtur conlapsa fuisse, set ventis ab meridie flantibus — et Eurus et Africus ab meridie flant, set ille ab Oriente, hic ab Occidente, et soli meridionali vento expositum fuisse sinum, in quo Carthago Nova sita erat, Polybius et Livius contestantur —, fluctus super iugum iacti ut in insula urbs condita videretur effecisse.

84 [Kr. 90. G. 63]. Et Poeni ferunt adversus * ancm.

Adtulit haec ex secundo libro Sallusti Donat. ad Ter. Phorm. I 3, 19, quo *et* non modo connexivam, set inceptivam coniunctionem esse

probaret. Quae verba umquam expeditum iri, nisi nova subsidia reperiantur, prorsus desperandum est. Set tamen quae occasio scriptori fuit de Poenis libro secundo dicundi? Quem ad modum inde, quod Poenos conditores Novae Carthaginis libro II conmemoratos fuisse testatum est, quam de fr. 83 sententiam dixi, aliquid munimenti accipit, sic rursus, si illa veri similis iudicabitur, locus, ubi Poenorum mentio facta fuerit, non desiderabitur.

85 [Kr. 83. G. 50]. Omnis, qui circum sunt, praeminent altitudine milium passuum duorum.

Arus. p. 256 ad locutionem ostendundam: *praeminet illam rem illa re.* — *Altitudinem* quod cod. Maii exhibet, recte auctoritate cod. Gu. mutatum est. Set quia mirum esset, si in exemplo ab grammatico adlato accusativus desideraretur, *omnes* pro eo habendum esse adparet. Qui montes dicerentur, multa perquirens non inveni. Set veri similius videtur in Tauri montibus tales esse quam in Hispania (cfr. regionem descriptam ab Kochio Zug der Zehntausend p. 26 sq.).

86 [Kr. 85. G. 20]. Modestus ad omnia alia nisi ad dominationem.

Hunc locum conmemoravit ex libro II Don. ad Ter. Phorm. I 3, 18, quo *modestus* idem esse ac *moderatus* ostenderet; ubi cum scriptum sit *nisi dominationem,* recte *ad* iam ab aliis vv. dd. repetitum est. Negavit autem Kritzius, haec de Pompeio dici potuisse, quippe quem Sallustius adrogantem, oris inprobi, animi inverecundi adpellavisset. Set de cuius alius viri, secundo libro conmemorati, dominandi studio loqui potuit, nisi de Gn. Pompei? Et recte potuit ea dicere, si quidem illum ab luxuria atque avaritia abhorruisse aliorum testimoniis satis constat (Drum. IV p. 541), modestus autem hoc loco de lubidinum moderatione dictum fuisse Donatus testatur, et omnia quae Sall. in eo reprehendit vitia ab dominandi cupiditate profecta videntur esse.

87 [Kr. 86. G. 25]. Vir gravis et nulla arte cuiquam inferior.

Arus. p. 242 cum lemmate *inferior tibi.* De Sertorio ea verba fuisse dicta veri dissimile est, quoniam de eius ingenio primo libro expositum fuisse constat.

88 [Kr. inc. 83. G. II 24]. Et continetur gravius.

Cum Nonius p. 215 s. v. *grave molestum* ex lib. II haec verba adferat, Kritzius iniuria se ad incerta fragmenta relegavisse ipse intellexit: nam in editione novissuma lib. II adsignavit. Set ut apud Nonium scripta sunt, prorsus inepta esse nemo negavit. Recte Merc. coniecit *gravius.* Videntur dicta fuisse de genere militum, latrociniis sueto, quod se contineri molestius tulisset.

89 [Kr. 87. G. 62]. Ita fiducia quam argumentis purgatiores dimittuntur.

Non. p. 212: *Fiducia est audacia. Sallustius lib.* II: ita — dimittuntur [*dimittunt* A]. Serv. ad Verg. Aen. II 61: *Sane veteres 'fiduciam' interdum pro crimine et audacia ponebant ut Sallustius:* ita — dimittuntur [Sic e cod. F. emendata sunt conrupta: *ut psallita fiducia quam argenteis purgatores dicuntur*]. Donat. ad Ter. Phorm. I 4, 28: *Nam si senserit te timidum pater esse, arbitrabitur conmeruisse culpam] Sic Sallustius in Historia:* ita — dimittuntur. Id. ad Hec. IV 1, 13: *Solutio criminis per fiduciam*

respondentis. Sallustius: ita fiducia quam argumentis purgatior es. Qui cuiusque rei insimulati fuerint, nemo dixerit.

90 [Kr. 89. G. 81]. Cum multa dissereret ludis Apollini circensibus.

Arus. p. 245 cum lemmate *ludi Deo sunt.* Rectene dubitem, annon grammaticus deceptus falsa scriptura, *Apollini* pro *Apollinis,* illa scripserit, iudicent me doctiores. Quamquam obscuritatis tenebras in tam paucis reliquiis diffundere velle arduum est, tamen illud certum videtur, rem insolitam fuisse ut in ludis aliquis ad populum diceret, neque id factum esse, nisi cum populus graviore aliqua re inritatus et adcensus esset, ut ab M. Tullio Cicerone cos. ludis Megalensibus (Drum. V p. 435). Qua re haut absurda suspicio videtur, ad eandem rem pertinuisse hoc fragmentum, atque 40 et 41. De ludis Apollinaribus vid. Preller R. Mythol. p. 269 sq.

91 [Kr. 92. G. 84]. Frugum pabulique laetus ager.

Arus. p. 244 cum lemmate *laetus huius rei.* Serv. ad Verg. A. I 441: *laetissumus umbra, aut septimus [casus] est, aut secundum Probum genetivus, ut sit laetissimus umbrae, sicut Sallustius:* frugum — ager. Apud eundem ad XI 338 scribitur *fructuum.* Utrum haec verba in descriptione singularis cuiusdam regionis, an amplioris terrae fuerint, discerni non potest.

92 [Kr. 93. G. 38]. Ipse animi atrox.

Arus. p. 215 s. v. *atrox huius rei.*

93 [Kr. 96. G. 43]. Post ubi fiducia nimius.

Arus. p. 249 s. v. *nimius hac re.* Verba certe ducibus illis, qui ad Chalcedonem ab Mithridate victi sunt, conveniunt. *In,* quod ante *fiducia* positum erat, recte codicum auctoritate Lindemannus delevit.

94 [Kr. 97. G. 26]. Orbe terrarum extorres.

Arus. p. 229: *extorris his.* Lib. Gu. numerum libri omisit, set et is et Ambrosianus scripturam tuentur, pro qua olim edebatur *urbe patriaque extorres.* Inter piratas multos fuisse quibus in Romanorum inperio (is enim est *orbis terrarum*) amplius habitare non licebat, satis constat.

95 [Kr. 98. G. 61]. Copiis integra.

Arus. p. 236: *integer illa re.* De regione cuius opes nondum exhaustae essent, fortasse de Gallia Narbonensi, dictum fuisse (Momms. III p. 27. Drum. IV p. 370) veri simile.

96 [Kr. III 1. G. p. 150].

Epistula Gn. Pompei ad senatum.

De hac epistula a. 74 L. Licinio Lucullo M. Aurelio Cotta coss. in senatu actum esse constat (Plut. Pomp. 20. Lucull. 5. Appian. b. c. I 111 p. 527 Bekk.). Iam a. 75 L. Octavio G. Aurelio Cotta coss. Romam adlatam esse ex or. G. Cottae fr. II 41, 6 parum certe concluditur, cum aperte illud dicere potuerit etiamsi nondum litterae ab inperatoribus missae adessent. Qua re adducti multi eam epistulam libro III, quo res a. 74 gestas enarratas fuisse certum est, adsignaverunt, quae sententia nonnihil munimenti eo accipit, quod veri simile est, scriptorem, ut ars ac ratio videntur postulare, quae ad praeparationem belli

a. 74 gerundi pertinuissent, eodem loco, quo id ipsum narraret, scripturum fuisse. At nimium contendere videntur, qui epistulam ante a. 74 missam negavere (Nieb. Cic. pr. Font. — fr. p. 44), quoniam Pompeium, qua erat prudentia, quam maturrume quae ad continuandum bellum opus essent, paravisse credibile est. Cum iam negari nequeat, hanc epistulam a. 75 scriptam fuisse, certum testimonium habemus Diomedis art. gramm. lib. I p. 366 locum eius ex libro secundo referentis. Codices scilicet *secundo* [A. B. *Sallustius secundae aut* M] tuentur, interpolatae tantum editiones (G apud Keilium) *libro tertio* exhibent. Quod testimonium ita dilui posse ut grammaticus memoria lapsus in numero libri errasse dicatur, eo minus probari potest, quod fr. ex libro II relata 29, 51, 72 ad inopiam, qua inperatores Romani a. 75 exeunte obpressi fuere, spectent. Ergo cum nullum testimonium extet, quo eam epistulam libro III inditam fuisse confirmetur, — nam quod in cod. 𝔙 post Macri orationem perscripta est, id factum quia librarius orationes ab epistulis separare voluit — adeo ut scriptorem minus artificiose et perite in rebus scribundis versatum esse concedere debeamus, libro II adiungenda est.

Si advorsus vos patriamque et deos penatis tot labores et 1
pericula suscepissem, quotiens a prima adulescentia ductu meo
scelestissumi hostes fusi et vobis salus quaesita est, nihil amplius
in absentem me statuissetis quam adhuc agitis, patres conscripti:
quem contra aetatem proiectum ad bellum saevissumum cum exercitu
optume merito, quantum est in vobis, fame, miserruma
omnium morte, confecistis. Hac in spe populus Romanus liberos 2
suos ad bellum misit? haec sunt praemia pro volneribus et totiens
ob rem publicam fuso sanguine? Fessus scribundo mittundoque
legatos omnis opes et spes privatas meas consumpsi, cum interim
a vobis per triennium vix annuus sumptus datus est. Per deos 3
inmortalis, utrum censetis me vicem aerari praestare, an exercitum
sine frumento et stipendio habere posse? Equidem fateor me 4
ad hoc bellum maiore studio quam consilio profectum: quippe qui
nomine modo inperi a vobis accepto diebus quadraginta exercitum
paravi, hostisque in cervicibus iam Italiae agentis ab Alpibus in
Hispaniam submovi. Per eas iter aliud atque Hannibal nobis
oportunius, patefeci. Recepi Galliam Pyrenaeum, Lacetaniam Indi- 5

Test. scr. Diomed. I p. 366: *praesto, praestiti. apud antiquos hoc verbum pro 'melius est' ponebatur aut pro 'antecedit' aut 'superat'. nam in dandi significatione 'praebeo' potius dicebant, nisi quod Sallustius secundo ait:* utrum vicem me aerarii praestare creditis.

Var. scr. 1. penatis 𝔙. — 2. quotiens 𝔙. adulescentia 𝔙. — 7. Hac inspe 𝔙. haccine spe *vel* hac sine spe *Urs.* — 8. volneribus 𝔙. totiens 𝔙. — 10. omnis 𝔙. — 12. inmortalis 𝔙. aerari 𝔙. — 16. hostisque 𝔙. — 17. aliut 𝔙. Annibal 𝔙. — 18. Lacetaniam 𝔙. Lucettaniam *Vat.* 2. Laletaniam *Carrio et Cort.* Indigetis 𝔙. Illergetum *vel* Ilergetes *edd.* *De Lacetanis* (*Plin. H. N.* III 3) *haec Strabo* III *p.* 219 Mein.: *συνοικεῖται δὲ ὑπὸ πλειόνων ἐθνῶν ἡ χώρα, γνωριμωτάτου δὲ τοῦ τῶν Ἰακκητανῶν λεγομένου· τοῦτο δ' ἀρξάμενον ἀπὸ τῆς παρωρείας*

getis, et primum inpetum Sertori victoris novis militibus et multo
paucioribus substinui hiememque castris inter saevissumos hostis,
6 non per oppida neque ex ambitione mea egi. Quid deinde proelia
aut expeditiones hibernas, oppida excisa aut recepta enumerem?
quando res plus valet quam verba. Castra hostium apud Sucro-
nem capta et proelium apud flumen Turiam et dux hostium G. He-
rennius cum urbe Valentia et exercitu deleti satis clara vobis sunt:
pro quis, o grati patres, egestatem et famem redditis. Itaque meo
7 et hostium exercitui par condicio est: namque stipendium neutri
8 datur: victor uterque in Italiam venire potest. Quod ego vos mo-
neo quaesoque ut animadvortatis, neu cogatis necessitatibus priva-
9 tim mihi consulere. Hispaniam citeriorem, qua non ab hostibus
tenetur, nos aut Sertorius ad internecionem vastavimus praeter
maritumas civitates, ultro nobis sumptui onerique. Gallia superiore
anno Metelli exercitum stipendio frumentoque aluit et nunc malis
fructibus ipsa vix agitat. Ego non rem familiarem modo, verum
10 etiam fidem consumpsi. Relicui vos estis: qui nisi subvenitis, in-
vito et praedicente me exercitus hinc et cum eo omne bellum
Hispaniae in Italiam transgredientur.

τῆς κατὰ τὴν Πυρήνην εἰς τὰ πεδία πλατύνεται καὶ συνάπτει τοῖς περὶ Ἰλέρδαν καὶ Ὄσκαν χωρίοις, τοῖς τῶν Ἰλεργετῶν οὐ πολὺ ἄπωθεν τοῦ Ἴβηρος. Cfr. Mannert. I p. 403. *Laletani ad littus maritumum circa Barcinonem habitabant* (*Mannert. l. c. p.* 421). *Eos Strabo* III *p.* 212 *Mein.: ἐντὸς δὲ τοῦ Ἴβηρος μέχρι Πυρήνης καὶ τῶν Πομπηίου ἀναθημάτων χιλίους καὶ ἑξακοσίους· οἰκεῖν δὲ Ἐδητανῶν τε ὀλίγους καὶ λοιπὸν τοὺς προσαγορευομένους Ἰνδικήτας μεμερισμένους τέτραχα, gentem nationis Indigetium fuisse testatur. Iam utrum credibilius est ab Pompeio rebus gestis gloriante Lacetanos, populum nobilissumum, an Laletanos, Indigetium gentem, nominatos esse?* — 1. novis militibus 𝔙. novis quidem militibus *edd.* — 2. substinui 𝔙. hiememque castris 𝔙. hiememque in castr. *Cort.* hostis 𝔙. — 3. deinde 𝔙. dein *Kr.* — 4. Durium 𝔙, *quod iamdudum emendatum.* — 12. quae *libri;* qua *cj. mea.* — 14. maritumas 𝔙. civitates ultro 𝔙. civitates quae ultro *Ald.* onorique 𝔙. — 15. et nunc 𝔙. at nunc *Ciacc.* — 18. *Nonne* at praedicente me?

Lib. III.

1 [Kr. 90. G. 5]. Namque his praeter solita vitiosis agri tractibus, cum per omnem provinciam infecunditate bienni proxumi grave precium fructibus esset.

Non. p. 215: *Grave multum, valde significare veteres probant.* Cum in Gallia Narbonensi frumenti inopiam ac malas messis fuisse constet ex II 96, 9. Plut. Pomp. 20. Sert. 21, ergo quin ea provincia intellegunda

sit, dubitari vix possit, quod audacius videtur numerum libri ap. Non. vitiosum iudicare, certe ibi hoc fragm. dictum fuisse adparet, ubi de novo Gn. Pompei ad bellum Sertorianum adparatu actum est. At libri apud Nonium *vitiosis magistratibus* exhibent, quod Kritzius sic defendere studuit, ut per magistratuum Galliae praesidentium vitia caritatem annonae auctam esse diceret. Set quamquam h. l. de vitio creatis magistratibus nemo cogitare poterat, tamen Sallustio merito obprobrium fieret, quod sollemni formula abusus esset. Et cur noluit ipsa vitia magistratuum dicere, sive avaritiam, sive luxuriam, sive neglegentiam? Veri similius igitur videtur verbis illis de locorum aut anni natura dictum esse. Iam quod Havercampius coniecit *vitiosis magis aestatibus*, illi non minus, quam ei, quod Mähly N. A. LXXVII p. 80 scribendum suspicatus est *vitiosis magis tractibus*, obponendum est haut facile perspici cur Sallustius *vitiosis magis*, quam *vitiosioribus* dicere maluerit. Quod Gerl. olim coniecerat: *vitiosis mala tractibus*, praeter insolentiorem verborum ordinem ab librorum scriptura longius discedit. Quod ipse conieci *agri tractibus* tantum abest ut verum iudicem, ut ne periculum ignavia fugisse viderer proposuerim.

2 [Kr. 2. G. 13]. Caveret inperator a perfuga Celtibero.

Arus. p. 243 s. v. *kave ab illis*. In cod. scriptum est: *kavete imperatore per Kaga Celtibero*. In *per kaga* latere *perfuga* recte perspexit Lindem., set omnem eius emendationem *cavete ab imperatore perfuga Celtibero* cupidius mihi quidem Kritzius videtur adripuisse. Interpretatus est de rumoribus calumniatoriis in Sertorium sparsis, de quibus iam libro secundo dixisse Sallustium ostendit fr. 30. Neque ego quidem percipio quo modo Sertorius, Romanus scilicet, Celtiberus, et quod corporis custodiam Celtiberis permisisset, ideo ipse *perfuga Celtiberus* dici potuerit. Nam *Celtiberum perfugam* dici non qui cum Celtiberus natione sit, ad aliam transfugerit, set qui ad Celtiberos confugerit nego. At neminem imperatorem invenias, qui recte *perfuga Celtiberus* adpellari potuerit. Praepositionem *a* excidisse certissumum est, at quid inpedit, quo minus ante perfuga eam fuisse statuamus? Quod si ita locum conriginius, ut inperatori a perfuga Celtibero cavendum esse exprimatur, facile locum nobis fingere possumus, ubi illa verba scripta fuerint, videlicet in litteris, quae ab hoste aut ab amico ad Pompeium missae erant.

*3 [Kr. 4. G. 20]. Hunc igitur redarguit Tarquitius.

Donat. ad Ter. Ad. III 2, 14: *Iram hanc] 'Hanc' interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro utroque ut 'tuaque animam hanc effundere dextra?' et 'hunc ego te, Euryale, aspicio'? Set nunc pro utroque 'hanc' dixit, ut Sallustius de scriptione Celtiberi ait:* hunc igitur redarguit Tarquinus. Cum Celtiberi nomen ostendat illo Sall. loco sermonem de rebus in Hispania gestis fuisse, non minus acute quam vere Carrio *Tarquitius* restituendum censuit (vid. fr. 4). Quamquam illud incertum est, utrum locus II an III libri fuerit. Set cum ex Donati verbis adpareat, hoc dictum fuisse: ab Tarquitio quae Celtiberus quidem scripsisset, quippe ab tali homine scripta, reiecta esse, aliquam veri speciem prae se fert haec suspicio, rem factam esse ante caedem Sertorio paratam. Diffisum esse Sertorium Romanis nec nisi diu cunctatum tandem ad coenam in Perpennae domum venisse constat (Drum. IV p. 374). Num igitur veri dissimile est, Sertorium ab Celtibero litteras accepisse, quibus ne ad coenam iret deterreretur, Tarquitium autem, quippe qui in coniuratis esset, quamvis ceteros non novisset, eas suspiciones redarguisse?

4 [Kr. 3. G. 17]. Igitur discubuere, Sertorius inferior in medio, super eum L. Fabius Hispaniensis senator ex proscriptis: in

summo Antonius et infra scriba Sertori Versius: et alter scriba Maecenas in imo medius inter Tarquitium et dominum Perpennam.

Haec de coena dicta fuisse, inter quam Sertorius a. 72 Oscae a Perpenna eiusque sociis occisus est, certissumum est. Cfr. Drum. IV p. 374. Momms. III p. 31. Adtulit autem ea Serv. ad Aen. I 698 ut doceret in triclinio medium locum, quia domini apud maiores fuisset, honestissumum habitum. Pro *igitur* Guelf. II *ideo*, tum praenomen Fabii *Titius* L, *Tucius* R Guelf. II, postremo *inter arquinium et domum Perpennae* L R. Vos. Guelf. II. Guelf. I omnem locum omisit. Ultuma verba conmemoravit etiam Non. p. 193, quo dominum esse cui serviretur ostenderet. Ibi libri: *alteri scribam et cenas*. Omnis locus iamdudum secundum aliorum scriptorum testimonia emendatus est.

*5 [Kr. 5. G. 19]. Et Perpennam forte cognoscit mulio redemptoris.

Propter *redemptoris* vocabulum adlata sunt haec verba ab Schol. ad Hor. Epist. II 2, 72. Secundum ea quae App. b. c. I 115 p. 530 Bekk. de Perpennae adprehensione memoriae prodidit, dubitari nequit, quin ad eam rem spectaverint eamque ab caussam libro III adsignanda sint.

6 [Kr. 7. G. 83]. Parte consumpta relicua cadaverum ad diuturnitatis usum sallerent.

Prisc. X p. 546: *(Sisenna) a 'sallio' 'salliendorum' dixit, non 'sallendorum'. Sallustius vero in* III *historiarum:* parte — sallerent '*sallerent*' *dixit a 'sallo', non a 'sallio'*. Diomed. p. 375: *sed veteres ambiguitatem appellationis vitantes et analogiam sequentes 'sallitus sum' dixerunt a positione 'sallo' non 'sallio', ut Sallustius historiarum quarto ait* relicua cadavera ad diuturnitatem usus sallere. — Rem inlustrat excerptor Val. Max. VII 6, 3: *Horum trucem pertinaciam in consimili facinore Calagurritanorum exsecrabilis impietas supergressa est. Qui quo perseverantius interempti Sertorii cineribus obsidionem frustrantes fidem praestarent, quia nullum iam aliud in urbe eorum supererat animal, uxores suas natosque ad usum nefariae dapis verterunt, quoque diutius armata iuventus viscera sua visceribus suis alerent, infelices cadaverum reliquias sallire non dubitavit*, unde simul verba in Prisciani libris rectius quam in Diomedis tradita esse adparet.

7 [Kr. 6. G. 11]. Set Pompeius a prima adulescentia sermone fautorum similem fore se credens Alexandro regi facta consultaque eius quidem aemulator erat.

Quoniam orationem G. Licini Macri a. 73 habitam esse constat, set quae sequente anno promulgatae sunt leges, eas Sallustius libro IIII conmemoravit (vid. IV 35), contra res ab coss. a. 72 L. Gellio et Gn. Cornelio Lentulo advorsus Spartacum gestas lib. III narratas fuisse adparet ex fr. 70, veri simile non videtur post belli servilis principia et incrementa demum de rebus domesticis Romanorum dictum fuisse, set post res domi a. 73 gestas enarratum esse bellum Spartacicum a. 73 et 72, et libro IV scriptorem res urbanas a. 72 repetiisse. Qui ordo vel eo conmendatur, quod inter bellum Spartacicum civiles discordias obticuisse consentaneum est.

61 [Kr. 82. G. p. 152].

Oratio Macri trib. pleb. ad pleb.

1 Si, Quirites, parum existumaretis, quid inter ius a maioribus relictum vobis et hoc a Sulla paratum servitium interesset, multis mihi disserundum fuit, docendique quas ob iniurias et quotiens a patribus armata plebes secessisset utique vindices paravisset omnis
2 iuris sui tribunos plebei: nunc hortari modo relicum est et ire
3 primum via, qua capessundam arbitror libertatem. Neque me praeterit, quantas opes nobilitatis solus inpotens, inani specie magistratus, pellere dominatione incipiam, quantoque tutius factio noxiorum agat quam soli innocentes.
4 Set praeter spem bonam ex vobis, quae metum vicit, statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro quam omnino

Test. scr. 1. Donat. ad Ter. Phorm. I 1, 11: *Haud existimans; pro aestimans. Sallustius:* Si, Quirites parum existimaretis.

Var. scr. 1. quid *libri.* quod *Cort.* — 3. docendique 𝔙. docendumque *vel. Non dubito, quin* docendique *verum sit, at mitigari credo duritiam, si post illud adiciatur* vos, *ut sententia haec sit: 'ego multa verba facere deberem, vos discere deberetis'.* — 5. TR. PL. 𝔙. relicuum 𝔙. — 8. facti onoxiorum 𝔙. — 10. set 𝔙. — 11. potiore 𝔙.

non certavisse. Quamquam omnes alii creati pro iure vostro vim 5
cunctam et inperia sua gratia aut spe aut praemiis ***** in vos
convortere meliusque habent mercede delinquere quam gratis recte
facere. Itaque omnes concessere iam in paucorum dominationem, 6
qui per militare nomen aerarium exercitus, regna provincias occupavere et arcem habent ex spoliis vostris: cum interim more
pecorum vos multitudo singulis habendos fruendosque praebetis,
exuti omnibus quae maiores reliquere: nisi quia vobismet ipsi per
suffragia, ut praesides olim, nunc dominos destinatis. Itaque con- 7
cessere illuc omnes: at mox, si vostra receperitis, ad vos plerique.
Raris enim animus est ad ea, quae iacent, defendunda: ceteri validiorum sunt. An dubium habetis, num obficere quid vobis uno animo 8
pergentibus possit, quos languidos socordisque pertimuere? Nisi
forte G. Cotta, ex factione media consul, aliter quam metu iura
quaedam tribunis plebei restituit. Scilicet quamquam L. Sicinius
primus de potestate tribunicia loqui ausus mussantibus vobis circumventus erat, tamen prius illi invidiam metuere quam vos iniuriae pertaesum est. Quod ego nequeo satis mirari, Quirites: nam
spem frustra fuisse intellexistis. Sulla mortuo, qui scelestum in- 9
posuerat servitium, finem mali credebatis: ortus est longe saevior
Catulus. Tumultus intercessit Bruto et Mamerco consulibus: dein 10
G. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus 11

18. *Arus.* p. 253: *pertaesum est huius.* — *Et Salust. Histor.* III: quam vos iniuriae pertaesum est.

---

2. Quamquam credo fore, qui ablativos preci esse defendant, tamen et res et usus dicundi ut aliquid excidisse statuamus (veluti *depravati* cfr. J 15, 2) postulant. — 6. expoliis 𝔙. — 8. vobis metipsis 𝔙. ipsis *etiam cet. libri.* ipsi *Cort. recte; nam eo tamen plebem a pecoribus differre dicit orator, quod ipsi sibi eos deligant, quibus se habendos fruendosque praebeant.* — 9. ut 𝔙. uti *Cort.* — 10. illuc *libri.* illic *Cort*: et *libri.* at *sententiae rationem et perspicuitatem postulare Kritzius monuit.* — 11. placent *libri.* iacent *Mähly N. Ann.* LXXVII *p.* 80. ceteri *libri.* cetera *Cort.* — 12. num *libri.* ne *Cort.* — 14. factio nemedia 𝔙. — 15. TR. PL. 𝔙. restituit; et quamquam *libri.* *At cum praegresso membro ostensum sit pertimuisse optumates, in hoc maxumam vim esse extremorum verborum* quam vos iniuriae pertaesum est, *ex eo quod sequitur* quod ego cet. *adpareat, haec per simplex* et *adiungi non posse perspicuum est, particulam potius ponendam fuisse quae et adfirmationem et acerbitatem quandam contineret. Quam ob caussam* scilicet *restitui.* — 17. mittuere 𝔙. — 19. '*V.* intellexistis *in contextu omissum margini adscriptum est in Vatic. pr.' Orell.* — 20. servitum 𝔙. — 21. Bruto et Mamerco cos. 𝔙. Bruto et Aemilio Mamerco coss. *Cort. Consuetudo Latinorum utique postulat* D. Bruto Mam. Aemilio. — 22. *Miror quod Kritzius tribunum illum insontem Q. Opimium fuisse contendit, qui quod tribunus plebei intercessisset contra legem Corneliam, a. 74 apud G. Verrem praetorem reus factus est* (*Cic. in Verr.* I 60, 155).

superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis: quantae
denique nunc mihi turbae concitantur! Quae profecto in cassum
agebantur, si prius quam vos serviundi finem, illi dominationis
facturi erant: praesertim cum his civilibus armis dicta alia, set
12 certatum utrimque de dominatione in vos sit. Itaque cetera ex
licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere: permansit una res
modo, quae utrimque quaesita est et erepta in posterum, vis tri-
13 bunicia, telum a maioribus libertati paratum. Quod ego vos mo-
neo quaesoque ut animum advortatis, neu nomina rerum ad igna-
viam mutantes otium pro servitio adpelletis. Quo iam ipso frui,
si vera et honesta flagitium superaverit, non est conditio: fuisset,
si omnino quiessetis. Nunc animum advortere et nisi viceritis,
quoniam omnis iniuria gravitate tutior est, artius habebunt.

14 Quid censes igitur? aliquis vostrum subiecerit. Primum omnium
amittundum morem hunc quem agitis, inpigrae linguae, animi
15 ignavi, non ultra contionis locum memores libertatis. Deinde —
ne vos ad virilia illa vocem, quod tribunos plebei modo, *tum*
patricium magistratum, libera ab auctoribus patribus suffragia
maiores vostri paravere — cum vis omnis, Quirites, in vobis sit

5. Arus. p. 241: *in tempus*, *i. e. processu temporis. Salust. Histor.* III: Itaque caetera ex licentia aut odio aut avaritia in tempus arsere.
15. Arus. p. 212: *ago illam rem. Sal. Hist.* III: amittendum morem hunc quem agitis.

60, 155). *Cum per se consentaneum sit, quae G. Curio a. 76. cos. fecerit, commemorari, quamquam qua ratione L. Sicinius obpressus sit non constat, tamen de alio quam de eo cogitari non quit.* — 1. Quintium 𝔅. Quinctium *Cort.* — 3. agebantur *libri.* agerenter *edd.* — 5. in vobis *libri. Conrexi, cum quo modo hic locus ab* I 41, 2 *differret non intellegerem.* — 9. anim advertatis 𝔅. — 12. si omnino non quiessetis *coni. Mähly l. c. p.* 80. *Adparet hoc dici: otioso servitio frui vobis non licebit, si nobilitas potentiam suam ac dominationem confirmaverit; licuisset, si omnino quiessetis nec quam indigne ferretis ostendissetis. Quoniam id ostendistis, adtenti sunt, et nisi iugum exueritis gravius vos obpriment, ne umquam rebellare possitis.* animum advortere 𝔅. — 13. gravitate *libri.* probitate *Orelli ed.* I. — 15. omittendum *libri.* amittendum *Arus. uterque cod.* inpigrae 𝔅. — 16. contionis 𝔅. — 17. quo tribunos plebei modo patricium *libri. Quae quo modo ferri possint non video. Nam si* quo modo *coniungas, ordo verborum obfensioni est; sin* quo *per inauditam insolentiam ad* virilia illa *relatum esse concedas,* modo *cum ad* tribunos plebei *adiungitur ineptum est, ubi cum* patricium *coniungitur, durum et obscurum.* Virilia illa *cum ut adiungatur membrum explicativum postulent,* quod *restituendum est, et cum* modo *saepissume usurpetur, ubi quae celeriter se exceperint dicuntur, post id particula temporalis velut* tum *videtur excidisse.* — 18. auctoribus patriciis *libri. Set nonne Macer, si recte rem significare vellet, sollemni ac consueta formula uti debebat? Recte igitur Ciacconius* patribus. — 19. qūm vis 𝔅. quamvis *rel. libri et edd.* cumvis *Latinius.*

et, quae iussi nunc pro aliis toleratis, pro vobis agere aut non
agere certe possitis, Iovem aut alium quem deum consultorem ex-
pectatis? Magna illa consulum inperia et patrum decreta vos exe- 16
quendo rata efficitis, Quirites, ultroque licentiam in vos auctum
atque adiutum properatis. Neque ego vos ultum iniurias hortor, 17
magis uti requiem capiatis: neque discordias, ut illi criminantur,
set earum finem volens iure gentium res repeto et, si pertinaciter
retinebunt, non arma neque secessionem, tantum modo ne amplius
sanguinem vostrum praebeatis censebo. Gerant habeantque suo 18
modo inperia, quaerant triumphos, Mithridatem, Sertorium et re-
liquias exulum persequantur cum imaginibus suis: absit periculum
et labos quibus nulla pars fructus est. Nisi forte repentina ista 19
frumentaria lege munia vostra pensantur: qua tamen quinis modiis
libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt
alimentis carceris. Namque, ut illis exiguitate mors prohibetur
senescunt vires, sic neque absolvit cura familiari tam parva res
et ignavi cuiusque tenuissumas spes frustratur: qua tamen quam- 20
vis ampla, quoniam serviti pretium ostentaretur, cuius torpedinis
erat decipi et vostrarum rerum ultro iniuriae gratiam debere? Ca-
vendus dolus est. Namque alio modo neque valent in univorsos, 21
neque conabuntur. Itaque simul conparant delenimenta et diffe-

5. Arus. p. 234: *Hortor illos factum, h. e. factum ire. Salust. Hist.* III: neque vos ultum iniurias hortor.

20. Arus. p. 243: *kave illam rem. – Salust. Hist.* III: kavendus dolus est.

---

1. iussa *libri. Quoniam* iussa tolerare *quo modo dici posset, non perspexi*, iussi *conrexi*. — 3. exsequendo 𝔅. — 6. capiatis 𝔅. cupiatis *nonn. edd.* — 9. censebo 𝔅. censeo *Cort.* — 10. triumfos 𝔅. — 12. labos 𝔅. — 13. Frumentaria lex est Terentia Cassia a. 74 perlata. Cic. in Verr. III 70, 163. V 21, 52. Momms. H. R. III p. 85. quin is modis 𝔅. — 16. absolvi 𝔅. — 17. ignam quiusque tenuissimas per frustratur 𝔅. ignavos quisque tenuissima spe frustrantur *Cort. auctore Puteano.* ignaviam cuiusque tenuissima spe frustratur *Or.* 1840. *Cum* neque absolvit cura familiari *aperte respondeat illi* senescunt vires, *alteri vero* mors prohibetur *nihil recte obponi possit nisi talis sententia:* et tamen spem quandam alit, *ea autem melius exprimatur si tam parva res spem ignavi, quam si ignavum spe frustrari dicatur. — scilicet acerbe Macer talem spem ignavos tantum habere posse significat et* spes frustratur *dixit, eventum pro ipsa re conmemorans —, egregiam Gronovii coniecturam, quae proxume ad* 𝔅 *scripturam adcedit, probandam censeo.* quae *libri;* qua *Faernus de cj.* — 19. ultro iniuria 𝔅. inulta iniuria *Mähly N. A.* LXXVII *p.* 80. iniuriae *Kritz. recte; sententia enim est: pro rebus, quae vostrae sunt, eis qui iniuria vobis eripuere et nunc iniuria minutas reddunt, gratiam debere.* – 20. cavendus dolus est *libri post* Namque — conabuntur *exhibent. Transposuit Fabrius.*

rupt vos in adventum Gn. Pompei: quem ipsum, ubi pertimuere
22 sublatum in cervices suas, mox dempto metu lacerant. Neque eos
pudet, vindices uti se ferunt libertatis, tot viros sine uno aut re-
23 mittere iniuriam non audere aut ius non posse defendere. Mihi
quidem satis spectatum est Pompeium, tantae gloriae adulescentem,
malle principem volentibus vobis esse, quam illis dominationis so-
cium, auctoremque in primis fore tribuniciae potestatis *restituendae*.
24 Verum, Quirites, antea singulj cives in pluribus, non in uno cuncti
praesidia habebatis, neque mortalium quisquam dare aut eripere
talia unus poterat.
25 Itaque verborum satis dictum est: neque enim ignorantia res
26 claudit. Verum occupavit nescio quae vos torpedo, qua non gloria
movemini neque flagitio cunctaque praesenti ignavia mutavistis,
abunde libertatem rati, quia tergis abstinetur et huc ire licet at-
27 que illuc: munera ditium dominorum. Atqui haec eadem non sunt
agrestibus, set caeduntur inter potentium inimicitias donoque dan-
28 tur in provincias magistratibus. Ita pugnatur et vincitur paucis:
plebes, quodcumque accidit, pro victis est et in dies magis erit,
si quidem maiore cura dominationem illi retinuerint quam vos re-
petiveritis libertatem.

11. Donat. ad Ter. Eun. I 2, 84: *claudier? claudi aut claudicare. Sallustius:* neque enim ignorantia claudit res.

---

2. lacerant *libri. An* lacerabunt? — 7. restituendae *quo modo abesse possit tam parum percipio, ut contra libros inserendum putem.* — 12. qua vos 𝔙. — 14. rati quia *libri.* rati scilicet quia *Link.* Scilicet *ad sententiam aptum esse non nego, set cur necessario adiciundum sit nullam caussam video.* licet atque illuc 𝔙. licet et illuc *Cort.* — 15. Atque haec *libri. Set mirum quantum offensus in* atque — non, *quod nusquam dictum vidi, nisi cum falso verum obponatur,* atqui *conrexi. 'Abunde', inquit Macer, 'vobis libertatem esse putatis, quia muneribus talibus fruamini. Atqui recordamini haec eadem agrestibus non esse: qualis ergo vobis haec conditio videtur?' Linkerus hoc membrum cum* quia *coniunxit.*

62 [Kr. 81. G. 4]. Male iam adsuetum ad omnis vis contro-
vorsiarum.

Prisc. VI p. 249: *'haec vis, huius vis', cuius plurale similiter 'vis' tam Lucretius quam Sallustius protulerunt.* — *Sallustius in* III *historiarum:* male — controversiarum. 'Agitur de turbulento aliquo tribuno plebis violentas contiones habere solito. Fortasse intelligendus Licinius Macer'. Kritz. Set *male adsuetus* is tantum dici potest, qui parum est adsuetus; isque usus adverbii *male* poëtarum magis est et posteriorum scriptorum, quam antiquiorum et elegantiorum. Quid igitur? Prorsusne hariolari videor, cum pro *male Macrum* scribundum censeo?

63 [Kr. 85. G. 6]. **Post reditum eorum, quibus senatus belli Lepidani gratiam fecerat.**

Arus. p. 232: *gratiam illi criminis facio. Salust. Hist.* III: post — fecerat. Cum h. l. senatus gratiam fecisse dicatur, atque Lepidani quidem belli, luce clarius est de eis Lepidanis cogitari non posse, qui cum M. Perpenna in Hispaniam profecti Sertori castra secuti sunt, quibus etiam Sertorianum bellum condonandum fuit, neque huc trahendam esse legem Plotiam, de qua scripsere Suet. Caes. 5. Gell. N. A. XIII 3. vid. Drum. II p. 590. III p. 139.

64 [Kr. 69. G. 86]. **Locum nullum nisi quo armati institissent ipsis tutum fore.**

Arus. p. 237: *insisto illo loco. Salust. Hist.* III: locum — fore. Verba *ipsis tutum fore* solus Gu. exhibet. Vix aptiorem, ubi haec verba in libro III dicta fuerint, locum invenias, quam in oratione Spartaci suos cohortantis atque admonentis.

*65 [Kr. 75. G. 75]. **Cossinius in proxuma villa forte lavabatur.**

Cledon. p. 1316 P. ob verbum *lavare* adtulit, set ibi legitur *Cossutius* et *fonte*. Cum Plut. Crass. 9 haec narret: *ἔπειτα σύμβουλον αὐτῷ* (P. Varinio) *καὶ συνάρχοντα Κοσσίνιον ἀποσταλέντα μετὰ πολλῆς δυνάμεως ἐπιτηρήσας ὁ Σπάρτακος λουόμενον περὶ Σαλήσας μικρὸν ἐδέησε συναρπάσαι*, quin *Cossinius* et *forte* restituenda sint, dubium non est.

66 [Kr. 76. G. 98]. **Incidere in colonos Avellanos praesidentis agros suos.**

Arus. p. 252: *praesidet illam rem. Salust. — Hist.* III: incidere — suos. Cum Avella (eadem etiam Abella dicta) oppidum Campaniae fuerit (Mannert. IX 1 p. 782), de hoc fragmento prorsus non dubitandum.

67 [Kr. 77. G. 76]. **Fragmentum Vaticanum, duobus foliis laceris formae quadratae constans. Primus e bibliotheca P. Danielis, iureconsulti Parisiensis, edidit Ianus Douza: ad C. Sallustii Crispi Historiarum libros notae Antverpiae 1580; tum set ita, ut Sallusti esse negaret, plenius Murator. Thes. Inscr. I p. 1 et II p. 1. Cum post Danielis mortem folia illa Dionysius Petavius Christinae Suecorum reginae vendidisset, eis usus est Freinshemius Suppl. Liv. XCV 5—10. Post Christinae mortem translata in bibliothecam Vaticanam Niebuhrius a. 1817 invenit apographumque concessit Kreyssigio, qui duabus comm. Misniae 1828 et 1829 evolgavit. Set cum a. 1828 Ang. Maius ea in class. auctt. T. I p. 414—25 edidisset, idem rursus 1830 ea tractavit. Postremo Kreyssigius iterum edidit: Comm. de C. Sallustii Crispi Historiarum lib. III fragmentis Misniae 1835. Cuius viri doctissumi opera non solum rectum ordinem fragmentorum restitutum, set etiam plerasque lacunas recte expletas esse**

cum inter viros doctos, penes quos quidem earum rerum iudicium est, convenerit, vix est quod moneam, me quoque omnia, nisi quae notavi, ab eo petiisse.

Col. I . . . .

NITORI EREQUIB·PRAETER	nitor ere quibus praeter
S_VCIEMBELLONECESSARIĀ	speciem bello necessariam
KAUDMULTOSECUSQUĀ	haut multo secus quam
FERRONOCERIPOTERATAT	ferro noceri poterat. at
UARINIUSDUMKAECAGŪ	Varinius, dum haec agun-
TURAFUGITIUᴵSAEGRAPAR	tur a fugitivis, aegra par-
TEMILITUMAUTUMNIGRA	te militum autumni gra-
UITATENEQ·EXPOSTREMA	vitate neque ex postrema
FUGACUMSEUEROEDICTO	fuga, cum severo edicto
IUUERENTURULLISADSIG	iuberentur, ullis ad sig-
NADEEUNTIBUS·ETQUIRELI	na redeuntibus et qui reli-
QUIERANTPERSUMMAFLA	cui erant per summa fla-
GITIADETRACTANTIB·MILI	gitia detractantibus mili-
TIAMQUAESTOREMSUUM	tiam, quaestorem suum
C.TKORANIUMEXQUOPRE	G. Thoranium, ex quo prae-
SENTEUERAFACILLIMENOS	sente vera facillime nos-
CERENTUMMISERANTETTA	cerentur, miserat, et ta-
MENINTERIMQUOMUO	men interim cum vo-
LENTIB·NUMEROQUATTUoR	lentibus, numero quattuor

2. nitor aere *Kreyssigius, hoc dictum fuisse censens: fugitivos inopia ferri hastis vel telis suis aere nitorem addidisse.* igni torrere *Kritzius, hunc connexum fuisse statuens:* Spartacus eos qui iusta arma non haberent, iussit sudes igni torrere, quibus cet. *Illud apertissumum est, dici de teli genere a fugitivis ad belli usum adparato. Set prudentiae certe fuit talia arma parare, quae et militaria viderentur et usum praeberent; nam quae armorum speciem non habent, eis hostes non terrentur. Qua re sententiam membri relativi non quem ad modum Kritzius arbitratus est:* quibus quamquam speciem bello necessariam non habebant, tamen *fuisse adparet, set hanc potius:* quibus praeterquam quod speciem b. n. habebant, haut secus cet. *Nec minus certum videtur sudis igni tostas, nisi cuspide quadam ferri aut metalli speciem praebente instructae essent, neque speciem bello necessariam praebuisse neque eis haut multo secus quam ferro noceri potuisse. Ad quae cum adcedat, quod membrum relativum, quippe indicativo expressum, ad membrum finitum magis quam a verbo pendens videtur spectavisse, Kreyssigii sententia mihi quidem non minus commendationis habere videtur, quam Kritzii.* — 11. iuverentur *notandum.* — 12. deeuntibus *ex* redeuntibus *conruptum.* — 18. noscerentum miserant *librarii errores esse facile perspicitur, set obscurum est ad quos G. Thoranius missus fuerit. Ad milites ex fuga dispersos credibile non est. Quidni ergo ad urbem statuamus, cum facile adpareat, praesidia maiora Varinium postulasse? Qua re si liceat lacunam statuere, scribundum existumem* noscerent, ad senatum miserat. — 19. quom *aperte pro* cum *scriptum.*

Col. II . . . . \V/ . . . . UI	*milium ad castra pergit mag*
NISO PERIB·COMMUN	nis operibus conmun*ita.*
DEINDEFUGITIUICON	Deinde fugitivi con*sump-*
TISIAMALIMENTISNE	tis iam alimentis, ne *prae-*
DANTIB·EXPROPIN	dantibus ex propin*quo hos-*
TISINSTARETSOLITIM	tis instaret, soliti m*ore mi-*
LITIAEUIGILIASSTA	litiae vigilias sta*tiones-*
Q·ETALIAMUNIAE	que et alia munia e*xequi*
SECUNDAUIGILIA	secunda vigilia *furtim*
CUNCTIEGREDIU	cuncti egrediu*ntur re-*
LICTOBUCINAT	licto bucinat*ore in ca-*
TRISETADUIGIL	stris et ad vigil*um speciem*
PROCULUISEN	procul visen*tibus* · · · *ere-*
XERANTFULT	xerant fult*a palis fixis*
RECENTIAC	recentia *cadavera et cre-*
BROSIGN	bros ign*is fecerant for-*
MIDINI	midini *Va-*
RINII	rini
TI	ti
Col. III . . . .)A	. . . . da . . . .
INUIISCONUERTL^EAD	. . . inviis convertere: at
INIUSMULTAIAMLUCE	*Var*inius multa iam luce
DERANSSOLITAAFUGI	*desi*derans solita a fugi-
ONUICIAEINCAS	*tivis c*onvicia et in cas-
ONIECTUSLAPIDUM	*tra c*oniectus lapidum
STREPITUSTUMUL	*ad hoc* strepitus tumul-
SONORESUNDIQ·	*tuosi* sonores undique
UMMITTITEQUITES	*ruentium* mittit equites
UMCIRCUMPRO	*in tumul*um circum pro-
UTEXPLORARENT	*minentem* ut explorarent
SPROPEREUESTI	*fugitivo*s, propere vesti-
OSCREDENSLO	*gia secut*os credens lo-
TOTAMENAG	to tamen ag-
PAUENSSE	*mine* pavens se
MDUPLI	m dupli-
TUMAS	tumas
GA	ga

Col. II 1. milium servorum castra petit magnis *Kreyss. quae cum mihi nimium spatium explere viderentur (nam quae in dextro supremo margine conspiciuntur, notam librarii fuisse indico, fortasse* VI; *etenim quo minus quattuor folia conglutinata, haec autem duo interiora alterius paris fuisse statuamus, quid obstat?) ipse aliam viam subplendi temptandam arbitratus sum.* — 9. vigilia silentio *Kreyss.* furtim *ego.* — 13. *Cum spatium amplius sit, quam quod eis verbis, quae scripta fuisse cognoscuntur, expleatur, praesertim cum* VISENTIB· *fuisse certum sit, vide an emendandum sit:* ut speciem vigilum procul visentibus praeberent erexerant. — 15. cadavera atque crebros? — Col. III 2. ad *emend. Kreyssig.* — 14. *An* propere vestigia secuti. quos credens loco tectos, toto tamen agmine?

Col. IV	post
ALIQUODDIESCONTRAMO	aliquot dies contra mo-
REMFIDUCIAAUGERINOS	rem fiducia augeri nos-
TRISCOEPITETPROILINGU	tris coepit et promi lingu*a*.
QUAVARINIUSCONTRAS	Qua Varinius contra s-
PECTATAMREMINCAUTAE	pectatam rem incaute
MOTUSNOUOSICOGNITS	motus novos incognitos-
Q·ETALIORUMCASIB·PER	que et aliorum casibus per-
CULSOSMILITESDUCITTAMĒ	culsos milites ducit tamen
ADCASTRAFUGITIUORUM	ad castra fugitivorum,
PRESSOGRADUSILENTISIAM	presso gradu silentis iam
NEQ·TAMMAGNIFICESUMĒ	neque tam magnifice sumen-
TISPROELIUMQUAMPOSTU	tis proelium quam postu-
LAUERANTATQ·ILLICERTA	laverant. Atque illi certa-
MINECONSILIIINTERSEIUS	mine consilii inter se iux-
TASEDITIONEMERANTCRI	ta seditionem erant, Cri-
XOETGENTISEIUSDEMGAL	xo et gentis eiusdem Gal-
LISATQ·GERMANISOBUIAM	lis atque Germanis obviam
IREETULTROFERREPUGNĀ	ire et ultro offerre pugnam
CUPIENTIB·CONTRASPARTA	cupientibus, contra Sparta-

Col. V		*co*	
NISECU	. .	ni secu	
NEQUA	D	ne qua	*ad*
IDTEMP	M	id temp*us*	m
Q·SECLU	M	que seclu	m
ETEXTIN	L	et extin	l
CURAM	\S	curam	as
SETHAU	AQ·	set hau*d*	aque
QUAMC	\UD	quam	*h*aud
ALIAM	\PI	aliam	*ca*pi-
ENDAM	PRU	endam	pru-
DENTESI	MI	dentes	*ani*mi
NOBILE	LAU	nobile	lau-
DANTQ·	RE	dantque	re
PARSSTC	TSAD	pars sto*lida*	is ad
FLUENT	IOFI	fluent	mo fi-
DENSAU	EPATRI	dens *au*	e patri-
AEINME	RUMI	ae imme*mor*	*plu*rumi
SERUIL	ULTRA	servili	ultra
PRAE	. . . . .	prae*dam*	

Col. IV. 2. *Notandum* aliquod *pro* aliquot. — 4. *In* lingua u *et* a *in unam litteram contracta.* — 6. *Vitiosam scripturam* incautae *iam Dousa emendavit.* — 15. certamini *Niebuhrius legerat.* iusta *em. Dousa.* — 18. ultro ferre *quin in* ultro obferre *emendandum sit, non dubium.*

Col. V. 1. *Constructionem ablativorum absolutorum continuatam fuisse*

ideoque Spartaco *explendum perspexerunt Kreyss. et Maius. Ut quid Spartacus voluerit vel cur proelium dissuaserit inveniamus, duo potissumum animadvortunda sunt: primum ex reliquiis cognosci* (l. 17 et 20), *eos qui illi advorsati sunt, partim omnem patriae amorem amisisse, partim praedam omnibus aliis anteposuisse; deinde cum consilium eius abiectum esset, iter eum ad meridiem vorsus fecisse. Nam Picentini* (VI 12) *in confinio Campaniae sunt* (*Mannert* IX I *p.* 752 *sq.*), *Nares Lucanae in ipso Lucaniae aditu* (*Mannert* IX 2 *p.* 145), *unde Eburinos, quos quidam in media Lucania habitasse parum recte ex Plin. H. N.* III 11, 98 *conlegerunt, inter duas illas regiones sedem habuisse patet. Quod si Spartacus contra suam voluntatem meridiem vorsus proficisci coactus est, nonne eum ad septentriones iter facere voluisse adparet? et si qui ei advorsabantur patriae inmemores fuisse dicuntur, nonne eum fugitivos in suam quemque patriam ducere aut novam patriam constituere voluisse in propatulo est? Ac cum constet hoc Spartaci iam a principio belli consilium fuisse, ut fugitivos in Galliam perduceret* (Plut. Crass. 9. App. b. c. I 117 p. 531 sq. Liv. ep. XCVI. Oros. V 24), *num hariolari videbor, cum usus eis quae iam alii in exiguis illis verborum reliquiis inesse perspexere, ita Sallustianum fragmentum explere conor:* contra Spartaco *nitente. nam timebat*, ni secum *quo intenderat properarent*, ne, qua *ratione soliti* ad id tempus, *vagantes tractum raptum*que secluderentur *itinere in Galliam* et extinguerentur*: ante omnia alia* curam *esse debere salutis*, set haut *aliter fore certam tutam*que, quam *cum in Galliam venissent: haud* aliam *spem eis esse ca*piendam. *At pauci* prudentes *ingenuique animi* nobile *consilium probant* laudantque *quod suaserat facere*, pars *stolida ac levis* adfluentium *undique firmo* fidens *auxilio salutis atque* patriae inme*mores esse*, plurumi servili *ingenio* ultra praedam *nihil cogitare. Postquam illa frustra fuere, capit* consilium cet.

Col. VI . . . .
CON . . . .
TIMUMUIDEBATURDEIN
CEPSMONETIN AXIORIS
AGROSMAGISQ·PECUARIOS
UTEGREDIANTURUBIPRIU
QUAMREFECTOEXERCITU
ADESSETUARINIUSAUGER
TURNUMERUSLECTISUIR
ETPROPERENANCTUSIDO
NEUMEXCAPTIUISDUCEM
PICENTINISDEINDEEBURI
NISIUGISOCCULTUSADN
RISLUCANASATQ·INDEPRI
MALUCEPERUENITADAN
NIFORUMIGNARISCULTO
RIB·ACSTATIMFUGITIUICI
TRAPRAECEPTUMDUCIS
RAPEREADSTUPRUMUIR
NESMATR ... ·ETALIIC

con*silium quod ex copia op*timum videbatur. Deinceps monet, in *la*xiores agros magisque pecuarios ut egrediantur, ubi pri*us*quam refecto exercitu adesset Varinius, augere*tur* numerus lectis vir*is*. Et propere nanctus idoneum ex captivis ducem Picentinis, deinde Eburinis iugis occultus ad N*a*ris Lucanas atque inde prima luce pervenit ad Anni forum ignaris cultoribus. Ac statim fugitivi citra praeceptum ducis rapere ad stuprum vir*gi*nes matr*onasque* et alii c

---

Col. VI. 17. Citra *quin* contra *emendandum sit, nemo dubitabit.* Non. p. 309 s. v. *stuprum. Sallustius Hist. lib.* III: ac statim fugitivi contra praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matronasque.

Col. VII . . . .

. . . . ƆNCRES	unc res-
TANTESETÌL'UDEBANTSIMUL	tantes et illudebant simul,
NEFANDUMINMODUMPER	nefandum in modum per-
UERSOUOLNEREETINTER	verso volnere et inter-
DUMLACERUMCORPUSSE	dum lacerum corpus se-
MIANIMUMOMITTENTES	mianimum omittentes,
ALIIINTECTAIACIEBANTIG	alii in tecta iaciebant ig-
NISMULTIQ·EXLOCOSER	nis, multique ex loco ser-
UIQUOSINGENIUMSOCI	vi, quos ingenium soci-
OSDABATABDITAADOMI	os dabat, abdita a domi-
NISAUTIPSOSTRAKEBAN̄T	nis aut ipsos trahebant
EXOCCULTONEQ·SANCTŪ	ex occulto, neque sanctum
AUTINFANDUMQUICQŪ	aut infandum quicquam
FUITIRAEBARBARORUM	fuit irae barbarorum
ETSERUILIINGENIOQUAE	et servili ingenio. Quae
SPARTACUSNEQUIENSPRO	Spartacus nequiens pro-
KIBEREMULTISPRAECIB·Q̄O	hibere, multis praecibus quom
MORARETCELERITATEPRAE	oraret, celeritate prae-
UERTEREMIT̄ ENUNTIOS	vertere: *mittere* nuntios

Col. VIII . . . .

. . .	UANEQ·		*q*ua neque
E	MENSE	e	*ag*men se
C	SCRUDE	c	s crude-
L	ƆPATOS	l*iter*	*occ*upatos
A	GRAUISPLE	a	gravis ple-
R	ILLUMDI	r	illum di-
EN	NOCTEM	em	noctem
IB	SDUPLI	ibi	s dupli-
CA	ORUMNU	ca*to*	*eo*rum nu-
ME	RIMACU	me*ro*	prima cum
LU	NCAMPO	lu*ce*	*i*ncampo
SAT	NOSEDIFI	sa*tis*	os edifi-
CIS	ETUM	ciis	et tum
MAT	SERANT	mat*ura in agris* erant	
AUT	NTA	au*tumni frume*nta.	
SEDINC	MODIEGNA	Sed inc*olae ple*no die gna-	
RIEXT	UMORUM	ri ex f*uga fini*tumorum	
FUG	UENTA	fug*itivos ad se ad*venta-	
R	OMNIB·	*re*	omnibus

Col. VII. *Kritzius ita orationem explevit:* et alii *civium obvium quemque promiscue caedere atque* nunc restantes ei illudebant. *Set cum in cod. aperte* et illudebant *scriptum sit, mihi magis placet:* et alii obvium quemque caedebant et vexabant hunc restantes et illudebant.

Col. VIII. *Quamvis difficillumum sit, quid in lacuna fuerit suspicari, tamen probabile videtur Spartacum, quo a praedando suos prohiberet, eos*

quam celerrume in alia loca duxisse et tali quidem via, quae quo minus singuli longius vagarentur inpediret. Qua re ita verba subplenda esse visa sunt, extrema Kreyssigio et Kritzio potissumum auctoribus: qua neque *evadere possent nec praeter agmen secedere. At alios* crudel*iter in caedendo occupatos ab hoste ultio* gravis pler*osque obpressit. Tum* illum diem *atque proxumam* noctem ibi *moratus suos* duplica*to iam fugitiv*orum numer*o educit* prima cum luc*e et consistit* in campo sat*is amplo set* aedificiis *vacuo.* et tum cet.

68 [Kr. 78. G. 7]. Divorsa, uti solet rebus perditis, capessivit: namque alii fiducia gnaritatis locorum occultam fugam sparsi, pars globis eruptionem temptavere.

Non. p. 80 s. v. *gnaritas.* Prisc. X p. 535 sex priora tantum verba adtulit. Cum etiam huius libri meliores III *historiarum* exhibeant, dubitatio omnis de libro, cui haec verba adscribunda essent, sublata est. Nec minus in *capessivit* Noni et Prisciani libri consentiunt; apud hunc tantum GLK *lacessivit* errore librariorum, qui praecedentia in parenthesi posita esse et pergere iam grammaticum in verborum in *so* formis perfecti ostendendis non intellexere. Nec video cur plerique vv. dd. id in *capessunt* mutandum censuerint, cum substantivum collectivae notionis praecessisse facile sit ad intellegundum. Cum autem apud Nonium legatur *fugam sparsi globis,* quin recipiunda sit Coleri emendatio, denuo ab Mählyo N. A. LXXVII p. 80 commendata, *sparsi, pars,* vix dubium videtur. Verba si consideraveris, apertum est de exercitu dici, ab hostibus circumcluso nec vero in oppido vel castello obsesso. Quamquam igitur id saepius factum esse per se consentaneum est, tamen cum tertio libro de Crixi exercitu ab L. Gellio cos. et Q. Arrio praetore deleto (Plut. Crass. 9. App. b. c. I 117 p. 534. Liv. Ep. XCVI. Oros. V 28) narratum fuisse ex fr. 70 adpareat, Kritzii sententia, ad eam rem verba illa spectasse, summam prae se fert veri speciem.

69 [Kr. 79. G. 69]. Unus constitit in agro Lucano gnarus loci, nomine Publipor.

Prisc. VI p. 236: *et a 'puero' composita, 'Publipor, Publiporis' et 'Marcipor Marciporis' (sic Probus; ita enim antiqui pro 'Publii puer' et 'Marci puer' dicebant), quae o non producunt in obliquis casibus:* unus — Publipor *(Sallustius in* III *historiarum hoc protulit).* Prob. p. 116: *'Por' tertiae sunt declinationis, corripiuntur in nominativo, in genetivo appellativa producuntur 'vapor vaporis', 'sapor saporis'. Legi unum novo modo figuratum apud Sallustium:* Publipor, Publiporis; *nam quasi proprium est.* Mirum profecto est, quod uterque grammaticus Sallusti locum proferunt, quo declinationem nominis *Publipor* ostendant. Et in verbis a Prisciano laudatis genetivo nullus est locus, set Probus videtur alium locum respexisse, ubi genetivus fuit. — Ceterum si eis, quae apud Prisc. adiecta sunt, fides habenda est, quoniam de Publipore ab Pompeio deleto tertio libro narratum non erat, nihil aliud restat, nisi ut hoc fragmentum ad rem post Crixi cladem gestam referamus.

70 [Kr. 88. G. 77]. Et eodem tempore Lentulus duplici acie locum editum multo sanguine suorum defensum, postquam ex sarcinis paludamenta extare et delectae cohortes intellegi coepere.

Non. p. 369: *paludamentum est vestis, quae nunc clames dicitur.* De proeliis quae Gn. Cornelius Lentulus Clodianus cos. a. 72 advorsus Spartacum conmisit, haec exstant veterum scriptorum testimonia: Flor. II 8, 10: *inde iam consularem quoque adgressus in Apennino Lentuli exercitum*

cecidit [hac scriptura recepta adparet, in anno et honore ducis Florum non errasse]. Liv. Ep. XCVI: *Cn. Lentulus consul male adversus Spartacum pugnavit.* Oros. V 24: *Consules Gellius et Lentulus adversus eos cum exercitu missi, quorum Gellius Crixum acerrime pugnantem proelio oppressit, Lentulus a Spartaco superatus aufugit. Post — ambo consules — accepta gravi clude fugerunt.* Eutrop. VI 7: *duobus simul Romanorum consulibus victis.* App. b. c. I 117 p. 532: *Σπάρτακον δὲ διὰ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἐπὶ τὰ Ἄλπεια καὶ ἐς Κελτοὺς ἀπὸ τῶν Ἀλπείων ἐπειγόμενον ὁ ἕτερος ὕπατος προλαβὼν ἐκώλυε τῆς φυγῆς καὶ ὁ ἕτερος ἐδίωκεν. ὃ δὲ ἐφ' ἑκάτερον αὐτῶν περιστρεφόμενος παρὰ μέρος ἐνίκα. καὶ οἳ μὲν σὺν θορύβῳ τὸ ἀπὸ τοῦδε ἀπεχώρουν, ὁ δὲ Σπάρτακος — — καὶ τῶν ὑπάτων αὐτὸν αὖθις περὶ τὴν Πικηνίτιδα γῆν ὑποστάντων μέγας ἀγὼν ἕτερος ὅδε γίγνεται καὶ μεγάλη καὶ τότε ἧσσα Ῥωμαίων.* Plut. Crass. 9: *ἀμφοτέρους ἐξέπεμπον τοὺς ὑπάτους. Ὧν Γέλλιος μὲν τὸ Γερμανικὸν — διέφθειρε, Λέντλου δὲ τὸν Σπάρτακον μεγάλοις στρατοπέδοις περιλαβόντος ὁρμήσας ὁμόσε καὶ μάχην συνάψας ἐκράτησε μὲν τῶν πρεσβευτῶν, ἔλαβε δὲ τὴν ἀποσκευὴν ἅπασαν.* Ex quibus adparet primo a Gn. Lentulo Spartacum, septentriones vorsum secuto L. Gellio properantem, exceptum et paene circumclusum esse, set vi per eius exercitum iter sibi patefecisse; tum rursus ambos consules cum adgressos in fugam vorsos esse. Iam si ad Sallustiana animos advorterimus, cum *et eodem tempore Lentulus* scriptum sit, illud perspicuum est, de proelio dictum fuisse, in quo ille cum alio duce Romano una pugnavisset. Simul extrema verba ostendunt, alium exercitum pugnae diu iam sustentatae supervenisse. Eum legati ipsius Lentuli fuisse, quamquam praefracte negari nequit, tamen veri simile non est, probabilior haec suspicio: L. Gellium inexpectato illi auxilio venisse. Quod igitur apud Non. in libris est *longum*, iam 1526 emendatum est *locum*. Deinde cum libri *defensus* exhibeant, minus apte Lentulum multo suorum sanguine defensum dici perspicientes, plerique antea viri docti *defendens*, Kritzius *defensum* restituit. De qua re quamquam certo diiudicari nequit, quoniam quod verbum finitum ad *Lentulus* relatum fuerit, nescimus, tamen cum verba *duplici acie* minus recte cum *defendens* coniungi et ostendere potius videantur, Lentulum, cum adventare auxilia vidisset, iam in hostis ingressum esse, ergo locum illum editum aut evasisse, aut quod probabilius, reliquisse ('duplici acie locum editum, quem adhuc multo suorum sanguine defenderat, reliquit et in hostes inpetum fecit'), veri similius est, quod Kritzius proposuit, eoque magis conprobandum, quia proxume ad librorum scripturam adcedit. Tum plerique libri *astari, obstari* ms. Palat., *obstare* mscr. Basil., al. *ostari*, *hostari*. Pro quibus quod Colerus coniecit scribendum esse *hastati*, ferri non posse facile intellegitur, nec difficilius paludamenta neque adstare neque obstare satis commode dici. Simul adparet verbum similis notionis esse debere, atque quod sequitur *intellegi*, pro qua quod ms. Palat. exhibet *deleti coeptae*, nihili faciundum est. Sententiae igitur satisfaceret, quod Kritzius recepit *ostentari*, modo ea ratione id verbum dictum esse demonstrari posset. Qua re ego scripsi *extare*, quod cum de eis quae in sculpendo aut pingendo luminibus distinguuntur dictum sit (Ellendt ad Cic. de or. III 26, 101 p. 399 sq.), recte Sallustius ad paludamenta, quae paulatim inter sarcinas cerni ac dignosci coepere, transferre potuit.

Secuntur iam ea fragmenta, quae ex libro secundo conmemorata quo referunda sint, dubium aut incertum est.

71 [Kr. 86. G. 94]. Quod ubi frustra temptatum est, socordius milites ire occepere, non aptis armis, ut in principio, laxiore agmine.

Non. p. 160: *aptum rursum connexum et colligatum significat. Socerdius* et *miles* recte iam ab Iunio et Mercero emendata esse facile perspicitur, set non intellego, cur vv. dd. *occoepere* necessario scribundum esse adfirmaverint, cum *occipio* apud veteres poëtas frequentatum fuisse constet. Non tam de seditioso exercitu, quem dux frustra ad oboedientiam reducere temptaverit, agi videtur, quam de militibus, postquam nihil periculi esse arbitrati sunt, neglegentius iam ingredientibus.

72 [Kr. 87. G. 10]. Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque stantes incumberent.

Arus. p. 235: *Incumbo illam rem. Sal. Hist.* III: Ut sustinere corpora plerique nequeuntes arma sua quisque [*quisquis* cod. Maii] instans [*sic uterque cod.*] incumberet. Serv. ad Verg. A. IX 229: *Ostendit iam eos diuturna statione fatigatos. Quod autem stant, et romani moris est et bellicae necessitatis. Hunc autem standi habitum et Sallustius commemorat, uti* fessi arma sua quisque stantes incumbere. Qui loci cum inter se divorsi sint, primum quaeritur, *ut* apud Servium utrum grammatici an Sallusti sit. Cum igitur Servius minus recte pro exemplo locum scriptoris adferre, quam certis verbis rem demonstrare videatur, *ut* cum Sallustianis coniungendum et *incumberent* emendandum esse censeo. Quod si ita est, quamquam conmentatorem Vergili Sallusti locum ex memoria protulisse inde adparet, quod pro *sustinere corpora nequeuntes* simpliciter *fessi* posuit, tamen ut eo auctore *stantes incumberent* probem, ea re potissumum ducor, quod non tam quod singuli per se quisque (cfr. Cat. 37, 6. fr. IV 1), quam quod plerique fecerint, dicendum videtur esse, et *instans* apud Arus. conruptum est.

73 [Kr. 89. G. 54]. Ac tum maxume, uti solet in extremis rebus, sibi quisque carissumum recordari cunctique omnium ordinum munia extrema exequi.

Non. p. 94: *munia, officia.* Libri *recordavi* vitiose; tum: *omnium ordinum extrema sequi, omnium ordinum munia sequi,* unde rectam loci emendandi viam Iunius invenit; nec dubitare debemus pro insolito *munia sequi* restituere *exequi.* Qui vero Romanorum exercitus in tantum discrimen adactus fuerit, ut omnes omnium ordinum milites testamenta scriberent et obsignarent, nemo facile divinabit.

74 [Kr. 91. G. 81]. Dedecores inultique terga ab hostibus caedebantur.

Prisc. VI p. 236 eodem loco, quo fr. 14 protulit. Quod libri nonnulli *multique* exhibent, ei nihil tribuendum esse patet.

75 [Kr. 92. G. 93]. Perculsis et animi incertis succurritur.

Arus. p. 242 s. v. *incertus illius.*

76 [Kr. 93. G. 12]. Muros successerunt.

Arus. p. 262; cfr. I 102. Cod. Gu. *successerunt,* Mai. *successerant.*

77 [Kr. 94. G. 50]. Fine inguinum ingrediuntur mare.

Arus. p. 231: *fine illius rei.* Philargyr. ad Verg. Ge. III 53: *Modestus 'tenus' pro fine accipit. Sallustius:* fine inguinum ingrediuntur mare. Non prorsus reiciunda haec suspicio videtur, verba dicta fuisse in piscationis apud Byzantium factitatae descriptione (fr. 41 et 42).

78 [Kr. 96. G. 82]. Contra ille calvi ratus quaerit extis num somnio ostenderetur thensaurus.

Eutych. p. 195: *'volvo volvis', 'solvo solvis', 'calvo' id est decipio, ut est apud Salustium in historiarum libr.* III: contra ille calvi ratusq. retextis ne somnio ostenderetur thesaurus; quae recte ab Lindemanno emendata sunt, nec video cur pro *ostenderetur* necessario *portenderetur* scribundum sit. Prisc. VIII p. 431: *'calvo cavillo' pro 'calvillo', cuius primitivum Sallustius in* III *historiarum ponit:* calvi ratus. Id. X p. 506: *'calvo calvi', unde Sallustius in* III *historiarum infinitivum passivi protulit:* contra ille [*illae* LK] calvi ratus, *'calvi' pro 'decipi'.* Non. p. 4: *Calvitur dictum est frustratur, ductum a calvis mimicis, quod sint omnibus frustratui. — Sallustius Histor. lib.* III: contrullae calvi ratus. — Qua de re haec dicta fuissent, neque alii ostendere — nisi forte Debrossii somniis te duci pateris — neque ego invenire potui. Ceterum Lucullum Sullae monitu multum somniis tribuisse Plut. testatur Luc. c. 23; atque a veteribus thensauros multum quaesitos esse, ostendunt quae Cic. de divin. II 65, 134 conmemoravit.

79 [Kr. 97. G. 31]. Exaudirique sonus Bacchanaliorum.

Non. p. 333: *Bacchanaliorum pro bacchanalium, ut vectigaliorum et conpitaliorum et novaliorum et Vulcanaliorum. Sallustius:* exaudirique sonus Bacchanaliorum. Macrob. Sat. I 4 p. 211 Bip. *Nam et Sallustius in tertio* Bacchanaliorum *ait.* Charis. p. 62 (vid. fr. IV 68).

80 [Kr. 98. G. 9]. Coniuratione claudit.

Prisc. X p. 514: *invenitur tamen 'claudeo', sed et 'claudo' pro 'claudico'. Sallustius in* III *historiarum:* coniuratione claudit. Verba haec conrupta esse, certe sensu prorsus carere concedundum est Klotzio Arch. XV p. 308 sq., nec vero eis substituenda esse verba 61, 25: *ignorantia res claudit.*

81 [Kr. 99. G. 21]. Dubius consili.

Arus. p. 225 s. v. *dubius huius.*

Lib. IV.

Constat hoc libro ab Sallustio narratas fuisse res advorsus Mithridaten a. 71—69 gestas, belli servilis exitum a. 71, bellum Macedonicum ac Thracicum a. 72 et 71, piratarum latrocinia a. 71—69, denique res urbanas a. 71 et 70 gestas. Quod si ex omnibus, quae cognita habemus de totius operis descriptione, veri simile est, scriptorem neque res in singulos annos digestas narravisse, neque quae inter se cohaererent nimis longo spatio interposito quasi discerpsisse, non vereor ne in levitatis crimen incurram, cum hunc ordinem rerum lib. IV enarratarum fuisse statuam: primum fuisse belli servilis exitum, ut postquam extremo lib. III urbem Romam in summum discrimen adductum fuisse narratum erat, statim huius libri principio, quo modo eo periculo liberata esset, lectores docerentur; in qua re cum summae fuissent M. Crassi et Gn. Pompei partes, statim adiectas fuisse res urbanas per eosdem viros actas; deinde transiisse scriptorem ad bellum in regione Italiam propiore gestum (Thracicum), tum piratarum facinora, denique bellum Mithridaticum ab eo tempore, quo Lucullus regem in sua ipsius dicione in-

pugnare coepit, usque ad illud, quo Mithridates ab Parthis auxilium petere coactus est, enarrasse. Sic adparet eas res, quas in ulteriora tempora scriptor persecutus est, post eas, quae antea ad finem adactae fuere, conlocatas fuisse, simulque ita Sallustium optume sibi transitum paravisse ad eas res lib. V enarrandas, quibus Gn. Pompeius in summum potentiae fastigium evectus est. Ceterum procul absum ab ea inpudentia, ut haec pro certis venditare ausim, ea tantum propono, quae mihi boni et circumspecti rerum scriptoris fuisse videantur.

1 [Kr. 22. G. 4]. Hi locorum pergnari et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ea arte se quisque in formam parmae equestris *clupeo* armabat.

Non. p. 381: *Parma est scutum breve. Sallustius Hist. lib.* IIII: hi locorum perignari [*recte Dousa* pergnari] et — fueread ea arte [ea arce *princ.* eam arcem 1480 A. eas artes *Dousa*, fuerat ad eam artem *Carrio.* fuerat ab ea arte *Ursin.*, fuerat, ea arte *Merc.*] -- — formam parme equestris [*sic libri; recte edd.* parmae equestris] armabat.

*2 [Kr. 23. G. 5]. Coria recens detracta quasi glutino adulescebant.

Serv. ad Verg. Ge. III 155: '*Sole recens orto'; statim. Sallustius:* coria recens detracta veluti glutino *[sic codd.]* adolescebant. Id. ad A. VII 632: '*Salignas umbonum crates', ut dicit Sallustius de Lucanis,* qui de vimine facta scuta recentibus [*V.* recens] detractis coriis quasi glutino adolescebant [*Guelf.* I. II. *R. Lips. et al. tantum* scuta coriis tegebant]. Philarg. ad Verg. Ge. IV 50: *Gluten; hic gluten. Sallustius autem:* hic glutino adolescebat. Charis. p. 88: *quam declinationem Sallustius sequitur. cum dicit*: quasi glutino adolescebant. Id. p. 131: '*itaque Sallustius istius potius declinationis usum secutus* glutino *inquit* adolescebant, *ut gaudio, praemio.*

Fr. 1 et 2 quin ad eandem rem spectaverint, non dubium est, si quidem Flor. II 8, 6: *adfluentibus in dies copiis cum iam esset iustus exercitus, e viminibus pecudumque tegumentis incondilos sibi clipeos, ex ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt.* Frontin. Strat. I 7, 6: *Spartaco copiisque eius scuta ex vimine fuerunt, quae coriis tegebantur.* Id in Lucania factum esse neque statim post initium belli servilis, ex loco Serv. ad Verg. A. VII 632 adparet, neque obstat quod Florus ante res ab Spartaco gestas narravit, cum aperte quae in exercitu instituerit, quoque modo se dux gesserit, ipsis factis praemittantur. Qua re quamquam de armis paratis etiam lib. III dictum fuisse ex fragmenti 67 initio conligitur, tamen nihil est, cur apud Nonium in numero libri erratum esse censeamus. Set in fragm. 1 fateor me non percipere, quo modo *se in formam parmae equestris armabat* recte dicatur. Nam etsi liberius eam formulam usurpatam esse constat (Suet. Cal. 19: *superiectoque aggere terreno ac directo in Appiae viae formam.* Tac. ab exc. d. A. XV 24: *legati Parthorum mandata regis Vologesis litterasque in eandem formam attulere*), tamen quo minus illud feratur, ratio obstat, quoniam *se armare* is tantum dicitur, qui armis, non aliquo armorum genere se instruit, et forma armorum generis, non hominis est, nisi omni habitu ei species quaedam datur (recte diceretur: *armare in formam militis gregarii, in modum equitis*). Unde mihi videtur excidisse apud Nonium illud, ad quod verba *in formam parmae equestris* relata essent. Iam fragmenti alterius formam eam veram esse, quam Serv. ad Verg. Ge. III 155 memoriae tradidit, facile intellegitur, si quidem verba, ut ad A. VII 632 relata sunt, constructionem prorsus perversam praebent simulque libri multo breviora

exhibent, ut adpareat primum grammaticum rem breviter significasse, tum alium pleniorem locum Sallusti adscripsisse atque inde incondita illa verba conmixta esse. Per se autem perspicitur haec verba haut longe ab fr. 1 disiuncta fuisse, set cum ea forma sint, ut vix ad singularem referri potuerint, videndum est annon in fragm. 1 pluralis fuerit: *clupeis* in formam parmae equestris se armabant, *quae facile pellibus pecorum obducebant. Nam* coria cet.

3 [Kr. 24. G. 60]. Rursus iumenta nancti ad oppidum ire contendunt.

Non. p. 176: *Contendere, festinare.* De fugitivis ea dicta fuisse ipsa res videtur docere. Oppidum an Thurii fuerint (App. b. c. I 117 p. 532), incertum.

4 [Kr. 26. G. 6]. Et revorsi postero die multa, quae properantes deseruerant in castris, nancti, cum se ibi cibo vinoque laeti invitarent.

Non. p. 219 s. v. *invitare.* Libri *et versi*, in quo *revorsi* latere bene perspexit Carrio; idem mendum librariorum *multoque prop.* feliciter sustulit mutando in *multa quae.* Per se adparet, eos, qui in castris se laeti invitaverint, victores fuisse ac castra hostium deserta; set *properantes deseruerant* ad alios, ad victos hostis, referri ratio vetat. Nisi igitur aliquid excidit, victores putandi sunt castra cepisse, set ex eis confestim ad persequendos hostis properasse, tum revorsos, quae primo reliquerant, diripuisse. Eos victores cum pateat minus severa disciplina coercitos fuisse, fugitivos fuisse veri simillumum videtur, nec veri specie caret Kritzii suspicio, spectasse fragmentum ad cladem, quam Mummius, M. Crassi legatus, accepit (Plut. Crass. 10. Drum. IV p. 79).

*5 [Kr. 27. G. 10]. Sorte ductos fusti necat.

Serv. ad Verg. A. II 201: '*Sorte ductus*'; *sic Sallustius:* sorte ductus fusti necat [*codd. Burm.* furta *vel* furti negat; *Guelf.* I fuisse negat; *edd. vett.* furti negati]. Id. ad VI 22: *Proprie autem 'ductis sortibus'. Sallustius:* sorte ductos fusti necat. Cum M. Crassum exercitum ignavum decumatione coërcuisse memoriae proditum sit (App. b. c. I 118 p. 533. Plut. Crass. 10. Drum. IV p. 79, 99), de alio duce his libris commemorato idem neque constet neque veri simile sit, quin verba haec ad Crassum referunda et libro IV adscribunda sint, dubium non est. Ceterum eisdem verbis usus Tac. ab exc. d. A. III 21.

6 [Kr. III 95. G. III 18]. Dein lenita iam ira postero die liberalibus verbis permulcti sunt.

Prisc. IX p. 487: '*mulsi mulsum*' *et* '*mulctum*'. *Sallustius in* IIII *historiarum:* dein — permulcti sunt. Quarti libri fuisse Prisciani codices uno consensu testantur. Aliter haec verba intellegi non posse nisi: ducem, cum pridie ira in milites saevivisset, postero die eos liberalibus verbis permulsisse, Kritzio concedere non possum. Nonne enim milites, cum pridie vehementissume permoti fuissent, per noctem iam mollita ira permulceri ab duce potuere? et nonne ut ita locum intellegamus, ratio postulat (cfr. Comm. p. 17)? Quae cum ita sint, num verba cum Debrossio ad Crassum milites, cum antea ab eis crudeliter poenas expetiisset, iam rursus lenientem referunda sint, valde dubium est.

*7 [Kr. 28. G. 78]. In silva Sila fuerunt.

Serv. ad Verg. A. XII 715: *Syla mons est Lucaniae. — Sallustius de*

fugitivis: in silva Sila fuerunt [*al.* fugerunt]. Vide num scribundum sit *in silvam Silam fugerunt.* Spartacum, cum superiores esse Crassi copias intellexisset, in extremum Bruttium fugisse, unde in Siciliam transiceret, constat (Plut. Crass. 10. App. b. c. I 118 p. 533. Flor. II 8, 12. Drum. l. c.).

8 [Kr. 29. G. 1]. Dolia, quae sub trabes locata vitibus aut virgis vinciebant.

Arus. p. 261: *Sub illam rem locatum. Nove Sal. Hist.* IV: dolia cum sub — vinciebant. *Cum,* quod Gu. exhibet, quia explicari non posse videbatur, recepi Lindemanni emendationem *quae.* Spartacum, cum a piratis desertus esset, rates confecisse, set eis transire in Siciliam frustra conatum esse, testatur Flor. II 8, 13: *ibi circa Brittium angulum clusi, cum fugam in Siciliam pararent neque navigia suppeterent, ratesque ex trabibus et dolea conexa virgultis rapidissimo freto frustra experirentur* — ex quo loco huc referundum esse quod sequitur fragmentum, certissumum est.

9 [Kr. 30. G. 39]. Inplicatae rates ministeria prohibebant.

Prisc. IX p. 473, ubi de duplici forma *inplicitus* et *inplicatus* dicit. Rates fluctibus rapidis inter se inplicitae videntur itaque navigatio prohibita fuisse.

*10 [Kr. 31. G. I 128]. G. Verres littora Italiae propinqua firmavit.

In cod. Gu. Arusiani (p. 254) post *propinquant illi loco* et *propinquant illum locum* haec leguntur: *Propinquum illa re. Salust. Hist.:* G. G. Verris littora Italia propinqua firmavit. Iam in priore *G* latere libri numerum acute Lindemannus perspexit, set minus recte eum VI fuisse suspicatus est. Ubinam enim scriptorem de ea re narravisse credibile est, nisi ubi de Spartaci in Siciliam transeundi consilio dixit? Adparet ergo IV conrigendum esse. Pro *Verris* nominativum restituendum esse quivis videt. Set multo difficilior haec quaestio est rectene grammaticus Sallusti locum rettulerit. Ablativum igitur cum *proxumus* iunctum ratione defendi ipse quondam ad Iug. 18, 11 et 19, 4 p. 166 ostendi. Tamen, cum ratio per se parum valeat, nisi usus adcesserit, Arusiani fides minuitur de altero loco Iug. 18, 11 Diomedis p. 410 testimonio et libris Sallustianis. Ad quae cum adcedat, quod libros iam antiquitus multis modis conruptos fuisse et grammaticos praeiudicata quadam opinione Sallustio mirabilia atque incredibilia adfinxisse constat, eo minus negare audeo Arusianum etiam hoc loco falsa scriptura deceptum fuisse, quo minus caussa fuit, cur Sallustius de Siciliae littoribus dicens, Italiam cum locum delegeret, unde illa regio spectaretur et consideraretur.

11 [Kr. 63. G. 7]. Suspectusque fuit, incertum vere an propter neglegentiam, societatem praedarum cum latronibus conposuisse.

Non. p. 177 sq. sub verbo *componere, exsimulare, fingere* ex libro IIII haec adtulit, ita scripta: *suspectusque fuit incertum vero ac per neglegentiam societatem praedarum cum latronibus composuisset.* Iam in propatulo est, ultumum verbum ab *suspectus fuit* pendere debere itaque infinitivum rescribendum esse, nec minus verbis *incertum* — *neglegentiam* contineri duplicem interrogationem interpositam, in qua primum uti *vere* restituatur dicendi consuetudo postulat, tum *per neglegentiam* ferri non potest. Quid enim hoc: incertum an per neglegentiam suspectus fuerit? Debebat certe 'per suam ipsius neglegentiam'. Facile autem est id in *propter* mutare. Haec de M. Antonio intellegi non posse (Drum. I p. 63),

ex numero libri adparet. In neminem autem melius ea convenire, quam in G. Verrem, acute Kritzius perspexit. De loco ubi ea dicta fuerint, cum quaeritur, num Sallustius de accusatione G. Verris aliter ac per transcursum dixerit, in incerto relinquendum est: set duo fuere loca, ubi illud commodissume scribi potuit, aut ubi de Spartaci consilio in Siciliam transeundi dicebat scriptor, aut ubi de piratarum latrociniis.

12 [Kr. 10. G. 8]. Dissidere inter se coepere neque in medium consultare.

Arus. p. 238: *in medium pro in commune.* — *Salust. Hist.* IIII: dissidere — consultare. Inlustravit Kritzius adlato loco Plut. Crass. 11: *ἐφοβήθη μὲν οὖν ὁ Κράσσος μὴ λάβοι τις ὁρμὴ τὸν Σπάρτακον* [postquam munimenta Romanorum in Bruttio perrupit] *ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν, ἐθάρρησε δὲ πολλῶν ἐκ διαφορᾶς ἀποστάντων αὐτοῦ καὶ στρατοπεδευσαμένων καθ' αὑτοὺς ἐπὶ Λευκανίδος λίμνης, ἣν φασι τρέπεσθαι διὰ χρόνου γενομένην γλυκεῖαν καὶ αὖθις ἁλμυρὰν καὶ ἄποτον.*

13 [Kr. 41. G. 77]. Sapor iuxta fontis dulcissumos.

Arus. p. 262 s. v. *sapor iuxta illam rem.* Ad quid haec verba melius referantur, quam cum Kritzio ad lacum Lucaniae, de quo dixit Plut. l. ad 12 adlato, non invenio.

14 [Kr. 44. G. 61]. Avidior modo properandi factus.

Arus. p. 210: *avidus illius rei.* De Crasso, qui cum Pompeium adventare audivisset, ne gloriam confecti belli cum illo conmunicaret, omni studio Spartacum obprimere studuit (Plut. Crass. 11. App. b. c. I 119 p. 533 extr.), haec dicta fuisse, si non certum, at veri simillumum est.

15 [Kr. 42. G. 3]. Cum interim lumine etiamtum incerto duae Gallae mulieres conventum vitantes ad menstrua solvenda montem adscendunt.

Lemma apud Non. p. 335, qui haec verba ex libro IIII adfert, est *Galliae pro Gallicae*, et ita libri etiam in verbis Sallustianis. At recte Nipperdeius spicil. in Corn. Nep. p. 37 errasse aut Nonium ipsum aut librarios scribundumque *Gallae* statuit, quae sententia minume reicitur eo, quod Kritzius observavit, cum Sallustius *Saguntius* pro *Saguntinus* dixisset (fr. II 23), consentaneum esse eum etiam *Gallius* novasse. Nam in illis adiectivis usum certum et stabilem non fuisse, satis ostendit, quod Ovidius tam saepe pro *Latinus* scripsit *Latius;* at cur *Gallius* contra consuetudinem dicendi scribere auderet nulla fuit caussa. Rem recte inlustravit Kritzius conparato Plut. Crass. 11: *Πρῶτον μὲν οὖν διαγνοὺς τοῖς ἀφεστῶσι καὶ κατ' ἰδίαν στρατευομένοις, ὧν ἀφηγοῦντο Γάϊος Καννίκιος καὶ Κάστος, ἐπιθέσθαι, λόφον τινὰ προκαταληψομένους ἄνδρας ἑξακισχιλίους ἀπέστειλε λανθάνειν πειρᾶσθαι κελεύσας. Οἱ δ' ἐπειρῶντο μὲν τὴν αἴσθησιν ἀποκρύπτειν τὰ κράνη καταμπέχοντες, ὀφθέντες δ' ὑπὸ δυεῖν γυναικῶν προθυομένων τοῖς πολεμίοις ἐκινδύνευσαν εἰ μὴ Κράσσος* cet. Quae qui consideraverit, Plutarchum *ad menstrua solvenda* apud Sallustium aut non legisse aut non intellexisse censebit. Set quae sunt tandem illa *menstrua?* sacra: privata an publica? et cur *solvi*, non obferri aut fieri dicuntur? Qua denique mala fortuna accidit, ut eius rei, quam Sallustius ut omnibus notam conmemorat, nulla apud quemquam veterum scriptorum mentio facta sit? Nisi quam conrupti Noni libri essent, omnes conpertum haberent, non auderem audaciorem emendandi rationem proponere. Puto enim in illis verbis inesse

struem movendam, de quo sacrificiorum genere vid. Cat. r. r. 134, 2 et 141, 4. Fest. p. 248 et 239 ed. Lindem.; in syllaba *men* autem latere mihi videtur nomen dei, cui strues illa conmota sit. Cetera menda *mulieris* et *vitandis* iamdudum sublata sunt.

16 [Kr. 43. G. 41]. Legiones pridie in monte positas arcessivit.

Haec verba apud Prisc. X p. 535 leguntur statim post fr. III 68. Cur *arcessivit* in *lacessivit* mutetur, nulla profecto caussa est, nisi verbis eam sententiam expressam fuisse censeas, quam ipse tibi finxeris. Set quoniam ea ad eandem pugnam, de qua fr. 15 egit, relata sunt, de hoc proelio quae nota sint circumspiciunda sunt. Plutarchus igitur loco ad 15 conlato sic in narrando pergit *εἰ μὴ Κράσσος ὀξέως ἐπιφανεὶς μάχην ἔθετο πασῶν καρτερωτάτην, ἐν ᾗ τριακοσίους ἐπὶ δισχιλίοις καὶ μυρίοις καταβαλὼν δύο μόνους εὗρε κατὰ νώτου τετρωμένους, οἱ δ' ἄλλοι πάντες ἑστῶτες ἐν τάξει καὶ μαχόμενοι τοῖς Ῥωμαίοις ἀπέθανον.* Apud Front. bis de proelio ab Crasso advorsus Gannici et Casti copias conmisso conmemoratum legimus II 4, 7: *(M.) Licinius Crassus fugitivorum bello apud Calamatium (montem) educturus militem adversus Castum et Gannicum, duces Gallorum, duodecim cohortes cum C. Pomptinio et Q. Marcio Rufo legatis post montem circummisit. Qui cum commisso iam proelio a tergo clamore sublato decucurrissent, ita fuderunt hostes, ut ubique fuga, nusquam pugna capesseretur*, et II 5, 34: *Crassus bello fugitivorum apud Calamatium* [volg. *Cathenam*] *(montem) bina castra cominus cum hostium castris vallavit: nocte deinde commutatis copiis, manente praetorio in maioribus castris ut fallerentur hostes, ipse omnes copias eduxit et in radicibus praedicti montis constituit, divisoque equitatu praecepit L. Quinctio, partem Spartaco obiceret pugnaque eum frustraretur, parte alia Gallos Germanosque ex factione Casti et Gannici eliceret ad pugnam et pugna simulata deduceret, ubi ipse aciem instruxerat: quos cum barbari insecuti essent equite recedente in cornua, subito acies Romana adaperta cum clamore procucurrit. Triginta quinque milia armatorum eo proelio interfecta cum ipsis ducibus Livius tradit, receptas quinque Romanas aquilas, signa sex et viginti, multa spolia, inter quae quinque fasces cum securibus.* Quae testimonia non nihil inter se dissentientia si consideraverimus, num de eodem proelio ab Plutarcho et Frontino dicatur, dubium videtur. Nam ex Plutarchi narratione id proelium statim factum videtur esse, cum insidiae in loco edito positae a mulieribus duabus Gallis detectae essent; videntur fugitivi illa sex milia armatorum inpetu petiisse, set Crassus auxilio adcurrens gravissumam cladem edidisse. Quae sex milia armatorum non possunt esse duodecim cohortes, quas Frontinus priore loco conmemorat, quo in errore fuit Drum. IV p. 80; nam eae non in loco edito conlocatae, set post montem circummissae sunt, neque a fugitivis pressae Crassi auxilio liberatae, set ab tergo cum Crassus iam proelio inplicatus esset, incurrentes maxumam stragem fecere. Ad quae adcedit, quod quae Plutarchus de mortuis narrat, prorsus repugnant Frontini verbis *ut ubique fuga, nusquam pugna capesseretur*. Set cum his prorsus conveniunt, quae Plut. de priore proelio ad Lucaniae lacum conmisso memoriae prodidit: *Τούτοις ἐπελθὼν ὁ Κράσσος ἐξέωσε μὲν ἀπὸ τῆς λίμνης, ἀφῃρέθη δὲ τὸν φόνον καὶ τὴν δίωξιν αὐτῶν ἐπιφανέντος ὀξέως τοῦ Σπαρτάκου καὶ τὴν φυγὴν ἐπιστήσαντος.* Quod si per se veri simile est, Frontinum de artificiis eodem proelio ab eodem duce adhibitis divorsis locis dicturum non fuisse, paene certum videtur priorem eius locum ad aliam pugnam, quam alterum referundum esse. Set num regio, in qua proelium conmissum est, recte nominata sit *ad Calamatium (montem)*, an lateat in eo conruptela (ad lacum Lucaniae?), eo minus discernere audeo quod neque de illo lacu, neque de Calamatio multa perquirens quidquam invenire potui. Altero loco fortasse *ad Calamatium montem* verum est, cum in monte hostes

castra habuisse traditum sit; set etiam de ea re iudicium continendum, cum libri Frontini varient et Orosius V 24, quem ex Livio hausisse numerus occisorum fugitivorum ostendit, proelium *ad caput Silari* conmissum esse tradat. Iam si quae Plutarchus de ea pugna, qua Castus et Gannicus cum suis copiis deleti sunt, narravit, cum eis quae Frontin. II 5, 34 tradidit, conparaverimus, certum est illius narrationem non plenam esse — nam lacunam apud eum si statuerem, merito audacior viderer. Ceterum eum apud auctores, quibus usus est, invenisse Spartacum haut longe ab eo proelio abfuisse, verbis quae continuo sequuntur, mihi probari videtur: *Σπαρτάκῳ δὲ μετὰ τὴν τούτων ἧτταν ἀναχωροῦντι πρὸς τὰ ὄρη τὰ Πετηλῖνα.* Set rem diligentius perpendamus. Cum insidiae in monte a Crasso conlocatae per duas Gallas mulieres conspectae essent, fugitivorum duces nihil aliud agere potuere, nisi ut eas, ante quam Crassus ipsos adgrederetur, obprimerent. Qua re Plutarcho fides habenda est, sex milia illa armatorum fugitivorum inpetu in summum discrimen adactos fuisse nec minus eos per Crassum ex hoc periculo ereptos esse, set nullo modo credibile est, tum pugnam ea ratione factam esse, qua Frontinus narravit, nec tamen huic omnem fidem negare possumus. Igitur fugitivos credere debemus tum, cum Crassus eis, quos in insidiis posuerat, auxilio veniret, ne ancipiti periculo caperentur, se recepisse et montem minus longe ab Spartaci castris dissitum occupavisse: ibi tum ab Crasso eo modo pugnam factam esse, quo Frontinus tradidit, apud Plutarchum autem relicuis omissis statim exitum eius pugnae adiungi. Cui sententiae si quis obponat, de numero occisorum longe discrepare Plutarchum et Frontinum, quam multa in talibus rebus ficta ultraque omnem modum aucta tradita sint apud scriptores, recordetur: illud potius tenendum est, quae Sallustius narraverit — nam ex eo Plutarchum hausisse certum videtur — multo maiorem speciem veri prae se ferre, quam quae Livius memoriae prodiderat (sic iudicavit tacite Momms. H. R. III p. 79). Iam ut tandem ad Sallusti verba, quae mihi tam longae disgressionis caussam praebuere, revortar, non video quem in his rebus locum habuerint, nisi legiones putes sex milia illa armatorum, de quibus Plutarchus narravit fuisse easque, cum fugissent fugitivi, ab Crasso in castra sua reductas esse. Cum autem rem talem, in qua ea verba recte dici potuerint, in alio bello accidisse negare nequeamus, cautius videtur fateri nos quo illa pertinuerint prorsus nescire.

Cum Sallustium de situ ac natura Italiae extremarum regionum atque Siciliae insulae littorum dixisse, ubi res ab Spartaco et M. Crasso in illis gestas enarravit, paene certum sit, fragmenta ad illa spectantia hic subiungere non dubito, quamquam plerisque apud veteres scriptores libri numerus non additus est.

***17** [Kr. 32. G. 16]. Italiae plana ac mollia.

Serv. ad Verg. A. III 522: *humilemque videmus Italiam; aut naturam provinciae ostendit (quod verum est in illo transitu), ut Sallustius* Italiae plana ac mollia [*al. leg.* Italia plana ac *vel* et mollis]. Nisi Servium prorsus inconsiderate hunc locum adtulisse credis, Sallustium haec non de omnibus Italiae regionibus planis ac mollibus dixisse adparet, set de littoribus meridionalibus (vid. fr. 20).

***18** [Kr. 33. G. 13]. Omnis Italia coacta in angustias finditur in duo promunturia, Bruttium et Sallentinum.

Serv. ad Verg. A. III 400: *Sallentinum promontorium Italiae est [inter Calabriam et Bruttios]; nam ut ait Sallustius:* Omnis — Sallentinum, ubi conrupte nonnulli libri *inter;* set cur Kritzius et Gerlachius *finditur,*

quod nulla conmemorata scripturae divorsitate apud Lion. legitur, in *scinditur* conmutandum putaverint, non percipio. Ex eis autem, quae scripserunt Strabo V p. 289 Mein. *ἡ λοιπὴ δ' Ἰταλία στενὴ καὶ παραμήκης, κορυφουμένη διχῶς, τῇ μὲν πρὸς τὸν Σικελικὸν πορθμὸν τῇ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν, σφιγγομένη δ' ἑκατέρωθεν* (i. e. coacta in angustias) *τῇ μὲν ὑπὸ τοῦ Ἀδρίου τῇ δ' ὑπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους*, et Pomp. Mel. II 4, 1: *Verum ubi longe abit, in duo cornua scinditur respicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium, tota angusta et alicubi multo quam unde coepit angustior* (conl. ibid. 8), ut ex ipsis Sallusti verbis intellegitur eum promunturii vocabulo non de extremis in altum procurrentibus linguis, set de paeninsulis in mare prominentibus dixisse. Sic Pacuvius 94 ed. Ribb. de Ida scripserat: *Promunturium quoius lingua in altum projcit;* cfr. Caes. B. G. III 12: *(oppida) posita in lingulis promunturiisque* ibiq. Kraner.

19 [Kr. 34. G. 14]. **Ad Siciliam vergens faucibus ipsis non amplius patet milibus quinque et triginta.**

Arusianus p. 254 s. v. *patet tot pedibus*, quem locum male intellexisse patet. Cum Plut. Crass. c. 12 *τάφρον ἐμβαλὼν ἐκ θαλάσσης εἰς θάλασσαν διὰ τοῦ αὐχένος σταδίων τριακοσίων* scripserit, eaque longitudo ad mensuram ab Sallustio dictam proxume adcedat, non dubium est, quin hic eum locum significare voluerit, per quem Crassus fossam duxit (cfr. Momms. III p. 79 not.). Quod si ita est, adparet *fauces* non cum Kritzio fretum Siculum intellegendas esse, set angustissumam Bruttiae paeninsulae partem.

*20 [Kr. 35. G. 15 et 20]. **Italiae Siciliam coniunctam fuisse constat: set medium spatium aut per humilitatem obrutum est aut per angustiam scissum. Ut autem curvum sit, facit natura *humilioris et* mollioris Italiae, in quam asperitas et altitudo Siciliae aestum relidit.**

Adtulit haec Serv. ad Verg. A. III 414. Isid. Or. III 18, 3 p. 426: *Fretum Siciliae, quod Rhegium dicitur. Salustius tali ex caussa vocari scribit dicens Italiae olim coniunctam fuisse Siciliam, et dum esset una tellus, medium spatium aut per humilitatem abruptum est aquis aut per angustiam scissum. Et inde Ῥήγιον nominatum, quia Graece abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autem artissimum trium milium spatio Siciliam ab Italia dividens, fabulosis infame monstris, cuius hinc inde Scylla et Charybdis ostenditur.* Ex Isidori verbis igitur apertum est, Sallustium etiam de originatione nominis Ῥήγιον dixisse, set quo connexu id cum relicuis fuerit, certo constitui posse diffido. At haut absurda haec videtur suspitio, praecessisse illud verbis ab Servio adlatis, et paene certum videtur *abruptum est aquis* ab Isidoro ex priore loco in posteriorem perspicuitatis caussa translatum esse. Nam nisi illud praecessisset, in verbis quae apud Servium leguntur, aegre ablativo velut *aquis* vel *fluctibus* vel *mari* careremus. Num relicua Isidorus ab Sallustio sumpserit, incertum est, certe quae illius fuerint, indagari non potest. Unde quod Kritzius et Gerlachius ante *curvum* exhibuere, *tam* sumptum sit ignoro; apud Lion. non legitur. Nec vero obscurum erit, cur *humilioris* inserendum putem. Etenim non credo Sallustium, scriptorem in exaequandis obpositis diligentissumum, nihil scripsisse, quod altitudini Siciliae responderet.

*21 [Kr. 36. G. 19]. **Scyllam adcolae saxum mari inminens adpellant simile celebratae formae procul visentibus.**

Isid. Or. XIII 18, 4 p. 426, his additis: *unde et monstruosam speciem fabulae illi dederunt, quasi formam hominis, caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere.* Serv. ad Verg. A. III 426: *Sallustius* saxum *esse dicit*, simile formae celebratae procul visentibus. *Canes vero et lupi ob hoc ex ea nati esse finguntur, quia ipsa loca plena sunt monstris marinis et saxorum asperitas illic imitatur latratus canum.* Cum aperte Servius Sallusti verba in brevius contraxerit, profecto non video, cur priora illa verba quae apud Isidorum leguntur, ipsa Sallustiana esse negemus, nisi ea indigna illo scriptore fuisse ostenderis (vid. Kreyss. ad Sall. Fragm. Vatic. 1835 p. 54). Cum vero neque ab Sallusti ingenio alienum videatur omnium de Scylla fabularum originem explicare, et sit in quo species quaedam Sallustianae orationis adpareat, relicua quoque ab eo scripta fuisse suspicor, set neque quae eius verba fuerint neque quo connexu, divinare audeo.

22 [Kr. 37. G. 17]. Charybdis mare vorticosum, quod forte inlata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad littora trahit, ubi se laniata navigia fundo emergunt.

Hoc fragmentum ex conpluribus veterum scriptorum locis recte editores confecere. Primum Isid. Or. III 18, 5 p. 426 haec tradidit: *Charybdis dicta, quod gurgitibus occultis naves absorbeat. Est enim mare vorticosum et inde ibi laniata naufragia profundo emergunt. Ter autem in die erigit* [*an* egerit?] *fluctus et ter absorbet. Nam accipit aquas ut evomat, vomit ut rursum accipiat.* Serv. autem ad Verg. Aen. I 117: *quod de Charybdi legitur — de quo ait Sallustius* Charybdis mare verticulosum, pro quo *vorticosum* scribendum esse et ex Isidori loco et Plin. H. N. III 8, 14 adparet. Deinde Serv. ad Verg. A. III 420: *unde naturam pristinam servat. Nam sorbet universa [quae prehendit] et secundum Sallustium ea circa Tauromenitanum littus egerit*, atque ad 425: *trahentem: Sallustius* quod forte inlata naufragia sorbens gurgitibus occultis milia sexaginta Tauromenitana ad littora trahit. Denique Arus. p. 229: *emergit se. Salust. Hist.* IV: ubi se laniata navigia fundo emergunt. Ceterum cum Sen. nat. qu. VII 8, 2 p. 302 ed. Haas. haec scripserit: *deinde turbinum motus vagus est et disiectus et ut Sallustii utar verbis*, vorticosus, *cometarum autem* cet., et Gerlachius et Kritzius hoc singulare fragmentum esse voluerunt, ille Sallustium multum fuisse in ventorum caussis aperiendis ratus (III 78), hic de vento, qui in Armenia minore M. Fabi et Mithridatis castra disturbavit (App. b. M. 88 p. 395, 10), dici arbitratus (V 6). Set verba Senecae si diligenter consideraveris, nihil eum ab Sallustio sumpsisse patet, nisi vocabulum *vorticosus*, neque obfendit pluralis *verbis*, quamvis facile sit emendare *verbo*. Iam ne illud quidem certum esse adparet, utrum Sallustius vocabulo illo de turbine vel vento dixerit, an Seneca de alia re dictum ipse ad turbinum motus transtulerit. Mihi quidem, cum constet Sallustium *mare vorticosum* dixisse, cautius videtur hoc statuere.

23 [Kr. 38. G. 18]. Triplici fluctu.

Serv. ad Verg. A. I 116, quae ad Charybdim pertinuisse ex loco Isidori ad 22 adlato adparet.

24 [Kr. 39. G. 21]. Pelorum promunturium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto.

Serv. ad Verg. Aen. III 411: *Pelori; promunturium Siciliae est secundum Sallustium, dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto, qui fuerat occisus per regis ignorantiam, cum se eius dolo crederet esse deceptum, veniens de Petilia: quamquam legerimus etiam ante Pelorum dictum.* Isid. Or. XIV 7, 4

p. 454: *Pelorum promunturium Siciliae respiciens Aquilonem, secundum Sallustium dictum a gubernatore Hannibalis illic sepulto.* De re cfr. Mel. II 7, 15. Val. Max. IX 8, 1. Strabo I p. 12, 21 et III p. 232, 24 Mein.

*25 [Kr. 57. G. 35]. M. Lollius Palicanus, humili loco Picens, loquax magis quam facundus.

Quint. i. o. IV 2, 2: *Haec est narratio.* — — *Non enim solam volunt esse illam negotii, de quo apud iudices quaeritur, expositionem sed personae, ut* M. Lollius — facundus. Gell. N. A. I 15, 12: *Eupolidis quoque versus de id genus hominibus consignatissime factus est: λαλεῖν ἄριστος, ἀδυνατώτατος λέγειν, quod Sallustius noster imitari volens adscribit:* loquax *inquit* magis quam facundus. Cum M. Lollium Palicanum constet a. 71 trib. plebei Pompeio in contione ad populum dicendi potestatem fecisse (praeter eos quos iam Kritzius laudavit, Zumpt. ad Cic. in Verr. I 47, 122 p. 204; Ellendt ad Cic. Brut. 62, 223 p. 402, Drumann. IV p. 382 et 386, 78, cfr. Momms. H. R. III p. 91 extr.), cui libro hoc fragmentum adsignandum et ad quam rem referundum sit, dubium non est; nec vero negaverim inter ea quae secuntur fragmenta locum habuisse. Vid. fr. inc. 99.

26 [Kr. 59. G. 30]. Qui quidem mos ut tabes in urbem coierit.

Fest. p. 273 Lindem. *Tabem eam quae faceret tabescere apud antiquos usurpatum. Sallustius quoque frequenter, ut in Catilina — —. Et in lib.* IV *historiarum:* qui — coierit. Quae verba quamvis mira sint, tamen emendatione (Carrio: *coniectus*) abstinendum videtur, cum neque quo connexu dicta fuerint adsequi possimus, et recte is mos in urbem coire dicatur, qui ex provinciis urbem invaserit in eaque quasi sedem fixerit. Quae si vera sunt, verba illa de tribuniciis turbis dicta fuisse veri prorsus dissimile est, set recte potuere dici de more expoliandarum provinciarum, qui quidem ita in urbem coiit, cum iudices senatores partem pecuniarum ereptarum sibi vindicare studerent, ut consuetudo iniustorum iudiciorum ex provinciis quasi tabes etiam urbem intraret (Momms. III p. 86). Cum autem M. Lollium Palicanum constet in Sthenii Siculi caussa de his iniuriis ad plebem dixisse (Cic. in Verr. II 41, 100. Drum. V p. 386, 78), fragmentum illud mihi non sine omni veri specie praegresso adiunxisse videor.

27 [Kr. 60. G. 31]. L. Hostilius Dasianus, inquies animi.

Arus. p. 242 s. v. *inquies illius.* Cum cod. Gu. Hostibus exhibeat, rectius Ruhnk. ad Vellei II 68, 3 inde *Hostilius* effecit, quam Lindemannus *Hostius.* Si autem verum est, quod Kritzius suspicatur, hominem illum in eis fuisse, qui tum populum exagitavissent, cur hoc fragmentum ante ea, quae secuntur, posuerim, facile intellegetur.

28 [Kr. 52. G. 26]. Exercitum dimisit, ut primum Alpis digressus est.

Arus. p. 223 s. v. *digredior illum locum.* Haec de alio quam de Q. Metello Pio dicta esse non posse, iamdudum intellectum est (vid. Momms. H. R. III p. 91).

*29 [Kr. 53. G. 27]. *[Pompeius]* de victis Hispanis tropaea in Pyrenaei iugis constituit.

Serv. ad Verg. A. XI 6: *constituit in tumulo; in colle: quia tropaea non figebantur nisi in eminentioribus locis. Sallustius de Pompeio:* devictis

Hispanis tropaea in Pyrenaeis iugis constituit. Cum Guelf. I et II *Pyrenaei* exhibeant (al. *Pyreneae*), id recipiundum esse docuit Linkerus Em. p. 31. Set cum ex Plinio constet (H. N. VII 27, 96) Pompeium tropaea posuisse cum ex Hispania rediret, et in earum titulis Sertorium tacuisse, scribendum esse *de victis* facile adparet. Cfr. Tac. ab exc. XV 18: *At Romae tropaea de Parthis arcusque medio Capitolini montis sistebantur.*

30 [Kr. 55. G. 34]. Si nihil ante adventum suum inter plebem et patres convenisset, coram se daturum operam.

Prisc. XIV p. 52 de *coram* dicens haec verba adfert. Verba Pompei fuisse iam in itinere voluntatem suam conponundarum discordiarum civilium declarantis in propatulo est. Verba per se ambigua sunt, cum non ostendant, utris partibus fautor et adiutor futurus sit — nam etiam optumates in eius adventum rem distulisse demonstrat Macer III 61, 21 — set talis ambiguitas prorsus ingenio Pompei convenit. Ceterum vid. ad 32.

31 [Kr. 56. G. 33]. Multisque suspitionibus volentia plebi facturus habebatur.

Non. p. 126: *Volentia i. e. quae vellent. Sallustius Historiarum lib.* IIII: multisque — habebatur. Nondum certum fuisse utri parti se adiuncturus esset Pompeius, cum hoc fragmentum ostendat, post 30 ponendum esse adparet. Talem suspitionem inde natam esse, quod exercitum sese post triumphum statim dimissurum adfirmasset, Plutarchus narrat Pomp. 21.

32 [Kr. 58. G. 29]. Multitudini ostendens, quam colere plurumum, ut mox cupitis ministram haberet, decreverat.

Arus. p. 248 s. v. *minister his.* Conruptam libri Gu. scripturam *ut mox cupit is* egregie emendavit van der Hoeven spec. p. 48. Set quae sunt *mox cupita?* Nam etsi *mox* ad *haberet* refertur, tamen ea quae cuperentur, mox eventura esse speratum esse adparet. Respondit Kritzius, verba apertissume spectare ad Gn. Pompeium, et ad eam contionem, quam consul designatus M. Lollio Palicano dante habuit (Cic. in Verr. Act. I 15, 45 ad eumque locum Ascon. p. 148), cupita ergo esse summam ac nullis finibus circumscriptam in re publica potentiam. Set vereor ne haec cum Pompei ingenio ac sententia non prorsus conveniant, qui quidem post consulatum minume multitudinem coluerit, set ubique magno cum comitatu ingrediens ab aditu prohibuerit (Drum. IV p. 392). Omnino quis est, qui ignoret Gn. Pompeium minus ad summum potentiae fastigium properasse? Ac certius quidem iudicare possemus, si quid obiecti ad verbum *ostendens* relatum fuisset compertum haberemus. Nam quod van der Hoeven coniecit *ostendens se* uti non prorsus reiciundum, ita tamen dubium est. Cum vero *ostendere* usurpatum sit ab Sallustio de eis, quae futura promittuntur (vid. quae olim ad Iug. 23, 1 p. 184; 49, 5 p. 347 al. l. disputavi), quid inpedit, quo minus h. l. eodem modo dictum putemus et *cupita* intellegamus triumphum et consulatum et agrorum adsignationes (Momms. III p. 89)? Similis tum argumenti haec verba sunt ac fr. 30 et 31. Quid quod fateor mihi non inconditam videri sententiam, si haec verba cum 30 coniungantur: 'Si — se daturum operam multitudini ostendens, quam — decreverat'. Set nolo id pro certo venditare.

33 [Kr. 54. G. 9]. Conlegam minorem et sui cultorem expectans.

Arus. p. 220: *cultorem sui.* Haec verba si ad petitionem consulatus in annum 70 pertinuere — id quod nemo facile infitiabitur —, variae patent eorum explicandorum viae ac rationes. Possunt enim, quae Kritzii est haut inprobabilis sententia, intellegi de M. Crasso, qui cum conlegam se habiturum virum se inferiorem sibique deditissumum speravisset, subito Gn. Pompeium conpetitorem futurum conpererit, nec minus de Pompeio, qui cum Crassus ab eo ne suam petitionem aegre ferret petiisset (Plut. Pomp. 22. Crass. 12), fore ut ille in magistratu minorem animum gereret sibique obsequeretur, confisus sit, id quod certe principio consulatus evenit (Momms. III p. 95).

34 [Kr. 62. G. 72]. **Crassus obtrectans potius conlegae quam boni aut mali publici gravis existumator.**

Verba extant ap. Arus. p. 250 cum lemmate *obtrectans illi*, set corrupte in cod. Gu. legitur *gravis exactos.* Pro quo Gerl. scripsit *exactor*, facili mutatione set pervorsa sententia. Nec veri similis est Kritzii sententia illud ex *auctor* factum esse. Cum vero nihil certius sit, quam illa verba dicta fuisse de M. Crassi in consulatu actionibus, ex participio *obtrectans* autem et ex relicuis verbis adpareat membrum finitum hoc continuisse: eum legibus ab Pompeio latis obstitisse, manufestum est obtrectationi obpositum fuisse verum rei publicae studium, quod ab iudicio de rebus agendis aut actis pendet. Quam ob rem scripsi *existumator,* cum hanc fuisse sententiam statuerem: Crassus in senatu (Plut. Pomp. 22. Momms. III p. 95) obstitit, obtrectandi potius studio quam recto iudicio, num res ab Pompeio actae rei publicae prosperae et utiles, an infelices et malae futurae essent. Possis suspicari *aestumator*, set vid. Madv. ad Cic. d. fin. III 2, 10.

35 [Kr. 50. G. 28]. **At Gn. Lentulus patriciae gentis, conlega eius, cui cognomentum Clodiano fuit, perincertum stolidior an vanior, legem de pecunia, quam Sulla emptoribus bonorum remiserat, exigunda promulgavit.**

Haec verba Gellio N. A. XVIII 4 caussam longioris disputationis de significatione adiectivorum *vanus* et *stolidus* praebuere. De re, de qua egit lex promulgata, Cicero dixit acc. Verr. III 35, 81, set ita ut non legem, verum aliquot senatus consulta conmemoraret, quo Kritzii et Mommsenii (H. R. III p. 94) sententia Gn. Lentulum non cos. a. 72 (Drum. II p. 546), set cum censuram eodem L. Gellio Poplicola conlega gereret a. 70 [vid. Fischer Tab. p. 204], legem illam tulisse confirmatur. Quae eadem aliquid inde munimenti accipit, quod Gell. l. c. *stolidos* definivit esse *austeros et molestos et inlepidos, quos Graeci* μοχθηροὺς καὶ φορτικοὺς *dicerent.* Nam censuram illam severe gestam et multos senatu motos esse constat [Momms. l. c. p. 93. Drum. l. c.]. Si iam verba consideraverimus, adparet quod Gn. Lentulus fecit, obpositum fuisse ei, quod L. Gellius egerat. Quod quid fuerit quamquam traditum non est, tamen suspicari possumus, severitatem illam in nobiles ab L. Gellio potissumum exercitam esse, Gn. Lentulum, patricium hominem, minus fortem se ostendisse, set ut ipse aliquid egisse videretur, legem de pecunia ab emptoribus bonorum exigunda promulgasse. Ita demum intellegitur, cur Sallustius *patriciae gentis* adiecerit, quoque iure gravissumum hoc vituperium *perincertum stolidior an vanior* illi iniunxerit. Nam qui eius ingenium noverit, eum severitatem illam non vituperaturum, set laudaturum potius fuisse intelleget. Neque illud incertum est, vanitatis et stultitiae crimen eum non inpositurum fuisse Gn. Lentulo, nisi ipsa illa lege confirmari visum esset. Quod si *vanus* et *stolidus* ita differre perspicuum est,

ut *stolidus* sit qui intellegundi facultate careat, *vanus* qui levitate quo minus recta ac vera sequatur prohibeatur, videmus Sallustium sane dubitare potuisse, utrum rectius Gn. Lentulo obprobrio daretur, qui cum de rebus maxumis et gravissumis, de tollendis Sullae institutis, ageretur, lege de re, quae iam senatus consultis confecta erat, promulganda gloriam quaesivisset. Ceterum eis, quae de tempore legis latae dicta sunt, satis defenditur locus, quo hoc fr. posui.

36 [Kr. 61. G. 73]. Sestertium tricies pepigit a C. Pisone.

Arus. p. 251 cum lemmate *paciscor ab illo illam rem.* Alium illa aetate G. Pisonem non novimus, quam qui anno 67 cum M'. Acilio Glabrione cos. fuit (Drum. II p. 92—95). Eum saepius in ambitus suspitione fuisse scimus, at quis atque quid ab eo pepigerit prorsus ignoratur. Set ut coniecturae periculum faciam, cum rem pactam magnam et amplam fuisse adpareat, vel cum a. 67 latum esset, ut alteri consulum Pontus et Bithynia provinciae decernerentur (Momms. H. R. III p. 98 sq. Drum. IV p. 159), M'. Acilium ab G. Pisone, ut sibi eas concederet, pepigisse suspicor, vel Lucullum, qui L. Quinctium pecunia ab sui obtrectatione dimovere studuerit, etiam a G. Pisone ne sibi succederetur pepigisse (V 8), set simul apud Arus. in numero libri erratum et restituendum esse V. Certe numerus mutandus est, etiam si aliam suspitionem probemus. Haut absurdum enim est autumare, G. Pisonem cum dilectus a Pompeio adversum praedones maritumos habendos inpedire conaretur (Momms. III p. 108), id conruptum ab M. Crasso vel alio homine nobili fecisse.

37 [Kr. 51. G. 82]. Atque hiavit humus multa, vasta et profunda.

Non. p. 218: *Hiare est aperiri. Sallustius Historiarum lib.* IIII. Scite Kritzius ad terrae motum rettulit, quo a. 71 vel 70 Roma urbs concussa est teste Phlegonte ap. Phot. p. 84 a.

*38 [Kr. 46. G. 51]. Serv. ad Verg. Aen. VII 604: *lacrimabile bellum; Getarum fera gens etiam apud maiores fuit. Nam ipsi sunt Mysii, quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos,* ex quibus verbis profecto nihil aliud conici potest, quam ab Sallustio narratum fuisse bellum ab M. Terentio Varrone Lucullo adversus Mysos Europaeos, qui postea Mösi nominati sunt, gestum, de quibus a. 71 triumphavit (Drum. IV p. 177 sq. Fischer. tab. p. 204); cfr. App. Ill. 29 p. 441 extr. Oros. VI 3. Eutrop. VI 10 (8). Liv. Ep. XCVII.

*39 [Kr. 47. G. inc. 55]. Cum Probus p. 110 scripserit: *'zo', hac quoque syllaba nullum nomen repperi terminatum, nisi unum barbarae civitatis, lectum in Sallustio: 'Vizzo, Vizzonis',* summa cum veri specie viri docti censuere eandem eam urbem fuisse, quae ap. Arr. perip. 13 *Βίζος*, ap. Strab. I p. 76, 25 et VII p. 438, 30 *Βιζώνη*, ap. Eutr. VI 10 (8), qui eam ab M. Lucullo captam memoriae prodidit, conrupte *Burziaone* vocatur.

40 [Kr. 48. G. 24]. In quis notissumus quisque aut malo dependens verberabatur, aut inmutilato corpore in prora patibulo eminenti adfigebatur.

Non. p. 249: *Patibulum est crux. Sallustius Historiarum lib.* IIII: in quis notissimus quisque et malo deperdens verberabatur, aut inmutilato corpore improbi patibulo eminens affigebatur. Priora verba quin recte iamdudum emendata sint, dubitari nequit: at in posterioribus primum *inmutilato* difficile est, non quo de scriptura ambigendum videatur, quamquam Ursinus *mulcato* coniecit, set quia vocabulum apud nullum alium scriptorem invenitur nisi in cod. Theodos. IV 22, 1. Scilicet viri docti nonnulli, ut Freundius Lex. s. v., quo maior esset piratarum crudelitas, de qua dici manufestum est, vocabulum *mutilati* hoc loco praefixa praepositione *in* auctam notionem exprimere putavere: quam sententiam quo minus conprobemus et codicis Theodosiani locus obstat, et res ipsa, cum gravior cruciatus sit eorum, qui integri cruci adfiguntur, quam qui mutilati per artus celerius expirant. Cum autem Noni libri *improbi* exhibeant, variae initae sunt viae. Lipsius ant. lect. II 4 *in proris* coni., Putschius *in puppi*, Colerus *improbe*, Cortius *improbo*, ita interpretatus ut inprobum diceretur pro: ad subplicia inproborum, cui sententiae adstipulatus est Kritzius. Neque infitior aliquam similitudinem habere ea exempla latinae dictionis, de quibus egit Naegelsbach Theor. d. l. St. p. 62 sq., at ea omnia non ambigua sunt neque aliam admittunt explicationem, *inprobum patibulum* obscure dictum esset, quia quivis id ita acciperet, ut *inprobitatis* instrumentum putaret. Set nisi fallor, Sallustius non potuit non locum significare, ubi cruces in navigiis erectae fuissent. Qua re cum Gerlachio Lipsii emendationem probavi, quippe quae proxume ad librorum scripturam adcederet, set singularem scribere malui propter praegressum *malo*. Postremo *eminens*, pro quo in b *eminus* scriptum est, mihi displicuit, cum mire dictum esset pro *sublimis*, ex alto conspicuus. Ipsum potius patibulum eminere dicendum fuit.

41 [Kr. 49. G. 2]. Demissis partem quasi tertiam antemnis.

Arus. p. 253 cum lemmate *partem demissus*. Quamquam illud ab multis nautis sic institui potuisse non infitiandum est, tamen cum libro IV de piratis narratum fuisse conpertum habeamus, ut ad eos verba referamus probabilitatis rationes videntur postulare.

42 [Kr. 1. G. 44]. Amisumque adsideri sine proeliis audiebat.

Prisc. VIII p. 435: *'obsideo' vero et 'assideo' activa sunt, faciunt enim 'obsideor' et 'assideor', unde Sallustius in* IIII *historiarum:* Amisumque [*sic ex K et Dousae ci. recte emend. quod in libris relicuis est* amissumque] — audiebat. De Amiso diu per L. Luculli copias obsessa vid. Drum. IV p. 135. Momms. III p. 54 et 56. Non dubium est quin *audiebat* verbi subiectum cogitandus sit Mithridates vel alius Romanorum hostis.

43 [Kr. 69. G. 75]. Quia praedatores facibus sibi praelucentes ambustas in tectis sine cura reliquerant.

Arus. p. 256 s. v. *praeluceo*, ubi conrupte scribitur: *qui praetores*. Locum recte emendavit et inlustravit, conlatis Plut. Luc. 19 verbis de capta Amiso: πάντα γὰρ ἐξερευνῶντες ὑπὸ λαμπάδων καὶ πανταχοῦ φῶς ἐπιφέροντες αὐτοὶ τὰ πλεῖστα τῶν οἰκημάτων καθεῖλον, Linker. em. Sall. p. 32 sq. set iam antea in eandem emendationem inciderat Wagner A. g. IX p. 108.

44 [Kr. 2. G. 68]. **Simul eos et cunctos iam inclinatos laxitate loci plures cohortes atque omnes ut in secunda re pariter acres invadunt.**

Non. p. 90: *Laxitas. Sallustius Historiarum lib.* IIII. In eius libris cum scriptum sit *laxitas et loci*, veri simillima sane est Merceri et Carrionis ci. *laxitate loci.* Deinde libri *acre*, quod quamvis quodam modo defendi possit (vid. quae olim ad Iug. 5, 4 p. 45 adnotavi), tamen cum neque intellegatur cur Sallustius, qui adverbio *acriter* tam saepe usus sit, h. l. eo uti noluerit — nisi forte id eum mirabilium studio fecisse censes — et perspicuum sit rectissume dici quibus animis invadentes fuerint, cum Gerlachio facillumam emendationem *acres* recipiundam putavi. Set ut de sententia primum exponatur, *laxitate loci* cum *inclinatos* coniungi non posse adparet, cum *inclinare* de eis tantum dictum sit, qui pugna recedere coguntur, neque omnino quid tandem spatiositas locorum ad inclinandam aciem adferat perspiciatur. At laxitate loci ut pluribus simul hostium invadendorum copia fiat, efficitur, unde ablativum illum cum *plures* coniungendum esse patet. Sic igitur factam rem, de qua Sallustius narrat, cogitare debemus: cum hostes in angustiis inpetu facto iam in spatiosiora loca cedere coacti essent, ea loci oportunitate usas plures quam antea cohortes eos invasisse atque omnes ut in secunda re ad pugnandum acres fuisse. Id in proelio ad Mithridatis castra apud Cabira conmisso factum esse credibile non esse, qui omnia de eo veterum scriptorum testimonia exploraverit, facile sibi persuadebit, set similis videtur pugna fuisse, de qua Plut. Luc. 17 init. narrat: Ἐκ τούτου Σωρνάτιος μὲν ἐπὶ σῖτον κομιδὴν ἐπέμφθη μετὰ δέκα σπειρῶν (σπεῖρα et de manipulis et de cohortibus dici notum est), καὶ καταδιωχθεὶς (ergo in augustias conpulsus) ὑπὸ Μενάνδρου, τῶν Μιθριδάτου στρατηγῶν ἑνός, ἀντέστη καὶ συμβαλὼν φόνον ἐποίησε πολὺν καὶ τροπὴν τῶν πολεμίων. Nec vero infitior aptissume haec verba locum habere potuisse in descriptione pugnae ad Arsaniam factae (vid. fr. 62).

45 [Kr. 3. G. 71]. **Ita in castra sine volnere introitum.**

Arus. p. 245: *introitum in illa loca,* ubi aut in lemmate erratum est, aut locus Sallusti in libris male scriptus: *ita castra sine vulnere introitum.* Set ea scriptura duobus Servi locis defenditur, ad Verg. A. X 628, ubi Sallusti *castra sine volnere introitum* conparatur cum Vergili *pacem Troiano ab rege petendum* et ad XI 230: *Pacem Troiano ab rege petendum: sicut etiam supra diximus, cum per gerundi modum aliquid dicimus, per accusativum elocutionem formemus necesse est, ut* petendum mihi est equum. *Lucretius:* aeternas quoniam poenas in morte timendum. *Item Sallustius:* castra sine vulnere introitum. *Nam 'castra' accusativus pluralis est, qui multis errorem facit ut videatur esse nominativus: quia neutra triptota sunt et similis est nominativus accusativo.* Quibus testimoniis nonne cedere debet lemma apud Arusianum, praesertim cum ipsi loco adlato repugnet? Set primum mecum consideres quaeso, quam futilia atque inania sint verba ab Servio adiecta. Nonne tibi audire videris Asperum illum, quem iam alio loco fr. III 35 insana Sallustio adfinxisse deprehendimus? Et cum quibus exemplis is locus conparatur? Nonne gerundi longe alia est natura quam passivi inpersonaliter dicti (vid. Forbig. ad Verg. Aen. XI 230 p. 351 sq.)? Quid tandem Sallustium conmovisse opinaris, ut cum *introire* cum acc. iungi soleret, ergo passivum recte usurpare posset, tamen novum et inauditum genus dicendi proferre mallet? Talia fingere umbratilis potius grammatici est, quam eius scriptoris, qui hominibus politis et prudentibus styli existumatoribus se scribere sciat. Ergo equidum ego non dubito, quin falsa ab grammaticis relata sint. Set de eo haesito, utrum Sallustium scripsisse censeam *castra — introita*, an se-

cundum Arusiani lemma: *in castra — introitum;* hoc autem tutius mihi videtur. Set ad quam rem ea verba pertinuerint si quaesiveris, ad nihil quod in libro IIII narratum fuit, aptius referas, quam ad castra Mithridatis apud Cabira captis (vid. ad fr. 44).

*46 [Kr. 4. G. 41]. Cultu corporis ornata egregio.

Serv. ad Verg. G. I 3: *Et 'cultum' hic habitudinem corporis significat, alias ornatum. Sallustius:* cultu — egregio (vid. Iug. 33, 1). Nisi qui coniecturae, ne tum quidem cum certa indicia ad eam ducant, quidquam tribuendum neget, Kritzio adsentietur haec ad Mithridatis coniugem, Monimen Milesiam, referenti. Quam cum Plut. Luc. 18 tum, cum Bacchides eunuchus ut se ipsa interficeret optionem daret, diademate ornatam fuisse narret, vix probabiliorem verborum explicandorum rationem invenias.

*47 [Kr. 5. G. 42]. Tenuit Lucullus thensauros, custodias regias.

Haec verba commemorata ab Pompeio A. D. p. 190. 191 egregie Kritzius inlustravit conparatis verbis Plut. Luc. c. 18: *Τὰ δὲ Κάβειρα λαβὼν καὶ τῶν ἄλλων φρουρίων τὰ πλεῖστα θησαυροὺς τε μεγάλους εὗρε καὶ δεσμωτήρια, πολλῶν μὲν Ἑλλήνων, πολλῶν δὲ συγγενῶν τοῦ βασιλέως καθειργμένων, οἷς πάλαι τεθνάναι δοκοῦσιν οὐ σωτηρίαν, ἀλλ' ἀναβίωσιν καὶ δευτέραν τινὰ γέννησιν ἡ Λουκούλλου χάρις παρέσχεν.*

48 [Kr. 6. G. 54]. Insolens vera accipiundi.

Adfert Don. ad Ter. Andr. V 4, 4, ut *insolens* idem esse atque insolitus, insuetus doceat. Quae verba non dubium est quin recte Kritzius censuerit dicta fuisse de Tigrane, Armeniae rege, ad quem Lucullus Appium Claudium qui Mithridaten expostularet miserat. Haec enim Plut. Luc. c. 21: *Ταύτην μέντοι τὴν τραγῳδίαν οὐχ ὑποτρέσας οὐδ' ἐκπλαγεὶς ὁ Ἄππιος, ὡς ἔτυχε λόγου πρῶτον, ἄντικρυς ἥκειν ἔφη Μιθριδάτην ἀπάξων ὀφειλόμενον τοῖς Λουκούλλου θριάμβοις ἢ καταγγέλλων Τιγράνῃ πόλεμον, ὥστε τὸν Τιγράνην, καίπερ ἐν διαχύσει τοῦ προσώπου καὶ μειδιάματι πεπλασμένῳ πειρώμενον ἀκούειν τῶν λόγων, μὴ λαθεῖν τοὺς παρόντας ἠλλοιωμένον τῇ παρρησίᾳ τοῦ νεανίσκου, φωνῆς σχεδὸν ἐλευθέρας ἀκούοντα διὰ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν· τοσαῦτα γὰρ ἐβασίλευσε, μᾶλλον δὲ ὕβρισεν.*

49 [Kr. 7. G. 46]. Tetrarchas regesque exterritos animi firmavit.

Arus. p. 228 cum lemmate *exterritus illius rei.* Haec quoque non dubium est quin de Appio Claudio dicta fuerint, cui ut Syriae potissumum reges et civitates ad defectionem ab Tigrane pelliceret mandatum fuit. Cfr. Momms. III p. 60. Plut. Luc. c. 21, secundum quem hoc fragmentum ante 48 ponendum esse suspicari possis.

50. Camisos cum graecum nomen secundae declinationis, *si* faciens genetivo, in Sallustio se legisse testetur Probus p. 130, videtur eadem regio fuisse, quam descripsit Strab. *XII p. 786: *Πομπήιος δὲ πολλὰς ἐπαρχίας προσώρισε τῷ τόπῳ καὶ πόλιν ὠνόμασε καὶ ταύτην καὶ τὴν Μεγαλόπολιν, συνθεὶς ταύτην τε εἰς ἓν τήν τε Κουλουπηνὴν καὶ τὴν Καμισήνην, ὁμόρους*

οὔσας τῇ τε μικρᾷ Ἀρμενίᾳ καὶ τῇ Λαουιανσηνῇ, ἐχούσας ὀρυκτοὺς ἅλας καὶ ἔρυμα ἀρχαῖον τὰ Κάμισα νῦν κατεσπασμένον. Id castellum in itinere ab Lucullo facto commemoratum fuisse apertissumum est.

51 [Kr. 10. G. 52]. Quam maxumis itineribus per regnum Ariobarzanis contendit ad fluvium Euphraten, qua in parte Cappadocia ab Armenia diiungitur. Et quamquam ad *id* naves codicariae occulte per hiemem fabricatae aderant ....

Non. p. 366: *Codicarias naves etiamnunc consuetudo appellat eo quod in fluminibus sint usui. Sallustius Hist. lib.* IIII: quam — aderant. Cum in Noni libris scriptum sit *quamquam ad naves*, minus prudenter *ad* prorsus abici videtur, quam ex AJM *ad id* scribi, i. e. ad transeundum fluvium. Quid autem narraverit Sallustius dubium est. Plutarchus certe Luc. 24 ab eo divorsus fuit; nam καὶ κατιόντα (τὸν Εὐφράτην) πολὺν καὶ θολερὸν ὑπὸ χειμῶνος εὑρὼν ἤσχαλλεν, ὡς διατριβῆς αὐτῷ καὶ πραγματείας ἐσομένης συνάγοντι πορθμεῖα καὶ πηγνυμένῳ σχεδίας. Memnon. ap. Phot. p. 238 B. διέβη παρὰ δόξαν πεζῇ τὸν Εὐφράτην, App. b. M. 84 p. 391, 16 nil nisi τὸν Εὐφράτην περάσας. Ceterum ex membro concessivo adparet, Sallustium de difficultate transeundi dixisse, unde veri simile est, admirabilem illam fluminis deminutionem, de qua Plut. copiose exposuit, ab eo omissam non fuisse (vid. fr. inc. 97).

*52 [Kr. 11. G. 55]. Isidor. Or. XIII 21, 10 p. 429: *Salustius autem auctor certissimus asserit Tigrim et Euphratem uno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius dividuntur spacio medio relicto multorum milium, quae tamen terra, quae ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit aliter de paradisi fluminibus intelligendum.* Locus Hieronymi est lib. de interpr. nom. hebr. T. III p. 202 ed. Vallars.: *Euphrates, fluvius Mesopotamiae, in paradiso oriens. Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari. Ex quo animadvertimus aliter de paradiso et fluminibus eius intelligendum.* Utrum igitur rectius Sallusti locum rettulisse dicas? Secundum Hieronymum dubium non est, quin Sallustius suum utrique fluvio fontem esse dixerit. Quod si fortasse advorsus aliorum descriptiones, qui, uti vera res est, utrumque fluvium ex pluribus rivis oriri docuerant (vid. Mannert. V 2 p. 142 sqq.), unum, non plures utrique fluvio fontem esse Sallustium adseruisse ex Isidori verbis coniciundum putaveris, certe hunc pervorsis et illo prorsus indignis verbis usum esse non negabis. Qua re satius videtur quid Sallustius dixerit intellegere, quam ex inmunditiis Isidori quae eius ipsa verba fuerint enucleare conari. Cfr. praeterea Vib. Seq. s. v.

Euphrates. Ceterum Sallustium eo loco de illis fluviis exposuisse, ubi Lucullum in Armeniam profectum esse narravit, non modo veri simillumum, verum paene certum est.

*53 [Kr. 12. G. 56]. Cum Schol. ad. Juv. sat. I 104 *Mesopotameni* inquiat *homines effrenatae lubidinis sunt in utroque sexu, ut Sallustius meminit*, verba ipsa scriptoris non diligenter prolata esse adparet, nec vero minus eodem in loco illud dictum fuisse atque Fragm. 52.

54 [Kr. 13. G. 83]. Hieronym. comm. in Dan. c. 3 T. V p. 641 ed. Vall. *Sallustius scribit in Historiis, quod naphtha sit genus fomitis apud Persas, quo vel maxime nutriantur incendia.* Prob. p. 123: *Unum inveni barbarum monoptotum 'naphthas.' Sallustius posuit*, et p. 130: *et 'hoc naphthas, huius naphthae,' genus olei cedro simile, sicut Sallustius Historiarum libro quarto. Sed melius erit indeclinabile.* Ex quibus testimoniis perspicuum est Sallustium non simpliciter naphtha conmemoravisse, set etiam de eius natura exposuisse, quam ob caussam non tam praefracte negandum est verba ap. Prob. *genus olei cedro simile* ab Sallustio sumpta esse. Ceterum cum constet, Mancaeum, Tigranocertae praefectum, naphtha Romanorum machinas incendisse (Drum. IV p. 146, 37. Momms. III p. 60), certe quo loco de eo Sallustius dicere potuerit non ignoramus.

55 [Kr. 14. G. 37]. Scalas pares moenium altitudine.

Arus. p. 253: *par hac re.* Eodem modo dixit Ovid. Fast. VI 804: *in qua par facies nobilitate sua;* set frustra is usus ablativi artificiosis rationibus explicatur et munitur, cum satis constet esse ea vestigia antiquae dativi formae in *e*; cfr. Krüg. gr. lat. § 195, 1 p. 200. Weissenb. gr. lat. § 96, 5 p. 94. Krebs gr. lat. § 36 adn. 1 p. 31. De obpugnatione Tigranocertae vel alius oppidi ab Luculli exercitu obsessi dictum fuisse adparet.

56 [Kr. 15. G. 69]. Pluteos rescindit ac munitiones demolitur locoque summo potitur.

Non. p. 67: *Demoliri, diruere.* Cum pluteorum in obpugnandis potissumum oppidis vel castellis usum fuisse constet, adparet de eruptione in obsidentium castra facta dici. Set num illud ad Tigranocertam an ad aliud ab Romanis obsessum oppidum factum sit, utique in incerto relinquendum.

57 [Kr. 16. G. 53]. Qui praegrediebantur equites catafracti ferrea omni specie.

Non. p. 383 s. v. *catafractae.* Tales equites in Tigranis regis ex-

ercitu fuisse, ad liberandam obsidione Tigranocertam adproperante, constat (Drum. IV p. 146 sq., Momms. III p. 61).

58 [G. 67]. Et sequebantur equites catafracti.

Serv. ad Verg. Aen. XI 770 (vid. fr. 57) haec verba adtulit. Cum autem pluribus locis catafractorum illorum ab Sallustio mentionem fieri non modo potuisse, set debuisse adpareat, cautius videtur cum Gerlachio verba illa separata ponere quam cum Kritzio sic statuere: Servium memoriae lapsu verba ab Non. p. 383 (fr. 57) conmemorata false rettulisse.

59 [Kr. 17. G. 66]. Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant.

Serv. ad Verg. Aen. XI 770 *[spumantemque agitabat equum, quem pellis aenis in plumam squamis auro conserta tegebat]* haec adnotavit: *cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui et ipsi ferro muniti sunt et equos similiter munitos habent, de quibus Sallustius:* equis — adnexuerant; *nunc autem pro linteo pellem posuit et aeneas squamas aeneas laminas intellegimus; 'in plumam' vero est in similitudinem plumae.* Iam Sallusti verba Kritzius ita interpretatus est ut *adnectere* eodem modo dictum diceret, quo *adspergo, induo, circumdo* similia; *operimenta adnectere laminis* scriptum esse naturali quadam confusione pro *operimentis adnectere laminas.* Set vereor ut in *adnectendi* verbum idem transferri possit, quod in *adspergendi, induendi* al. fieri liceat, quoniam illius talis notio est, ut ablativus id significet per quod aliud cum alio coniungatur. Quam significationem nonne hoc quoque loco obtinet? Nonne operimenta equis adnectenda fuere? Ut sic statuam eo potissumum argumento conmoveor, quod secundum Servium summa est huius loci cum Vergiliano similitudo. Quem ad modum igitur apud Vergilium *squamis aenis* ablativus est eius generis, quem qualitatis adpellant, sic etiam apud Sallustium ablativus dictus videtur. At quod ap. Verg. est *auro conserta*, id in Sallusti verbis frustra quaerimus; fortasse igitur illud omissum est, qua ratione operimenta lintea equis adnexa fuerint.

*60 [Kr. 18. G. 80]. Apud Corduenos amomum et alii leves odores gignuntur.

Philarg. ad Verg. G. IV 49: *Odor coeni gravis; ordo est: odor gravis, quia et levis dicitur. Sallustius:* apud — gignuntur. Cum Lucullo post victoriam ad Tigranocertam reportatam atque ipsam illam urbem captam Corduenorum regem se dedidisse constet (Drum. IV p. 150. Momms. III p. 62), quae occasio fuerit Sallustio illorum dicendorum, apertum est.

61 [Kr. 19. G. p. 155]. *Epistula Mithridatis.*

Rex Mithridates regi Arsaci salutem.

Omnes qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere, dein quod quae-
2 situr satisne pium tutum, gloriosum an indecorum sit. Tibi per-

VAR. SCR. *In titulo* epistula 𝔙. — 1. *Regem Parthorum* Phraaten *nominat Memn. ap. Phot.* p. 238, Arsacen *Cass. Dio* XXXV 3. *Scilicet e progenie Arsacidarum fuit, nomine Phraates (Momms.* III p. 63). — 2. ad belli societate morantur 𝔙. — 3. quaesitur 𝔙. quaeritur *volg. Phoc. p.* 1718 *Putsch.:* licet 'quaesere' lectum sit apud Sallustium et Tullium. — 4. *Libri:* tibi si perpetua — licet, nisi hostes op. et scelestissumi, egregia fama si Romanos oppresseris futura est neque petere — sperem. *Unde*

petua pace frui licet, egregia fama, si Romanos obpresseris, futura est. Nisi hostes oportuni et scelestissumi, neque petere audeam societatem et frustra mala mea cum bonis tuis misceri
sperem. Atque ea, quae te morari posse videntur, ira in Tigra- 3
nem recentis belli et meae res parum prosperae, si vera existumare voles, maxume hortabuntur. Ille enim obnoxius qualem 4
tu voles societatem accipiet: mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi: et, quod florentibus optabile est, ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua conponas.

Namque Romanis cum nationibus populis regibus cunctis una 5
et ea vetus caussa bellandi est, cupido profunda inperi et divitiarum. Qua primo cum rege Macedonum Philippo bellum sumpsere,
dum a Carthaginiensibus premebantur amicitiam simulantes. Ei 6
subvenientem Antiochum concessione Asiae per dolum avortere, ac mox fracto Philippo Antiochus omni cis Taurum agro et decem
milibus talentorum spoliatus est. Perseu deinde, Philippi filium, 7
post multa et varia certamina apud Samothracas deos acceptum in fidem, callidi et repertores perfidiae, quia pacto vitam dede-
rant, insomniis occidere. Eumenem, cuius amicitiam gloriose osten- 8

Kritzius: Tibi perpetua pace frui liceret, nisi — scelestissumi; egregia — futura est. Neque — sperem. *Linkerus:* Tibi si perpetua — licet, nisi — scelestissumi, egregia fama, si Roma nos oppresserit, futura est. neque — sperem. *Alias rationes iniere Th. Momms. Act. reg. soc. Lips.* 1854 *p.* 153 *et Hitzig. Mus. Rhen.* X 3 *p.* 467. *Quorum virorum sententiae profecto non dignae fuere, quae ab Gerlachio per obiurgationem et convicia reicerentur. Nam illud luculenter demonstravere verba ita pervorsa et perturbata esse, ut nisi scriptorem aut obscurissume dicere voluisse aut recte loqui non potuisse censeas, ferri non possint. Mihi hae rationes verae visae sunt, Cum apertissume scriptor ad eam quaestionem quam modo proposuit.* satisne — indecorum sit, *respondeat* (*nam ad priorem* liceatne tum pacem agere *infra respondetur* ego — praebeo exemplum quo rectius tua conponas), tutum *esse bellum adparet, cum eo confecto perpetua pax futura sit et hostes oportuni sint i. e. in quos facile inpetus fieri possit (ita ad inauditum usum vocabuli non confugiendum est),* pium, *cum hostes scelesti puniantur,* gloriosum, *si victoria nobilis apud omnis gentes futura sit. Iam perspicuum est, tuti notionem ad utramque aliam adiungi posse; gravius conmendari quod gloriosum sit, si simul tutum, itemque quod pium sit. neque obfendere potest, si Sall. cum vere ad alteram quaestionem respondeat, tamen tecte etiam quod ad priorem pertineat dicat, praesertim cum idem de altera necessario valeat. Recte igitur procedit oratio hoc modo: tutum et gloriosum bellum esse tibi confirmo; nisi bellum pium et simul tutum sit, nihil abs te petere audeam nec sperem. Quam ob caussam mihi locus facillume et ad sententiam aptissume emendari visus est deleto* si *et transpositis verbis* nisi — scelestissumi. *Ceterum* scelestissumi 𝔅. sceleratissumi *Cort.* — 3. cum bonis tuis 𝔅. cum tuis bonis *Cort.* — 4. atque *libri.* atqui *Cort.* — 5. rarum *libri.* parum *Britannicus.* — 6. maxume 𝔅. — 12. Qua *libri.* Quia *Kritz.* primo 𝔅. primum *Cort.* — 13. chartaginensibus 𝔅. praemebantur 𝔅. — 15. fracto 𝔅. tracto *Cort.* — 19. occidere eum eN cuius 𝔅.

tant, initio prodidere Antiocho, pacis mercedem, post, habitum
custodiae agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserru-
mum servorum effecere simulatoque inpio testamento filium eius
Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per
9 triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est. Postremo Bithyniam
Nicomede mortuo diripuere, cum filius Nysa, quam reginam ad-
10 pellaverat, genitus haut dubie esset. Nam quid ego me adpellem?
quem diiunctum undique regnis et tetrarchiis ab imperio eorum,
quia fama erat divitem neque serviturum esse, per Nicomedem
bello lacessiverunt, sceleris eorum haut ignarum, et ea, quae ac-
cidere, testatum antea Cretensis, solos omnium liberos ea tempe-
11 state, et regem Ptolemaeum. Atque ego ultus iniurias Nicomedem
Bithynia expuli Asiamque, spolium regis Antiochi, recepi et Grae-
12 ciae dempsi grave servitium. Incepta mea postremus servorum
Archelaus exercitu prodito inpedivit: illique, quos ignavia aut
prava calliditas, ut meis laboribus tuti essent, armis abstinuit,
acerbissumas poenas solvunt, Ptolemaeus precio in dies bellum
prolatans, Cretenses inpugnati semel iam neque finem nisi excidio
13 habituri. Equidem cum mihi ob ipsorum interna mala dilata
proelia magis quam pacem datam intellegerem, abnuente Tigrane,
qui mea dicta sero probat, te remoto procul, omnibus aliis ob-
noxiis, rursus tamen bellum cepi Marcumque Cottam, Romanum
ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcerruma.
14 Apud Cyzicum magno cum exercitu in obsidio moranti frumen-
tum defuit nullo circum adnitente: simul hiems mari prohibebat.
Ita sine vi hostium regredi conatus in patrium regnum naufragiis
apud Parium et *apud* Heracleam militum optumos cum classibus
15 amisi. Restituto deinde apud Caberam exercitu et variis inter me
atque Lucullum proeliis inopia rursus ambos incessit. Illi sube-

Test. scr. 28. Charis. p. 110: *Ambos Terentius in Adelphis — Sallustius quoque historiarum libro* IIII: intèr me atque Lucullum prope inopia rursus ambos incessit.

---

2. capti vi 𝔙. — 3. efficere 𝔙. — 4. per triumfum duxere 𝔙. — 5. postremo Bithyniam 𝔙. postremo totam Bithyniam *Cort. et Kritz.* — 6. Nysa 𝔙. Nusa *Cort.* — 8. diiunctum 𝔙. disiunctum *Cort.* — 13. Graeciaedem si graveser vitium 𝔙. — 16. ut 𝔙. uti *Gerl.* — 18. inpugnati 𝔙. — 19. habitur 𝔙. quom 𝔙. *quam scripturam bis in eo libro inveniri, semel* qum, *alibi* cum *testatus est Orellius.* — 20. intellegerem 𝔙. — 22. coepi 𝔙. cepi *Vat.* 2. *Cort.* — 23. Calchedona 𝔙. pulcherruma 𝔙. — 25. adnitente 𝔙. hiemps 𝔙. — 26. conatus 𝔙. coactus *Ald.* 1509. *Cort.* Patrium 𝔙. — 27. apud *meo marte inserui.* — 28. Caberam 𝔙 *et cet. libri.* Cabira *Carrio. Cort.*

rat regnum Ariobarzanis bello intactum: ego vastis circum omnibus
locis in Armeniam concessi: secutique Romani, non me set morem
suum omnia regna subvortundi, quia multitudinem artis locis
pugna prohibuere, inprudentiam Tigranis pro victoria ostentant.

Nunc quaeso considera, nobis obpressis utrum firmiorem te 16
ad resistundum an finem belli futurum putes? Scio equidem tibi
magnas opes virorum, armorum et auri esse: et ea re a nobis
ad societatem, ab illis ad praedam peteris. Ceterum consilium
est, Tigranis regno integro, meis militibus belli prudentibus, pro-
cul ab domo [parvo labore] per nostra corpora bellum conficere,
quo neque vincere neque vinci sine tuo periculo possumus. An 17
ignoras Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Ocea-
nus fecit, arma huc convortisse? neque quicquam a principio
nisi *vi* partum habere, domum coniuges, agros inperium? conve-
nas olim sine patria parentibus, . *cum* peste conditos orbis terra-

6. Charis. p. 196: *Ceterum Sallustius historiarum* IIII: scio equidem tibi magnas opes virorum armorum et auri esse, et ea re ab nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris [*petieris* N.]. Ceterum consilium est Tigranis regno integro meis militibus belli prudentibus procul domo per nostra corpora bellum conficere, *ubi Asper: 'ceterum quo modo positum est? pro alioquin? alioquin consilium est; an pro relicum, ut sit nomen? relicum consilium est.*

15. Serv. ad. Verg. A. VII 303: '*Conduntur*' *ergo sedem stabilem locant. Sallustius:* parte [V. Guelf. I. II *pestem*. L. R. Vos. Lips. *per te*] conditor [Guelf. II *conditos*] orbis terrarum.

---

8. *Postquam Mithridates Arsaci exposuit*, *propter opes eius se illius societatem nunc petere. Romanos diripiundi illius regni cupidos esse, omissis relicuis breviter quid firmissume constituerint monet, sese paratos esse bellum conficere cum Romanis, aut interire aut vincere; quorum cum neutrum sine illius periculo fieri posse dicit, hoc quid aliud est quam minari: sese si victores fuerint, societatis aspernationem ulturos esse, sin victi, Romanos illi hostes futuros? Unde duo perspicua sunt: primum talia instrumenta belli ostendi debere, quibus vincere posse Mithridatem et Tigranem praestetur, ergo necessario ex Charisio contra omnis libros recipiundum esse* belli prudentibus; *deinde dicere debere Mithridatem summa ope se ad victoriam adnisuros esse, ergo, id quod Linkerus prudenter perspexit*, parvo labore *turpe esse glossatoris adsumentum.* — 11. quom neque 𝔙. quando *Ald.* quomodo *Benal. Cort.* quo *Gerl.* — 14. nisi partum 𝔙 *cet. codd.* raptum *Ciaccon.* vi partum *Klotz de locis per coni. emend. p.* 24. — 15. sine patria parentibus 𝔙. sine patria sine parentibus *Pompon. Cort. Gerl. Kritz.* parentibus peste conditos 𝔙 *cet. libri. Quod qui explicant: conditos ex perditissumis ac pernitiosissumis orbis terrarum hominibus, non minus quam qui ablativum conditionalem esse dicunt, videant ne librorum fallacium scripturae nimis tenaces audiant. Nisi in* peste *antiquam dativi formam* (pesti = in pestem. Cfr. ad fr. 55) *haberi opineris, aut cum Linkero* pestem *scribendum erit, aut mecum praepositionem* cum *omissam esse statuendum. Cfr.* Cic. in Cat. I 13, 33: cum summa rei publicae salute, cum tua peste ac pernitie cumque exitio eorum, qui se tecum — iunxere, proficiscere ad inpium bellum ac nefarium.

rum: quibus non humana ulla neque divina obstant, quin socios
amicos, procul iuxta sitos, inopes potentisque trahant excindant,
18 omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant? Namque
pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt: nos suspecti
19 sumus aemuli et in tempore vindices adfuturi. Tu vero, cui Se-
leucea, maxuma urbium, regnumque Persidis inclutis divitiis est,
quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum expectas?
20 Romani arma in omnis habent, acerruma in eos, quibus victis
spolia maxuma sunt: audendo et fallundo et bella ex bellis se-
21 rundo magni facti. Per hunc morem extinguent omnia aut occi-
dent: quod haut difficile est, si tu Mesopotamia, nos Armenia
circumgredimur exercitum sine frumento, sine auxiliis, fortuna
22 aut nostris vitiis adhuc incolumem. Teque illa fama sequetur:
auxilio profectum magnis regibus latrones gentium obpressisse.
23 Quod uti facias moneo hortorque, neu malis pernitie nostra tuam
prolatare quam societate victor fieri.

7. Arus. p. 242: *In praesens pro ad praesens. Salustius — Histor.* IV: Quid ab illis nisi dolum in praesens et postea bellum exspectans.

2. potentisque 𝔙. excindant 𝔙. excidant *ex Ursini et Ciacconii libris Cort.* — 3. maxume 𝔙. — 5. Seleucea 𝔙. Seleucia *Cort.* — 7. expectas 𝔙. — 11.* *Ablativos* Mesopotamia *et* Armenia *nolui in dubitationem vocare, memor talium:* porta Collina urbem intrare, via Nomentana proficisci *simil.*

62 [Kr. 20. G. 50]. Tum vero Atropateni propinquantes iam amnem Arsaniam.

Arus. p. 254: *Propinquant illum locum. Sal. Hist.* IV: tum vero Bithyni [*Bithinii* Gu. set in mg. *Bithini*] propinquantes iam amnem Tartanium. Cum neque Bithynos illis annis, quorum res gestae libro IIII enarratae fuere, quidquam gessisse constet — nisi forte eorum auxilia in exercitu Luculli fuisse opinaris —, neque fluvius Tartanius ullus usquam cognitus sit [Artanen vel Artanum in Bithynia fuisse docuit Forbig. geogr. ant. II p. 379], cum denique nulla in re facilius et turpius erratum esse quam in nominibus propriis exploratum sit, non vereor ne in crimen temeritatis incurram, si audaciore emendatione efficere studuero, ut hic locus conveniat cum Plut. narratione de pugna ad fluvium Arsaniam (Drum. IV p. 152. Momms. III p. 66), Luc. 31: *καὶ τοὺς μὲν ἱππεῖς ἀπὸ τῆς διώξεως ἀνεκαλεῖτο (ὁ Λούκουλλος), πρῶτος δ' ἀντέστη τοῖς Ἀτροπατηνοῖς κατ' αὐτὸν οὖσι μετὰ τῶν ἀρίστων καὶ πρὶν εἰς χεῖρας ἐλθεῖν φοβήσας ἐτρέψατο.* Ceterum si haec verba conrupta esse concessum fuerit, illud iure quaeri licet, annon inaudita illa verbi propinquandi constructio errori aut librariorum aut ipsius grammatici tribuenda sit.

Adiungo iam ea fragmenta quae quo pertinuerint, dubium atque incertum est.

63 [Kr. 61. G. 12]. Omnes quibus senecto corpore animus militaris erat.

Prisc. IX p. 484: *'senesco' enim inchoativum est. Sallustius in* IIII *historiarum:* omnes — erat. De militibus evocatis dici apertum est neque prorsus reiciunda est Gerlachii suspitio, tales ad exercitum arcessitos esse in Italia advorsus fugitivos et Spartacum, set nihil obstat quo minus idem in obsesso oppido aliquo factum esse suspicemur.

64 [Kr. 65. G. 17]. Clausi lateribus altis pedem.

Arus. p. 215: *altum pedes tot.* Laterum in extruendis moenibus per Mesopotamiam et Babyloniam multum usum fuisse constat.

65 [Kr. 66. G. 23]. Infrequentem stationem nostram incuriosamque tum ab armis.

Arus. p. 242: *incuriosum ab illa re.* Pro *tam* scribendum esse *tum* recte iam ab aliis intellectum est. Nec coniungendum esse *ab armis* cum *incuriosam* Arusiano credo, set *ab armis* per se dictum esse, ut significet *modo repositis armis.* Quamquam haut inprobabilis est Gerlachii suspitio, haec verba locum habuisse, ubi de Spartaco Crassi munitiones perrumpente narratum erat, tamen cum multis in locis idem accidere potuerit, ut Mithridates in Armeniam minorem transiens multis ἀπροςδόκητος προσέπεσε (Cass. Dio XXXV 9, vid. ad V 1), res videtur in incerto relinquenda.

66 [Kr. 67. G. 74]. Qui proxumi loca hostium erant.

Arus. p. 252: *proximus illum.*

67 [Kr. 68. G. 76]. Stolide castra subgressus.

Arus. p. 262: *subgredior illum locum.*

68 [Kr. 70 et 71. G. III 29 et 30]. Curio religione Volcanaliorum diem ibidem moratus.

Charis. p. 62: *ut* Bacchanaliorum *Sallustius et* Volcanaliorum (vid. fr. III 79). Non. p. 333: *Idem Hist. lib.* IIII: Curio Vulcanaliorum die [*di* W.] ibidem moratus. Pompei. in Don. art. p. 163 haec profert: Curio ibidem moratur regione Vulcanaliorum, idemque p. 222: religione Vulcanaliorum impeditus. Iam cum priore loco Pompei aperte *religione* restituendum sit, alter autem sententia certe cum priore conveniat, ut pro *moratur* vel *moratus* memoriae lapsu *impeditus* scriptum esse adpareat, denique verba ap. Non. laudata idem certe verbum contineant, ex tribus illis locis unum fragmentum eo modo quo proposui concinnandum esse haut inprobabiliter mihi videor conicere. Ceterum res parum lucis inde accipit, quod G. Scribonium Curionem a. 71 ex Macedonia triumphavisse veri simile est (cfr. quos Kritzius laudavit, Ellendt ad Cic. Brut. proll. p. 98. Zumpt ad Cic. Verr. p. 64). Cum autem Volcanalia non solum Romae, set etiam Ostiae acta esse constet (Preller Mythol. Rom. p. 529), fortasse *ibidem* de Ostia intellegundum est.

69 [Kr. 72. G. 32]. Quis in praesens modo satis cautum fuerat.

Arus. p. 242: *in praesens pro ad praesens* (vid. 61, 19). *Quis* pro *quos* recte Lindem.

70 [Kr. 73. G. 49]. Magnam exorsus orationem.

Arus. p. 229: *exorsus orationem.*

71 [Kr. 74. G. 63]. Inpotens et nimius animi est.

Arus. p. 249: *nimius illius.*

72 [Kr. 75. G. 62]. Anxius animi atque incertus.

Arus. p. 260: *anxius huius rei.*

73 [Kr. 76. G. 65]. Consili aeger.

Arus. p. 212: *aeger illius.*

74 [Kr. 77. G. 81]. Fest. p. 239 ubi de ponte sublicio dixit, Sallusti locum ex libro quarto adtulit, set tristi casu paucae tantum eaeque inexplicabiles litterae supersunt: ne inrumiendi p. . . — Verbum *inrumiendi* prorsus inauditum est, et cum relicua omnia perierint, omni emendandi conatu abstinendum. Atque ne illud quidem certum num Sallustius de ponte sublicio dixerit. Nam cum haec praeterea apud Festum servata sint: ...... *sublicibus cavata* .... *essent*, et quae praecedunt mutila, de tabulis sublicis vocabulum usurpatum esse prodere videantur, haut incondita Ursini suspicio est, Sallusti locum ob *sublicibus cavatis* ab Festo conmemoratum fuisse.

Lib. V.

*1 [Kr. 1. G. IV 79]. Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.

Serv. ad Verg. G. IV 211 (itemque Philarg. ad eund. locum, ubi pro *regii nominis* conrupte legitur *religionis*) haec verba adtulit, quo Vergili sententiam: Aegyptios, Lydos, Parthos, Medos regum esse observantissumos confirmaret, in quo illud non premundum esse adparet, ut Sallustius de isdem prorsus gentibus dixisse credatur. Set cum Cass. Dio XXXV 9 cum aliis scriptoribus Mithridaten revorsum in Pontum laetissumis animis exceptum esse memorans, benivolentiam ἔκ τε τοῦ ὁμοφύλου καὶ ἐκ τῆς πατρίου βασιλείας prodiise doceat, paene certum videtur illa verba ab Sallustio in eadem re scripta fuisse. Hoc dubitari potest, utrum in V libri initio, an in IV fine eae res narratae fuerint, set illud veri similius.

*2 [Kr. 2. Gerl. inc. 48]. Luxo pede.

Prob. p. 133: *nam 'luxus' vacillans, 'huius luxi' facit. Salustius ablativo* luxo pede. Cum Mithridati proelio advorsus M. Fabium Adrianum conmisso lapide genu percussum esse constet (Appian. b. M. 88 p. 395, 1), quali volnere omnis pes debilitatur ac solvitur, in ea re illa verba dicta fuisse paene certum videtur. Certe de eo volnere, quo Mithridates in pugna ad Zelam conmissa ab centurione Romano adfectus est (Appian. b. M. 89 p. 395, 23: ἐς τὸν μηρὸν ἐπάταξε ξίφει πληγὴν βαρεῖαν. Momms. III p. 67 extr.) minus commode cogitari videtur.

3 [Kr. 1. G. 10]. Peractis septuaginta annis armatus equum insilire.

ad Verg. A. II 632: *quamquam veteres deum pro magno numine dicebant. Sallustius:* ut tanta cet. De nulla re haec verba aptius dici videntur potuisse, quam de subita Euphratis inminutione (vid. ad fr. IV 51). Set simile prodigium videtur fuisse illud, de quo fr. inc. 71 narratum est.

98 [Kr. 67. G. 8]. *** fessit, ut nuntiis confestim lugubribus.

Charis. p. 196: *Confestim pro continuo et sine intervallo, set iugi festinationis studio peragentis Sallustius libro* fessit cet. Cum Keilius monuerit videri cum numero libri ex verbis Sallusti quaedam perisse, ab *fessit* manus continendas puto. Neminem autem, eorum quidem quos his libris conmemoratos fuisse consentaneum sit, lugubriores nuntios accepisse nec magis ad resarciunda damna festinasse scio quam L. Lucullum, cum Triari ad Zelam cladem conperisset (Drum. IV p. 156. Momms. III p. 67).

99 [Kr. 68. G. 63]. Eo redeunte domum salutaret apud aedem Bellonae.

Adferuntur ab interprete Verg. ad Aen. V 80 ed. Mai. p. 43. *Salutaretur* Kritzius, *salutaret* Gerl. Ut interpretem illum prorsus omittamus, cum aedem Bellonae haut longe ab urbe in confinio Campi Martii fuisse ibique inperatoribus aut legatis, quibus urbem intrare non liceret, senatum datum esse conpertum habeamus (Beck. A. R. I p. 606. Preller. Mythol. p. 611 sq. p. 224), nihil inpedit, quo minus apud eandem contionem populi habitam esse statuamus. Cum iam memoriae proditum sit Gn. Pompeio, cum esset inperator ad urbem ab Hispania redux, contione extra urbem habita potestatem cum populo agundi factam esse (Asc. ad Cic. in Verr. p. 148 Or.), eamque rem ab Sall. narratam fuisse veri simile sit (fr. IV 25), temerariusne videor, cum eo haec verba, quae bene conposita esse nemo dicet, spectasse conicio?

100 [Kr. 69. G. 58]. Orion oritur iuxta solis aestivi * pulsum.

Cum Serv. ad Verg. A. V 626 haec scripserit: *Nam ait: cum subito adsurgens fluctu nimbosus Orion: qui oritur, ut Sallustius dicit, • iuxta solis aestivi pulsum,* incertum quidem est, num ipsa scriptoris verba adtulerit, tamen veri simile eadem atque illum locutione usum esse. *Pulsum* autem nullo modo ferri potest neque probabilis Kritzii est explicatio dictum esse pro *ictu* i. e. summo ardore. Cum Orion inter d. 16 et 17 mensis Iunii oriatur (Ovid. Fast. VI 717), Sallustium solstitium significasse apertum est, nec vero quod vocabulum apte restitui possit invenio.

101 [Kr. 70. G. III 96]. Rebus supra vota fluentibus.

Serv. ad Verg. A. II 169: *Fluere [delabi et] est τῶν μέσων. Nam ideo addidit retro. Contra Sallustius* rebus cet.

102 [Kr. 71. G. I 2]. Maxumis ducibus fortibus strenuisque ministris.

Diom. p. 447 pro exemplo homoeoptoti adtulit. Verba in caussis magnitudinis populi romani enumerandis fuisse dicta paene certum videtur, nec vero quo loco illud factum sit.

103 [Kr. 72. G. 47]. Inbecilla est fortitudo dum pendet.

Schol. ad Stat. Theb. V 384.

104 [Kr. 73. G. 15]. Nubes foedavere lumen.

Serv. ad Verg. A. II 286: *foedavit; nam Sallustius de nubibus* foedavere lumen.

105 [Kr. 74. G. 40]. Soleas festinate.

Serv. ad Verg. A. XII 425: *Atqui sicut nos properare dicimus, ita antiqui festinare pro dare dicebant* [sic locus restituendus]. *Sallustius:* Soleas festinate.

106 [Kr. 75. G. 29]. Ad Iovis mandem nostra.

Don. ad Ter. Ad. IV 2, 43: *Sic absolute dicebant non addito templo.* Parum probabilis mihi videtur Kritzii sententia: verba videri legati, qui ad Iovis aedem mandata expositurus sit; set quo modo verba explicari possint quaerens ipse operam perdidi.

107 [Kr. 76. G. 2]. Nihil socordia claudebat.

Donat. ad Ter. Eun. I 2, 84. Cfr. fr. III 61, 25. III 80.

108 [Kr. 77. G. 5]. Non poeniturum.

Quintil. IX 3, 17.

109 [Kr. 92. G. 80]. Visuros.

Quint. IX 3, 12: *unde eo usque processum est, ut* non poeniturum *pro non acturo poenitentiam et* visuros *ad videndum missos idem auctor dixerit.* Ex eodem loco est

110 [Kr. 93. G. 81]. Duci probare.

Quintil. IX 3, 12.

*111 [Kr. 78. G. 6]. Volgus amat fieri.

Quint. IX 3, 17: *Ex Graeco vero translata vel Sallusti plurima, quale est:* vulgus amat fieri. Magna suspitio est, Quintilianum loci Iug. 34, 1 *quae ira fieri amat* memorem lapsum esse, qui error eo proclivior fuit, quod ibi de volgo irato atque incitato dicitur.

112 [Kr. 79. G. 61]. Nova aestas, adulta, praeceps

Sallustium ubique dixisse auctor est Serv. ad Verg. Ge. I 43.

113 [Kr. 80]. Sanctus alia.

Serv. ad Verg. Aen. III 594. Cum *sanctus alias* Sallustium dixisse constet (fr. I 92), vix dubitandum videtur, quin grammaticus falsus sit.

114 [Kr. 85. G. 85]. Faenoribus copertus.

Gell. N. A. II 17, 7 et IV 17, 6. Cfr. Link. prooem. p. 30. Cum *mergi et obprimi fenore* recte diceretur (Liv. VI 17, 2), bene Cato illud praeiverat.

115 [Kr. 86. G. 66]. Senecta iam aetate.

Serv. ad Verg. A. XI 165. Vid. II 41, 2.

116 [Kr. 88. G. 69]. Luces.

Serv. in Don. ed. II p. 1843 P.

117 [Kr. 90. G. 71]. Aliaque propter.

Arus. p. 265 *propter illam rem.*

118 [Kr. 91. G. 72]. Cuncta potiundi.

Arus. p. 251: *potitur hanc rem,* set falso ex Iug.

119 [G. I 43]. Advorsus ille nobilitatis.

Arus. p. 211 ibiq. Lindem.

120 [G. 83]. Samnitium.

Endlicher Anecd. p. 134.

121 [G. 84]. Antonius paucis ante diebus.

Probus a. m. § 691 p. 373 ed. Endlich.

122 [Kr. et G. II 9]. Geryonis nomen apud Sallustium lectum fuisse testatur Serv. ad Verg. A. VII 662.

INDEX.

---

a, ab. Abs *nusquam invenitur;* a *ante* b C 52, 13. J 28, 2. 29, 2. 32, 2. 77, 3. 102, 2. 109, 4. H I 112. *ante* f J 101, 8. *ante* g C 47, 1. 58, 6. J 32, 5. 103, 4. H I 61. IV 36. *ante* q C 4, 2. J 48, 3. *ante* v C 20, 16. J 14, 3. 5. 6. 30, 2. 31, 1. 85, 1. 37. 106, 6. H I 5. 41, 12. 48, 7. 18. II 96, 2. 4. a *ante* c C 14, 4. 48, 4. 8. 50, 5. J 15, 5. 29, 4. 109, 2. H III 37. 54. 56. IV 61, 5. ab C 48, 9. J 82, 1. 91, 3. 104, 2. a *ante* d J 45, 3. H II 61. III 54. 67, 17. ab C 51, 27. 59, 2. 94, 1. H IV 61, 16. a *ante* f J 11, 4. 67, 2. 92, 5. H III 67, 2. 7. ab J 101, 8. a *ante* l C 45, 4. 46, 6. H I 66. 82. ab C 31, 4. 44, 1. J 14, 10. 93, 2. 101, 8. a *ante* m C 2, 6. 45, 4. 48, 4. 52, 14. J 21, 2. 48, 3. 65, 5. 69, 4. 80, 5. 7. 102, 4. 13. 105, 1. H I 41, 23. II 2. 14. III 61, 1. 12. i 8. ab J 22, 2. 64, 1. a *ante* n H IV 61, 16. ab J 15, 1. 18, 12. 25, 5. 48, 3. 66, 4. 95, 3. 96, 2. a *ante* p C 6, 4. 13, 1. 26, 3. 31, 4. 33, 3. 48, 7. 51, 9. 52, 14. J 5, 4. 8, 2. 14, 3. 18, 11. 29, 2. 31, 5. 42, 1. 56, 2. 63, 4. 64, 2. 77, 2. 84, 2. 85, 7. 86, 5. 100, 5. 102, 6. 8. 106, 1. H I 6. 8. 9 *bis*. 41, 4. 48, 1. 6. 52. II 13. 41, 4. 67. 96, 1. III 5. 61, 1. IV 61, 17. ab J 50, 6. 76, 5. a *ante* r C 4, 1. 19, 2. 40, 5. 51, 17. J 4, 3. H I 41, 6. ab C 3, 5. J 12, 1. 37, 3. 49, 2. 56, 3. 6. 70, 2. a *ante* s C 4, 2. 51, 38. 61, 4. J 35, 10. 50, 4. 51, 5. 60, 4. 95, 1. H II 15. III 61, 1. ab C 10, 1. 34, 1. 44, 6. J 14, 2. 15, 1. 25, 5. 31, 14. 35, 2. 39, 2. 44, 5. 54, 7. 66, 1. 78, 1. 88, 5. a *ante* t C 51, 38. J 73, 7. 94, 5. H I 9. 11. III 49. i. 64. ab J 56, 3. 58, 4. 78, 3. 97, 5. 101, 3. ab *ante* z J 61, 1. = a Libya profectus H II 2. oriens a meridie J 48, 3. ab Alpibus in Hispaniam submovi H II 96, 4. ab Zama discedit J 61, 1. ab Roma aberat C 40, 5. ad occasum ab ortu solis C 36, 4. ab angulo ad paludem H II 68. ab eis — subducit C 59, 3. ab urbe — a Gallia obstant C 58, 6. finis habet ab occidente — ab ortu solis J 17, 4. ab Capsa non amplius duum milium intervallo J 91, 3. ab dextera C 59, 2. a sinistra ac dextera J 50, 4. hostes ab latere J 14, 10. ab l. incurrit J 101, 8. ab ea parte J 93, 6. 94, 3. ab omnibus partibus J 97, 5. alius ab alia parte J 101, 2. ab tergo J 56, 4. 58, 4. 94, 5. 97, 5. 101, 3. H i 63. = ab armis *i. e. modo depositis armis* H IV 65. = longe a C 61, 4. J 21, 2. 47, 1. 89, 6. 92, 5. 101, 1. H III 57. procul a C 4, 1. 19, 2. J 4, 3. 78, 4. 18, 9. 82, 1. 88, 3. 89, 7. 93, 2. H I 61. IV 61, 16. propior a H I 48, 10. seorsum a J 70, 2. = ab stirpe C 10, 1. J 14, 2. = ab eo tempore J 114, 1*. ab incenso Capitolio vigesimum annum C 47, 2. ab eo magistratu alium post alium sibi peperit J 63, 5. ab adulescentia C 5, 2. J 22, 2. H II 41, 4. 96, 1. III 6. i 83. a pueritia J 85, 7. 100, 5. H II 67. a primordio urbis H I 6. a principio C 26, 3. J 29, 2. 77, 2. 102, 6. 8. H I 9. 48, 6. IV 61, 17. = *Cum verbis passivis* C 8, 5. 13, 1. 19, 3. 22, 3. 31, 4. 9. 44, 6. 45, 4. 47, 1. 48, 4 *bis*. 7. 8. 9. 49, 2. 50, 5. 52, 14. 60, 2*. J 5, 4. 11, 4. 12, 1. 14, 3. 5. 15. 15, 1. 18, 12. 21, 3. 22, 2 *bis*. 25, 2. 5 *bis*. 28, 2. 29, 4. 31, 5. 20. 32, 2. 5. 33, 2. 35, 10. 49, 2. 50, 5. 52, 3. 5. 54, 7. 56, 1. 2. 6. 60, 4. 64, 5. 65, 5. 66, 4. 67, 2. 69, 4. 73, 7. 74, 2. 76, 4. 5. 77, 3. 78, 1. 83, 3. 86, 3. 5. 94, 1. 101, 9. 102, 4. 13. 15. 103, 2. 4. 104, 2. 106, 1. 4. 6. 108, 1. 109, 2. 4. 112, 2. 3. 113, 7. H I 41, 12. 23. 48, 1 *bis*. 7. 66. II 5. 13. 15. 41, 11. 96, 2. 9. III 37. 55. 61, 1. 12. 67, 2. 7. 17. 74. IV 61, 6, 8. 16. i 8. = ab ignavia atque socordia couruptus J 31, 2. vastus ab natura et humano cultu J 48, 3. 92, 5. a paludibus invia H I 8. = abstraho

lonibus adsistit C 59, 3. Ligure J 93, 7. litteris J 9, 1. manipulis J 100, 2 (expeditis). manu C 43, 2 (magna). J 12,3. 20, 3. 7 (praedatoria). Mario eundi J 84, 3. multitudine magna C 30, 1. 97, 1. H III 2. omni J 20, 3. maiore numero J 86, 6. paucis C 32, 1. 60, 7. J 54, 2. 80, 1. 101, 6. 113, 5 (amicis et quaestore nostro). H III 11 (fidis). pecore atq. alia praeda J 20, 3. peditibus J 101, 5. perfugis et parte equitatus J 75, 1. pessumis et hostibus rei p. exercitum adducit H I 48, 22. plerisque necessariis suis J 113, 6. plurumis J 101, 6. praesidio equitum J 105, 2. quibuscum ire H III 8. Gn. Rufone J 104, 3. secum J 39, 4. 84, 2. 106, 2. H III 67, 12. signis incedere J 45, 2. Sulla J 107, 5. subpliciis J 46, 2. telo C 27, 2. 49, 4. 50, 2. turmis J 38, 6. 98, 1. volentibus H III 67, 3. Volturcio C 45, 3. = cum eo — parabant C 18, 5. cumque eis — condidere C 6, 2. c. Q. Minucio consulatum gerebat J 35, 2. c. paucis diripiebant J 41, 7. c. filio suo petiturum J 64, 4. mecum adnitimini J 85, 47. vobiscum periculis adero J 85, 47. quibuscum cognoscit J 104, 1. c. ceteris C 43, 1. — — eiusdem caussae ducem nanc H I 16. Etruria c. Lepido suspecta in tumultum H I 45. c. paucis consilia Catuli secutus sum H I 48, 6. Appius c. Catulo — praesidio sit H I 48, 22. signa cum Laeli corpore recepta H II 16. elephanti cum parvo argenti pondere traduntur J 29, 6. dux — cum urbe Valentia et exercitu deleti H II 96, 6. urbem c. muris et turribus H i 16. epistulam c. servo naucti H III 36. milites c. classibus amisi H IV 61, 14. avaritia atque ambitio cum superbia invasere C 12, 2. c. potentia avaritia invasit J 41, 9. cuncta cum fortuna deseruere H II 41, 2. deos penatis cum dignitate dedistis H II 41, 4. invidia cum metu urguet J 35, 2. otium cum libertate H I 41, 9. — c. servitio *ibid.* 25. laborem cum honoribus H I 41, 9. provinciam c. exercitu H I 48, 4. pro consule c. inperio H I 48, 4. — — c. legatis H I 48, 7. scrinium cum litteris C 46, 6. quantum c. benificio negoti sustineam J 85, 3. omnia c. precio honesta J 86, 3. simul c. C 2, 5 (moribus inmutatur), *conl.* J 78, 3. C 33, 5 (anima amittere). J 14, 23. H II 41, 4. una (nobiscum) C 52, 10. 20, 17. J 14, 8. iuxta mecum omnes C 54, 5. parem cum liberis J 14, 9. pariter cum filiis J 9, 3. pariter c. ortu solis J 68, 2 *conl.* J 106, 5. — c. capta Thala J 77, 1. c. luce H III 67, 19. c. occasu solis J 91, 2. agere cum — C 20, 1. (populo) C 51, 43. J 29, 3. 96, 2 (c. humillumis ioca atque seria). 108, 1. amicitiam instituere c. — J 14, 5. bellum c. Etruscis H I 9. — fuit cum J 17, 1. belli caussam habere cum — J 81, 1. bellum gerere cum C 51, 5. 53, 3. J 5, 1. 73, 7. 85, 10. 110, 7. sumere H IV 61, 5. bellare H IV 61, 5. certare C 9, 2. 54, 5. J 6, 1. 114, 2. H II 11. certamen est J 49, 2. 54, 5. concurrere c. infestis signis C 60, 2. confirmare societatem J 44, 3. communicare C 56, 5 (conmune cum C 1, 2). conparare J 85, 13. conponere J 48, 1. consulta c. illo J 108, 2. contendere C 53, 3. J 4, 7. cum inperatoribus pacem conventam J 112, 2. disserere J 102, 1. exaequatus c. inperatore labos J 100, 4. esse cum (alia sibi omnia c. conlega ratus) J 43, 2. exercere simultates C 9, 2. inimicitias C 49, 2. foedus facere J 38, 9. manum conserere J 49, 2. miscere J 18, 7. 83, 2. 102, 5. H IV 61, 2. permiscere J 44, 5. 46, 7. 59, 3. mutare cum J 44, 5. pactiones facere J 40, 2. pax fit cum J 61, 3. societatem conponere H IV 11. transigere J 29, 5. verba habere cum J 9, 4. facere J 38, 9. stupra facere C 15, 1. stupri consuetudo cum C 23, 3. agitavisse secum J 113, 3. reputare secum C 52, 2. J 62, 9. 13, 5. 70, 5. 85, 10. volvere C 32, 1. J 6, 2. 108, 3. 113, 1. habere cum animo J 11, 3. trahere c. animo J 93, 1. cum summo studio C 51, 38. summa turpitudine C 58, 13. magna gloria C 59, 6. maerore atq. luctu vitam exigunt J 14, 15. cura J 51, 1. 66, 1. 68, 1. suo auxilio J 65, 3. magno gaudio J 69, 1. ingenti periculo J 92, 8. machinato strepitu H II 23, 3. magno tumultu H II 40.

cum (*vid. ad* H IV 61, 13) *particula c. ind. praes.* animus mihi adcenditur, cum considero C 20, 6. 52, 2. 58, 18. J 85, 21. c. emunt — diruunt, tamen vincere nequeunt C 20, 12. ceperant, cum concurrunt J 60, 6. 106, 5. tum — cum vor-

praebeo. aliis scorta praebere C 14, 6. voluptatibus otium praebere C 52, 5. vos singulis habendos fruendosq. praebetis H III 61, 6. ne sanguinem vostrum praebeatis H III 61, 17. frumentum et alia — adfatim praebita J 54, 6. quae locus praebebat J 67, 1. rerum humanarum spectaculum praebeo J 14, 23. exemplum praebeo H IV 61, 4.

praeceps. luxuria atq. inopia praeceps abierat C 25, 4. ab inimicis circumventus praeceps agor C 31, 9. suamet ipsum pecunia praecipitem casurum J 8, 2. ambitione praeceps datus est J 63, 6. suomet ipsi more praecipites eant J 31, 6. urbana plebes praeceps erat multis de caussis C 37, 4 (*male al.* ierat). natura praeceps ad explendam cupidinem J 6, 3. mons omnis a natura praeceps J 92, 5. collis magna parte editus et praeceps J 98, 3. aestas nova, adulta, praeceps H i 112.

praecīdo. iter — utrimque praecisum J 92, 7.

praecipio. mons praeceptus a Lusitanis H I 66. = Cicero legatis praecipit, uti — C 41, 5. J 13, 6. 14, 1. praecipit, omnis mortalis adgrediantur J 28, 1. sicuti Cat. praeceperat C 39, 6 *conl.* J 98, 2. sicuti praeceptum erat C 45, 2. — — fuerat J 52, 3. 109, 3. quibus praeceptum erat C 55, 5. quo Numidis praeceperat J 75, 7. praecipere *conrupt.* H i 43. = contra **praeceptum** ducis H III 67, 15. ex praecepto tempus visum J 94, 1. ex praecepto alicuius C 44, 1. J 13, 7. quae cum praecepta parentis mei agitarem J 14, 2. Graecorum militaria praecepta legere J 85, 12. his praeceptis milites hortabor J 85, 34.

praecipito. cum — super vallum praecipitarentur J 58, 6. venti per cava terrae praecipitati H II 43 *susp.* in tanta mala praecipitatus ex patrio regno J 14, 23. avaritia — quoad semet ipsa praecipitavit J 41, 9. maiorum mores non paulatim, set torrentis modo praecipitati H I 12.

praecipue *cj. Putschii* H i 43.

praeclarus. —a fama J 55, 2. —a facies J 2, 2. —um facinus C 2, 9. 53, 2. J 5, 4. 56, 4. —a ingenia C 8, 4. —a memoria J 85, 38. —a Brutorum — proles *ironice* H I 41, 2. —i viri J 4, 5. qui bello saepe praeclari fuerant J 39, 1. qui nunc sceleribus suis ferox atq. praeclarus est J 14, 21. = quanto vita illorum praeclarior, tanto horum socordia flagitiosior J 85, 22. id quod multo praeclarius est, meamet facta mihi dicere licet J 85, 24.

praeda militibus divisa J 38, 8. maneat — praeda civilis acerbissuma H I 41, 24. praeda omnis a perfugis conrupta J 76, 5. praedator ex sociis et ipse praeda hostium J 44, 1. nox atq. praeda castrorum hostis remorata J 38, 8 *conl.* 94, 6. omnia matura sunt victoria praeda laus J 85, 48. praedae spes J 69, 2 *conl.* 6, 3. praedae loco aestumantur H I 48, 5. pecus quod superioribus diebus praedae fuerat J 90, 4. quibus victoria Sullana praedae fuerat C 21, 4. alia belli facinora praedae magis quam detrimento fore C 48, 2. rem p. praedae, non libertati repetitam H I 35. alia omnia militum praedam esse iubet J 54, 6. neque pati ullam ex civibus praedam esse H I 41, 18. praedam benigne ostentat J 68, 3. ibi praedam captivosq. et inpedimenta locaverat J 81, 2. ultra praedam nihil cogitare H III 67, 12. a nobis ad societatem, ab illis ad praedam peteris H IV 61, 16. bona civium quasi Cimbricam praedam vacuum aut dono datam H I 41, 17. regnum eius sceleris sui praedam fecit J 14, 11. ager praeda onustus J 87, 1. sese praeda locupletem fore J 84, 4. igni magis quam praeda ager vastabatur J 55, 5. multos mortalis cum pecore atq. alia praeda capit J 20, 3. relicuos labores pro praeda fore J 54, 1. societatem praedarum cum latronibus conposuisse H IV 11. praedas agere J 20, 8. 32, 3. 88, 3. 44, 5 (pecoris et mancipiorum). — bellicas inperatores cum paucis diripiebant J 41, 7. quasi ea honori, non praedas habeant J 31, 10.

praedator ex sociis J 44, 1. praedatores Valeriani H III 36.

praedatorius. non cum praedatoria manu, set — exercitu conparato J 20, 7.

praedīco. diem locumque — praedicit J 75, 5. invito set praedicente me H II 96, 10. cum praedixero positum insulae H II 1.

CONRIGENDA ET ADDENDA.

VOL. I p. 3 nescio quo errore **Th. Mommsenium** forma nominis **Catalina** utendum putavisse scripserim. Quem virum dicere voluerim, nunc quidem non succurrit.

p. 7. In cod. Paris. 6088 (p^6) per virum cl. Rothium certior factus sum Iug. 44, 5 super verbis **uti cuique lubebat** scriptum esse *non inpuniebantur sed potius* et ad marginem haec adiecta: *Non solum hoc erat, quod albinus habebat eos stativis in castris sed etiam nec minuebant; scilicet per hoc denotat stulticiam albini.*

p. 289 l. 9. Iug. 49, 6 pro **instruerat** legendum **instruxerat.**

p. 336 l. 1 Iug. 87, 4 pro **uti** legas **ubi.**

VOL. II p. 23 fr. Hist. I 68 legendum: adveniens **cum legionibus** postquam.

p. 78 fr. Hist. III 58 legendum: qua **parte** spectat.

p. 98 fr. Hist. IV 16 legendum: **Igitur** legiones.

p. 128 fr. Hist. inc. 25 legendum: multis **e** locis.

p. 121 fr. Hist. inc. 39 legendum: in **muris** locaverant.

Cum indicis magna pars iam typis expressa esset, iuvenis quidam doctissumus, qui Lipsiae philologiae operam dabat, re conperta, quae ipse ad edendum lexicon Sallustianum paraverat atque conlegerat, ultro humanissume mihi misit, pro quo benificio eo maior gratia ei habenda est, quod his subsidiis nonnulla conrigere et explere potui.

p. 144 l. 16 post **secedo** addendum C 33, 4.

p. 146 l. 39 add. **incendere ad facinora** C 13, 4.

p. 148 s. v. **adipiscor** adiciundum: **prope iam adeptam victoriam** J 101, 9.

ibid. s. v. **adiungo** leg. C 24, 4.

ibid. add. **Africus** H II 83.

p. 153 s. v. **alibi** leg. C 60, 5.

ibid. s. v. **aliquando** leg. J 110, 3.

p. 154 l. 23 legendum **C 22, 2.**

p. 156 s. v. **amplus** add. **amplis honoribus usi J** 25, 4.

p. 158 addendum **Apollo** H II 90.

p. 160 s. v. **at** post **at contra** inserundum C 12, 5: **at hi contra.**

ibid. s. v. **Athenienses** add. C 2, 2. 51, 28.

p. 163 l. 25 legendum C 37, 10.

p. 178 s. v. **conpono** post **verba mea** legendum J 85, 31.

p. 269 s. v. **Marcius** add. **G. Marcius Figulus** C 17, 1.

p. 297 adicias: **Ostia** H i 74.

p. 298 addas: **Paelignus.** P. cohors J 105, 2.

Ceterum si quis in indice aliquid aut omissum aut minus recte scriptum deprehenderit, modo quam laboris plenum tale opus sit secum reputaverit, lubenter et benivole excusabit.